S. Cand.

Mihi D. Hilarioni Rancato Dono
datus ab ipso doctissimo auctore
ad S. Thomae quae mense Februarii 1640

IOANNIS
MORINI,
BLESENSIS,

CONGREGATIONIS ORATORII
IESV-CHRISTI, PRESBYTERI,

Exercitationum Ecclesiasticarum Libri Duo:

De Patriarcharum & Primatum origine, Primis Orbis Terrarum Ecclesiasticis diuisionibus, atque antiqua & primigenia Censurarum in Clericos Natura & Praxi:

AD VRBANVM VIII. PONTIFICEM MAXIMVM.

PARISIIS,
Apud PETRVM CHAVDIERE, via Iacobæa sub Scuto Florentiæ.

M. DC. XXXIIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO DOMINO
NOSTRO,

VRBANO VIII,

PONTIFICI MAXIMO,

IOANNES MORINVS, Congregationis Oratorij IESV CHRISTI, Presbyter.

CVM primùm de horum Opusculorum tuo Nomini nuncupatione animum subiit cogitatio, BEATISSIME PATER, eam statim sacrosancta Pontificatûs majestas repressit, sæpiusque exorientem propè extinxit. Quoties enim potestatem tuam ante oculos mihi propono, quâ diuinitus constitueris thesauri cælestis custos & præses, æternitatis dispensator, mentis diuinæ interpres; legum Christianarum arbiter, omnium mortalium judex, vnicus verò tui dominus &

vindex ; toties mihi homini obſcuro, atque è tenebris nunc primùm emicanti, tam ſanctæ & auguſtæ majeſtatis ſplendor oculos caligine offundit, néve mihi ad te pateat aditus, vultum pudore ſuffundit. Ideo conſilium Naturæ ſecutus, quæ monet, eos qui diu in locis obſcuris conſederint, antequam in apricum prodeant, lumini debili & tremulo paulatim aſſuefieri, ſatius exiſtimabam, Eccleſiæ ſidus aliquod quàm ipſum Solem lucubratiunculis meis præfulgere.

Sed animum anxium & ancipitem recreauit & confirmauit tua in tanta majeſtate humanitas, in tanta poteſtate moderatio. Virtute enim ſicut & dignitate, ei ſimillimus es, SANCTISSIME PONTIFEX, qui cùm in altis habitet, humilia tamen reſpicit in cœlo & in terra: neque adeò ſummos honores ſuſcipere deſideras, vt omnes homines conſilia actionéſque tuas ſuſpicere procuras; longeq; vehementiùs humilitatis Apoſtolicæ culmen animo pertingere contendis, quàm Sedis Apoſtolicæ fulmen manu contingere lætaris. Nam omnibus te antiſtare credis, vt omnibus præſtare ſtudeas: ſanctiſſimiſque Pontificibus tanta virtute ſuccedis, vt tua præclarè geſta laudi-

bus suis quotidie accedere; Posteris verò æmulationis æternum fomitem accendere glorientur. Vt enim Sol astra superiora non secus quàm inferiora luce perfundit; sic actiones tuæ cùm decessores tuos illustrant, successoribus integerrimæ sanctitatis facem præferunt, atque onus inferunt pietatis & moderationis imitandæ grauissimum. Istis animi consiliis & virtutibus, Christianorum omnium spem & expectationem superasti; vota verò, si te nobis immortalem natura peperisset, cumulasses.

Hæc vbique terrarum ita nota sunt, B. P. vt nec me tacente decrementum vereri, nec me prædicante incrementum sperare possint. In Gallia tamen notissima fecit Illustrissimus & eruditissimus Cardinalis Barberinus, nepos tuus, Legatione nuper à latere tuo defunctus. Cuius singularem in tanta autoritate modestiam, in consiliis ineundis prudentiam, in capiendis religionem, in exequendis vigilantiam, in congressibus publicis animi præsentiam, in priuatis lenitatem, in sermonibus eruditionem, in verbis lepôrem, in moribus suauitatem, in iuuentute maxima senilem sapientiam, in negotiis denique omnibus fidem & integritatem viri boni impensè laudauerunt, Principes im-

pensiùs amauerunt, improbauit nemo; fidei hostes, quanquam inuidiâ rumperentur, admirati sunt. Cuius actiones omnes minimas & maximas, Gratiæ Virtutésque adeò deperibant, vt earum gloriam vtræque ambiguo certamine sibi vindicare iudicarentur. Sed laudibus supersedeo: tanta enim virtus grandia omnia, nihil vulgare dici postulat; grande verò dicendi genus nec fert ingenij mei tenuitas, nec orationis humilitas. Quis autem de Cardinale Pontificis sanctitatem, de Nepote natiuam Patrui imaginem, & cùm simile simili gaudeat, de Legato legantis virtutem meritò non colligat & affirmet?

Quid igitur ad Sanctitatis tuæ pedes me humillimè prouoluturus timeam aut reformidem, cùm Majestatem tuam facilitate conspicuam, potestatem mansuetudine temperatam, prouidentiam æqua omnium cura solicitam sentiat, testetúrque vniuersus orbis: cùm mores actionésque tuæ omnes ita compositæ sint vt Regibus & Principibus, tui Nominis reuerentiam, humilibus & abiectis confidentiam, literarum studiosis spem, dicendique alacritatem, omnibus tui amorem & admirationem concilient & ingenerent? His accedit paterna bene-

uolentia qua Congregationem nostram amplecteris & foues; cui nuper nascenti Pontifices prædecessores tui, vt ita dicam, obstetricati sunt, faustáque & prospera comprecati; cui adolescenti adfuerunt, consurgenti suppetias venerunt: Nunc verò grandiusculam, lacertósque mouere nitentem, beneuolentia summa prosequeris, beneficiis ingentibus cumulas, laudibus eximiis commendas, quibus bonis omnibus chara, nemini inuisa maturescit. Ingratus certè siem si tantorum beneficiorum memoriam obliterari sinam.

Materia denique ipsa, & Exercitationum istarum hypothesis autoritatis tuæ asylum sibi deposcere, atque in sinum tuum sponte sua confugere videtur. Themistoclem, refert Thucydides, Molossorum regis infantem filium, consulente regina, Patri sistendum manibus tulisse, vt quam vehementer ambiebat, ab eo gratiam necessariò consequeretur: Iuniorem quoque filium Paterfamilias Euangelicus hilari lætóque animo excepit pœnitentem. En, BEATISSIME PATER, vtrumque tibi præstant hi libelli; quorum alter Primates, deuotissimam vicariámque Sedis tuæ sobolem, mortis & tenebrarum postliminio redeuntes in

ſinu ferens, Sedi Apoſtolicæ reſtituit; alter Sacerdotes filios tuos pœnitentes, ſupplices tibi ſiſtit. Sanctitatem igitur tuam in horum amplexus beneuolè ituram ſpes mihi maxima eſt; prolique ſuæ genua contrectanti, ſinum non auerſuram. Deus pacis, BEATISSIME PATER, Satanam hæreticóſque omnes ſub pedibus tuis velociter conterat.

EXERCITATIONVM

ECCLESIASTICARVM

LIBER PRIMVS,

DE

PATRIARCHARVM ET PRIMATVM

ORIGINE,

PRIMISQVE ORBIS TERRARVM

ECCLESIASTICIS DIVISIONIBVS.

EXERCITATIO I.

De prima Orbis Terrarum Ecclesiastica diuisione, vnaque & trina S. Petri Sede.

Pontifex vnitatis Sacerdotalis, & Catholicæ consanguinitatis principium & terminus. Omnium ordinum virtutem eminenter continet. Vnitatem multitudo supponit. Vnde Schismata. Tribus orbis partibus tres sibi Sedes S. Petrus instituit. Trium Patriarcharum vna Sedes.

LEO Magnus & Sanctissimus Pontifex Ecclesiasticorum ordinum compages, quibus inter se committuntur, inferioresque à superioribus pendent, altiùs animo repetens, sapienter ait Epist. ad Anast. Thes-

ſalonic. Epiſcop. 84. *Magna diſpoſitione prouiſum eſſe, ne omnes ſibi omnia vindicarent; ſed eſſent in ſingulis Prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: Et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret.* Tum enim membra aptis commiſſuris capiti ſuo adhærent, cùm vitales quidem influxus corpori caput infundit, capiti verò corpus gratiam & obſequium ſponte refundit: Ita vt capitis liberalitatem corpus beneuolentiâ proſequatur. Sacerdotalis autem iſtius vnitatis, vt loqui amat Sanctus Cyprianus epiſt. 55. fons & origo, à qua varij & multiplices Antiſtitum ordines ſcaturiunt & multiplicantur; Centrum à quo conſanguinitatis Catholicæ lineæ per quaſuis orbis partes ducuntur: Sol denique à quo omnium dignitatum Eccleſiaſticarum radij promicant, Pontifex eſt Romanus. Ab ipſo vt ſacra illa Vnitas explicatur & protenditur, ſic in ipſum replicatur & colligitur, fraternitatis & communionis lineæ omnes reducuntur; dignitatúmque omnium radij reflectuntur, vt ab vnitate multiplicitas exorta in vnitatem indiuidua deſinat. *Religionis enim Sacramentum*, vt docet S. Leo Epiſt. 89. ad Epiſcop. Viennenſes, *ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret: vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet; vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate*

Vnitatis Sacerdotalis principium & terminus.

recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, **Tu es Petrus**, &c. *vt æterni templi ædificatio, mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret.* Petrus enim, vt eleganter in verbo ludit S. Chrysostomus hom. 2. in tit. Ps. 50. ideò dictus est Petrus, ἐπειδὰν τῇ πίστει πεπετρωμένος ᾖ, *quòd immotæ rupis instar in fide solidatus esset.* Vnitatis istius Ecclesiasticæ causam & virtutem si funditùs rimari libet, libeat verò, ne fontibus prorsùs omissis riuulos tantùm consectari videamur, eas de sententia nostra, & S. August. mente in Ps. 101. paucis sic habeto.

Simplicissimæ naturæ suæ multiplices virtutes vt rebus inderet & imprimeret, Theologorum omnium calculo sategisse videtur diuina prouidentia; quo varia ista & multiplici virtutum effigie potentissima & fœcundissima absolutissimæ Dei perfectionis Vnitas ob oculos nostros adumbraretur. Ecquid enim aliud sunt res omnes quàm diuinarum virtutum tot faculæ & imagunculæ, per quas diuinæ vnitatis radius mentibus nostris illabitur? Itaque in aliis virtutem hanc, in aliis istam delineauit Deus. At in Ecclesia sua ipsammet vnitatem expressit, non adumbrauit, effinxit non delineauit. Ideo quemadmodum Deus est simplicissima vnitas, & vnitissima simplicitas: ita Ecclesiam suam omni vnitatis genere vnam esse voluit; Vnã vnitate interna, vnam fide, vnam spe, vnam charitate & spiritu; Vnam vnitate externa, vnam scilicet capite, vnam nomine, vnam communione, vnam precum cæterorúmque

Vnitas Ecclesiæ, cuius rei typus.

officiorum ſpiritualium commercio & Sacramento. Priorem vnitatem eiúſque partes cum poſteriore indiuiduo vinculo & Herculeo nodo coniunxit Chriſtus. Vnde fit vt qui capitis communioni non adhæret, eiúſque vnitati mente ſaltem & voto non inſeritur, fruſtra fidem, fruſtra ſpem & charitatem ſibi vindicet; fruſtra Sacramenta, templumque Domini iactet & oſtentet. Qui cum Pontifice Romano, vt poſt S. Cyprianum Epiſtola 39. ſcribit ad Damaſum Pontificem Romanum ſanctus Hieronymus, *non colligit, ſpargit.* Vnitatis & communionis Catholicæ hæc radix, hæc matrix, hic index. Hanc qui temerat, Schiſmate ſe inficit, vt Schiſmatis naturam & cauſam lib. 2. aduerſus Parmenianum Schiſmaticum penitùs denudans, præclarè nos docet Optatus Mileuitanus. *Negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus,&c. in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Idem eodem tempore aduerſus Luciferianos contendit Hieronymus, ſed ante omnes ad Cornelium Pontificem Romanum ſcribens S. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt Schiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.*

Vnde Schiſmata naſcãtur.

Pontifex omniũ ordinũ vir.

Ea eſt autem vnitatis vis & poteſtas, vt numeros quoslibet, numerorúmque ſpecies & ordines omnes

in ſinu ſuo licet indiuiduo, foueat & complectatur, ἐν μονάδι πᾶς ἀριθμὸς ἑνοειδῶς πρoϋφέστηκε· καὶ ἔχει πάντα ἀριθμὸν ἡ μονὰς ἐν ἑαυτῇ μοναχῶς. *In vnitate*, ait S. Dionyſius de diuinis nominibus c. 5. *Omnis numerus vniformiter præexiſtit: Omnem numerum vnitas in ſeipſa vnicè continet.* Cùm igitur in Pontifice Romano tanquam in capite vnitas communionis & Eccleſiæ, vnitas Cathedræ & autoritatis diuinitùs inſideat, Sacerdotúmque per vniuerſum orbem ab vnitate, infinita prope explicata multitudo in eodem iterū colligatur & adunetur, omnem neceſſe eſt, omnium ordinum & dignitatum Eccleſiaſticarum naturam virtutem & actionem in ſe contineat. Atque velut vnitas, præter omnium numerorum ſpecies quas ambitu ſuo poſſidet, natura præterea quadam ſingulari finitur, & ab omnibus numeris diſtinguitur: ita Pontifex Romanus præter ſingulas ſingulorum ordinum vires quas in ſinu ſuo abſolutiſſimè complectitur, ſingulari & peculiari quadam virtute & autoritate quibuſuis Epiſcopis præfulget & ſupereminet. Vel, ſi rem breuiùs expediri cupis, in morem cauſarum primarum, in vna & ſimplici Pontificatus perfectione, omnium ordinum & dignitatum Eccleſiaſticarum, munia, vires, & naturam eminentiſſimè poſſidet. Hac religionis fide imbuti Patres, omnia ferè quæ concipi poſſunt autoritatis & dignitatis elogia, in vnum Pontificem congeſſerunt. *Sanctiſſimus & Beatiſſimus vniuerſalis Archiepiſcopus & Patriarcha*, Leo dicitur ſæpius Concilio Chalcedonenſi, act. 3. Δεσπότης ἡμῶν καὶ ἅγιος Πατήρ, *Dominus noſter*

tutè eminenter poſſidet.

Pontificis varia epitheta.

& ſanctus Pater; eidem Concil. act. 2. *Vocis Petri omnibus conſtitutus interpres*, à Patribus ipſis in eodem Concilio congregatis, & ἀρχηγὸς τοῦ καλοῦ, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμονεύων. *Dux & boni princeps, vt caput membris præſidens*, relatione Synodi Chalcedon. ad Leonem Papam. *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Pater*, iiſdem Patribus eadem relatione vocatur: ipſi verò, *ſummitatis eius filios* tantùm ſeſe nuncupant. *Pater Patrum* Conciliis Africanis. *Epiſcopus Patriarcharum* Athalarico regi, apud Caſſiodorum, variarum l. 9. Ep. 15. *Principatum habens Sacerdotij, ad quem ſecundum conſuetudinem Synodorũ appellant Patriarchæ*, Valentiniano ad Theodoſ. ſcribenti, Concil. Chalced. parte 1. Πρωτόθρονος τῆς Οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας, Concilio Sexto, act. 18. epiſt. ad Agathonem Papam. Τῆς πρεσβυτάτης Ῥώμης, καὶ Ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος πρόεδρος, eadem actione, Sermone ad Imperatorem proſphonetico. Κορυφαιότατος Πάπας, *& Beatiſſimus Pater*, vniuerſo Concilio, ibid. Οἰκουμενικὸς Ἀρχιποίμην: *vniuerſalis Paſtorum princeps*, Conſtantino Pogonato Ep. ad Synodum Romanam. Plura ex innumeris Epithetis quæ ſparſim apud antiquos autores occurrunt, & paſſim à modernis colliguntur, excerpere ſuperuacaneum eſt. Qui tam inſana veritatis inficiandæ libidine furit, vt his teſtibus obganniat, & Petræ Romanæ, τὸ στεῤῥὸν, ἀμετάθετον καὶ ἀσάλευτον, *ſolidam, immobilem & inconcuſſam ſtabilitatem*, vt loquitur Chryſoſtomus, quatere tentet, ſibi committendus eſt; illi tantum hoc Sophocleum occinuerim, καὶ γὰρ ἂν Πέτρου φύσιν σύ γ' ὀργανείας, *Tu vel Petræ bilem moueres*,

Compages porrò quibus Ecclesia cum capite suo connectitur, vincula quibus tanquam habenis membra Christi Pontifex moderatur, & inter se, & secum constringit, atque velut alter Hercules Gallicus Christianos omnes ab ore pendulos è sinuosis errorum anfractibus in ouile Christi reuocat, quatuor sunt Episcopalis Iurisdictionis ordines, Episcoporum, Metropolitarum seu Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum. His administris Sacra Ecclesiæ vnitas fœcundatur, & veluti obstetricibus filiorum multitudinem infinitam Christo parit & educat. Neque ista variarum dignitatum multitudo vnitatem Ecclesiasticã perimit, imo supponit: Nam vt doctissimè demonstrant S. Dionysius c.13. de diuinis nominibus, & Proclus in Elementis Theologiæ Platonicæ Theoremate primo, *Omnis multitudo vnius est particeps*, πᾶν πλῆθος μετέχει πῃ τοῦ ἑνός. εἰ γὰρ μηδαμῇ μετέχοι, οὔτε τὸ ὅλον ἓν ἔσται. Ideo rectè S. Thomas 1.q.30. art.3. ad 3. *Vnum non est remotiuum multitudinis sed diuisionis, multitudo autem non remouet vnitatem, sed remouet diuisionem, circa vnumquodque eorum ex quibus constat multitudo.* Vnitatem igitur Ecclesiæ & capitis Schisma & diuisio quantum in se est, scindit & perimit: ordinum verò Ecclesiasticorum varietas, & sub vnoquoque ordine numerus fere innumerus tantum abest vt sacram istam vnitatem laceret, vt eam stabiliat & confirmet.

Vnitatem multitudo supponit.

Nemo igitur mentis compos sacros Antistitum ordines è medio tollet: Nemo nisi hæreticus Metropolitis Patriarchas præesse, Episcopis Metropo-

litas inficiabitur. Aduersus hæc hominum monstra nihil est nobis nunc ex proposito nostro desudandum. Circa Primates difficultatis cardo nobis præcipuè vertetur. Ambigitur enim, an vnum cum Patriarchis Episcoporum ordinem constituant, an distinctum: si posterius, An dignitas ista in Ecclesia continua fuerit, an aliquando cœperit, Quando verò & vbinam; An desierit, vbi, quando? quibus denique prærogatiuis Metropolitas superent, quibusue à Patriarchis superentur. Quæ in his subobscuris quæstionibus nobis animaduersa sunt, dimisso omni altercationis studio, dilucidè, ni fallor, & breuiter enarrabimus. Rem verò ab origine repetere, vt ob omnium oculos syncera & sine fuco versetur, necessarium arbitramur. Eo sermone vnitatis Sacerdotalis in Petro parturientis primos labores, & primogenitos fœtus non iniucundè contemplaberis: Petrum verò non tantùm vnitatis diuinæ in Ecclesia, sed ipsius Trinitatis imaginem expressisse miraberis. Ecclesiæ igitur & Sacerdotum sacrosanctâ Vnitate pro instituto nostro breuiter explicata, intrinsecas eius emanationes, triúmque præcipuarum Sedium vnitatem, καὶ κοινὰ παρὰ χάρισιν, explicare aggrediamur. Qui de hac vnitate eiúsque conseruandæ & excolendæ necessitate scire plura gestit, Francisci Harlæi Rothomagensium illustrissimi & dignissimi Archiepiscopi, Apologiæ Euangelicæ qua antè paucos dies Ecclesiam Gallicanam nobilitauit, librum primum diligenter euoluat: Quæ animo satisfaciant, spemque expleant cumulatè

latè, nanciſcetur. Quæcumque enim in hoc argumenti genere, aut ex ſcripturæ, Conciliorum, Patrum, Regum, & Imperatorum teſtimoniis & ſententiis excerpi & delibari, aut ratione & ingenij acumine erui & colligi poſſunt, eloquentiſſimè & doctiſſimè toto libro perſequitur. Sed, vt cum Tertulliano loquar, ad lineas noſtras dimicemus.

Tribus orbis partibus tres Sedes S. Petrus instituit.

Petrus Apoſtolus cùm vniuerſum orbem fidei ſuæ & prudentiæ à Domino creditum intelligeret, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fines emetiri, diuidere & circumſcribere animo cœpit; vt intra carceres quiſque ſuos coërceretur, citra quos Epiſcopis & Clericis congredi fas eſſet, vltrà verò egredi nefas. Hoc cùm diligenter apud ſe perpenderet, terram vniuerſam olim ab Ethnicis veluti natura docente & indigitante in tres partes diſtinctam animaduertit, Europam, Africam, & Aſiam. Tres præterea eodem obtutu opulentiſſimæ vrbes cæterarúmque magiſtræ illius oculis obuerſatæ ſunt, Roma, Alexandria, & Antiochia, quarum prima orbis terrarum ſceptra tunc regebat. Poſteriores duæ non modò imperij Macedonici Sedes fuerant, Antiochia Seleucidarum in Aſia; Alexandria Ptolemæorum in Ægypto & Africa; ſed etiam Petro ſuperſtite, omnium erant ampliſſimæ, ipſique Romæ, populi multitudine aut pomœrij amplitudine vix concedebant, vt varij circa illa tempora teſtantur autores. Ioſeph. l. 5. de bello Iudaïco c. 14. Theodor. l. 1. hiſt. c. 1. Herodian. l. 4. cùm de diuidendi imperij Conſilio inter Seueri liberos agit. Dion Chryſ. orat. 32.

ad Alexandrinos, Aristides in orat. de vrbis augustæ laudibus. Hæc animo versans Petrus, diuinóque aspirante numine Sedem propriam diuidere atque in tribus his locis constituere reipublicæ Christianæ vtilissimum iudicauit. Romæ igitur & Antiochiæ per seipsum sedit; Alexandriæ per Marcum discipulum, quem vt Legatum & Vicarium eò misit, tanta cum autoritate, vt non tantùm Sedis origo & fundator, non Marcus haberetur, sed Petrus; verùm etiam Antiochenæ Sedi antistaret Alexandrina: quæ prærogatiua S. Apostoli consilio apprimè respondit. Alexandria enim omnium ciuitatum secundùm Romam nobilissima fuit, & Antiochiam ipsam vt lib. 16. Strabo testatur, magnitudine superauit. Sic igitur tripertitus orbis, tripertitam nactus est Ecclesiasticam administrationem. Antiocheno enim Episcopo cessit Asia; Alexandrino Africa, Romano Europa.

Sed quemadmodum Christus discipulis suis caput creauerat; sic Petrus tribus his Episcoporum capitibus caput creauit, ne Ecclesia & sponsa Christi quam totam pulchram oracula prædixerunt, triceps, instar monstri, nouíque Geryonis omnibus horrorem incuteret. Cui autem vrbi primas potius detulisset quàm Romæ omnium principi? Nunquid consentaneum erat vt magistra erroris, fieret magistra veritatis, & idololatriæ sentina cultus diuini regina? Quid gloriosius Christo quàm vt vrbs per Sedem Imperatorum caput orbis ethnici effecta, per Sedem Beati Petri caput orbis Christiani efficeretur, latiús-

que tandem præſideret religione diuina, quam dominatione terrena? Pontificem igitur Romanum voluit S. Petrus non tantum Europæ præeſſe, vt cæteri duo Patriarchæ, ditioni quiſque ſuæ; ſed ius præterea ſummum & αὐτοκρατορικὸν vniuerſis Chriſtianis dicere, Patriarcharúmq; patrē & principem eſſe. Vt quemadmodum Diœceſani in Epiſcopo, Epiſcopi in Metropolita, Metropolitæ in Patriarcha vnum ſunt; ita Trinitas Patriarcharum in Vnitate Pontificis coaleſceret, ſicque Sedis principis Apoſtolorum eſſet in Trinitate Vnitas, & in Vnitate Trinitas: Atque his gradibus ad Vnitatem aſcenderet Sacerdotum multiplicitas, vt præclarè docet Symmachus Pontifex epiſt. 1. ad Eonium Arelat. Epiſcopum: atque eum ſecutus Carolus Caluus Rex Francorum, ad Adrianum 2. ſcribens, & poſtea ad Ioannem Octauum c. 25. *Ad Trinitatis inſtar, cui vna eſt atque indiuidua poteſtas, vnum eſt per diuerſos antiſtites Sacerdotium.* Id ſpectans huc appoſitè refert S. Gregorius illud Domini apud Ioannem, *Rogo pater vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

Sedis S. Petri in vnitate Trinitas.

Hanc autem de trina S. Petri Sede ſententiam varia Sanctorum Patrum dicta comprobant, nonnulla verò in tribus locis Sedis vnitatem. Ita Anacletus ep. 3. *Secunda Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo conſecrata eſt*, &c. *Tertia autem Sedes apud Antiochiam eiuſdem Beati Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis.* S. Leo. *Nihil Alexandrinæ Sedi, eius quam per S. Marcum Euangeliſtam, B. Petri*

discipulum, meruit, pereat dignitatis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata nunquam fiat inferior. Ep. 53. ad Anatolium. Idem de Sede Antiochena clariùs testatur, Serm. 1. de SS. Petro & Paulo: & de Alexandrina, ep. 79. ad Diosc. Episc. Alexandr. Hinc Antiochenus Patriarcha actione 7. Concil. Chalced. thronum, τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως, *magnæ Antiochenorum ciuitatis*, thronum esse S. Petri gloriatur. S. Chrysostomus ciuis ipse Antiochenus, Antiochenæ Ecclesiæ priuilegia ex Sede Petri inibi collocata colligit, homilia in Beatum Ignatium: & Innocentius primus, de origine priuilegiorum Sedis Antiochenæ differens, in eosdem fontes digitum intendit; *Animaduertimus*, inquit, *non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apostoli Sedes esse monstretur*, Epist. 18. ad Alexand. Episc. Antioch. Hinc Iulius Pontifex, apud S. Athán. Apol. 2. Ecclesiam Alexandrinam inter eas enumerat quæ ab ipsis Apostolis fundatæ & institutæ fuerant: Et S. Hieronymus Alexandrinam Ecclesiam vt fidei Romanæ participem laudat, epist. 68. ad Theoph. Episc. Alexandr. & ad eandem originem alludens, ad Pamm. & Marcel. epist. 78. ait, *Prædicationem Cathedræ Marci Euangelistæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.*

Triũ Patriarcharũ vna Sedes. In tribus illis ciuitatibus auctoritatis apicem Petrum extulisse non tantùm docent nos Patres, verum etiam tres illas Sedes in vnam Petri Sedem con-

fluere, vnámque cum Romana constituere. Ideo S. Gregorius Sedem Alexandrinam, Sedem suam vocat, l. 11. epist. 48. ad Eulogium Episcopum Alexandr. *Festinare debetis, Simoniacam hæresim, quæ prima in Ecclesia orta est, à sanctißima Sede vestra quæ nostra est, funditus euellere.* Sed disertissimè de tribus Sedibus hoc idem explicat, ad eundem Patriarcham scribens, epist. l. 6. ep. 37. Quod repetit, multisque contendit Hincmarus Opusc. 55. cap. 16. *Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in autoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit Sedem in quam Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit Sedem in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cùm ergo vnius, atque vna sit fides, cùi ex autoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quidquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo.* Ea ratione ducti summi Pontifices ambas illas Sedes maximi semper fecerunt, & quanquam Patriarchæ non tantùm hæretici, sed etiam Hæresiarchæ illas aliquando inuasissent, & hæreticæ impietatis veneno miserrimè infecissent, illis tamen Constantinopolitanam Sedem præferri ægerrimè tulerunt. Idem Romani Pontifices præstitisse mihi videntur, quod Alcon Sagittarius ille Cretensis, à Manil. l. 5. Astron. necnon à Poëta Græco in Epigrammate & Sidon. Apoll. elegantissimis versibus cōmemoratus & laudatus. Hic cùm filium à dracone in sublime acceptum conspiceret, tanta dexteritate sagittam in draconem collimasse dicitur, vt illæso filio

Alconis Sagittarij fœlix dexteritas.

belluam conficeret. Sic Pontifices Sedes Patriarchales à Patriarchis, Ecclesias ab Inuasoribus & Apostatis, Priuilegiorum vsum ab abusu pie semper & prudenter distinxerunt. Nam in Patriarchas Inuasores, Apostatas, & autoritate sua abutentes, Censurarum sagittas, imò fulmina tanta arte & pietate direxerunt, vt illæsis sedibus, Ecclesiarúmque priuilegiis & canonibus, in schismatum & hæreseων Autoribus & asseclis vulnera lethalia sisterent & deficerent. Vniuersæ istius diuisionis Ecclesiasticæ veritatem sensit Balsamon, Patriarcha ipse Antiochenus, de priuilegiis Patriarcharũ disserens: asserit enim, diuinos & sacros canones, ὡς ἐν σχοινίῳ κληροδοσίας ἐπιμερίσασθαι τοῖς Πατριάρχαις τῆς οἰκουμένης τὴν τετραμέρειαν, *velut aruipendio quodam orbem terræ quadrifidum Patriarchis distribuisse*, Petrúmque Apostolum suis vnumquemque sedibus consecrasse: quanquam imperitè tribus primigeniis Patriarchis Constantinopolitanum adnumeret, qui in prima illa Ecclesiarum diuisione Heracliensis Metropolitæ parœciam tantùm sortitus fuerat.

EXERCITATIO II.

De Orientis & Occidentis Ecclesiastici variis distinctionibus.

Orientis quinque acceptiones. Imperij diuisio inter Constantini filios. Aurelij Victoris error.

ECCLESIAM Romanam Patriarchis omnibus imperare, & *ab ea vnitatis originem*, vt ait S. Cyprianus, Epistola 73. *Christum instituisse*, atque vt testatur Sozom. hist. l. 7. c. 7. *ad eam omnium curam & solicitudinem pertinere*, omnibus ex æquo Christianis credendi & asserendi diuina incumbit necessitas. Verùm hoc iacto fundamento plura in vtramque partem de iurisdictione Ecclesiastica integra fide ventilari possunt. De Patriarchatuum limitibus nonnulla obseruabimus, atque ab Antiocheno, quanquam omnium postremo, initium faciemus. Sed cùm Oriens & Occidens sint ἐκ τῶν πρός τι, vt loquitur Aristoteles, quemadmodum Astronomi Meridianum quendam fixum & immobilem sibi finxerunt, à quo Prouinciarum & ciuitatum Longitudines, atque ab Oriente & Occidente euagationes dimetiuntur; ita hîc nobis faciendum est, ne Andabatarum more, cæco marte digladiemur. Orientis & Occidentis initium, naturâ suâ lubricum & fugitiuum

intra carceres coërcendum est, & vni veluti puncto affigendum. Quæ autem de hac re multa dici possunt, breuiter contrahemus. Orientem apud autores Ecclesiasticos quinque modis acceptum, sed variis temporibus, inuenîmus. Primo modo latissimè, non tantùm pro vtraque Asia, sed etiam vniuersa Græcia, tres Diœceses ciuiles amplectente, Thracicam, Macedonicam & Dacicam, hoc est, pro toto illo Europæ tractu qui inter Bosphorum iacet, mare Adriaticum & Istrum, superioresq; aliquot Istro prouincias.

Prima Or'tis & Occidentis acceptio.

Atque hoc pacto semper acceptum est, post exortas Iconomachorum hæreses, cùm Patriarchatus Pontificis Romani Macedonica & Dacica Diœcesibus ab Imperatoribus hæreticis malè multatus est. Semper enim à Græcis Papa Occidentalium Patriarcha creditus fuit. Cùm igitur ab eius Patriarchatu auulsæ sunt hæ Diœceses, inter Orientales regiones recenseri cœptæ sunt: Atque ita à nongentis annis has prouincias Oriens & Occidens apud autores Ecclesiasticos significarunt; apud Ciuiles verò longè antiquior est acceptio, ab eo scilicet tempore quo Illyricum Occidentale seu Diœceses Macedonicam & Dacicam Imperatores Orientis sortiti sunt.

Secunda acceptio.

Secunda Orientis acceptio strictior est: à priori enim duas Diœceses Macedonicam & Dacicam eximit, in cæteris omnibus eadem. Hæc distinctio à filiis Constantini initium sumpsit; præter enim antiquum Orientem, Constantio Orientis Imperatori Thracia sorte obtigit: ita enim à filiis Constantini magni Imperium Romanum diuisum est, vt refert Zonaras

Zonara annal. tom. 3. *Inter tres illius filios diuisum imperium, vel ab ipso Constantino, vt quidam scribunt, vel eo defuncto, ex ipsorum consensu, in hunc modum: Constanti tributam esse Italiam, & Romam ipsam, Africam, Siciliam cum reliquis insulis, atque etiam Illyricum, Macedoniam & cum Achaia Peloponnesum. Constantino Alpes Cottias cum Galliis, & tractum Pyrenæi vsque ad Mauritaniam Oceani angusto freto diremptam ab Hispaniis. Constantio ea obuenisse quæ in Orientali parte Romanæ ditionis erant & Thraciam cum vrbe paterna.* Thraciam Victor in Constantino attribuit Constanti omnium natu minimo: quod improbabile omnino videtur. Constantinopolim enim Thraciæ ciuitatem in Constantij potestatem venisse omnibus palàm est. Cui autem credibile fiet, ciuitatem regiam, Imperatoris Sedem omni territorio fuisse nudatam? Imperatorem domo egredi non potuisse, nisi manibus fratrisque potestati sese dedidisset? Cùm igitur Constantinopolis Cæsarea fuerit Sedes, amplæ aliquot prouinciæ Orientis Augusto obnoxiæ, eam vndequaque circumdederunt. *Aurelij Victoris error.*

Cedreno clarissimè suffragantur Socrates l. 2. c. 22. & Sozom. l. 3. c. 12. cùm historiam Sardicensis Concilij referunt. Vt Oriens cum Occidente propter hæresim Arianam miserè dissentiens, seséque dilanians, conciliaretur, seditionésque quotidianæ sedarentur, Imperatorum Constantij & Constantis consilio & autoritate, quorum ille Orientem, hic Occidentem regebat, Concilium Sardicæ cogitur. Hûc trecenti ex Occidente Episcopi confluunt, ex Oriente septua-

intra carceres coërcendum est, & vni veluti puncto affigendum. Quæ autem de hac re multa dici possunt, breuiter contrahemus. Orientem apud autores Ecclesiasticos quinque modis acceptum, sed variis temporibus, inuenîmus. Primo modo latissimè, non tantùm pro vtraque Asia, sed etiam vniuersa Græcia, tres Diœceses ciuiles amplectente, Thracicam, Macedonicam & Dacicam, hoc est, pro toto illo Europæ tractu qui inter Bosphorum iacet, mare Adriaticum & Istrum, superioresq; aliquot Istro prouincias.

Prima Orientis & Occidentis acceptio.

Atque hoc pacto semper acceptum est, post exortas Iconomachorum hæreses, cùm Patriarchatus Pontificis Romani Macedonica & Dacica Diœcesibus ab Imperatoribus hæreticis malè multatus est. Semper enim à Græcis Papa Occidentalium Patriarcha creditus fuit. Cùm igitur ab eius Patriarchatu auulsæ sunt hæ Diœceses, inter Orientales regiones recenseri cœptæ sunt: Atque ita à nongentis annis has prouincias Oriens & Occidens apud autores Ecclesiasticos significarunt; apud Ciuiles verò longè antiquior est acceptio, ab eo scilicet tempore quo Illyricum Occidentale seu Diœceses Macedonicam & Dacicam Imperatores Orientis sortiti sunt.

Secunda acceptio.

Secunda Orientis acceptio strictior est: à priori enim duas Diœceses Macedonicam & Dacicam eximit, in cæteris omnibus eadem. Hæc distinctio à filiis Constantini initium sumpsit; præter enim antiquum Orientem, Constantio Orientis Imperatori Thracia sorte obtigit: ita enim à filiis Constantini magni Imperium Romanum diuisum est, vt refert Zonaras

Zonara annal. tom. 3. *Inter tres illius filios diuisum imperium, vel ab ipso Constantino, vt quidam scribunt, vel eo defuncto, ex ipsorum consensu, in hunc modum: Constanti tributam esse Italiam, & Romam ipsam, Africam, Siciliam cum reliquis insulis, atque etiam Illyricum, Macedoniam & cum Achaia Peloponnesum. Constantino Alpes Cottias cum Galliis, & tractum Pyrenaei vsque ad Mauritaniam Oceani angusto freto diremptam ab Hispaniis. Constantio ea obuenisse quae in Orientali parte Romanae ditionis erant & Thraciam cum vrbe paterna.* Thraciam Victor in Constantino attribuit Constanti omnium natu minimo: quod improbabile omnino videtur. Constantinopolim enim Thraciae ciuitatem in Constantij potestatem venisse omnibus palàm est. Cui autem credibile fiet, ciuitatem regiam, Imperatoris Sedem omni territorio fuisse nudatam? Imperatorem domo egredi non potuisse, nisi manibus fratrisque potestati sese dedidisset? Cùm igitur Constantinopolis Caesarea fuerit Sedes, amplae aliquot prouinciae Orientis Augusto obnoxiae, eam vndequaque circumdederunt. *Aurelij Victoris error.*

Cedreno clarissimè suffragantur Socrates l. 2. c. 22. & Sozom. l. 3. c. 12. cùm historiam Sardicensis Concilij referunt. Vt Oriens cum Occidente propter haeresim Arianam miserè dissentiens, seséque dilanians, conciliaretur, seditionésque quotidianae sedarentur, Imperatorum Constantij & Constantis consilio & autoritate, quorum ille Orientem, hic Occidentem regebat, Concilium Sardicae cogitur. Hûc trecenti ex Occidente Episcopi confluunt, ex Oriente septua-

ginta sex: Cùm primùm Orientales S. Athanasium & Paulum Constantinopolitanum, quos Episcopatu abdicarant, conspiciunt, Sardicâ discedunt, Illyrici vrbe, Constanti Imperatori orthodoxo subiecta; & Philippopolim Thraciæ ciuitatem secedũt, atq; in ea ad Conciliabulum conueniunt, fouente eorum hæresim Constantio. Ad Imperatorem igitur Occidentalem pertinebat Illyricum, ad Orientalem Thracia. Præterea idem clariùs autor vterque demonstrat, cùm regiones definiunt quæ mutua communione vtebantur. *Ecclesia igitur*, inquit Socrates, *versus Occidentem, ab Ecclesia, quæ erat in Oriente, dissensione distracta fuit. Terminus autem quo illorum erat distincta communio, mons inter Illyricum & Thraciam interiectus qui Tisucis dicitur, constitutus est: ad quem quidem vsque, omnes inter ipsos, licet fide dissentientes, discrimine penitus remoto, communicarunt; vlteriùs verò nulla inter eos fuit commmunio.* Eadem fere Sozomenus. Quid hæc aliud sibi volunt, quàm omnes qui sub Constantis imperio degebant, mutuam secum communionem exercuisse, cum cæteris minimè, & consequenter ad Illyricum vsque Constantij Orientalis Imperatoris autoritatem sese porrexisse? Denique Sozomenus Protogenem Sardicæ Episcopum inter Episcopos Occidentales enumerat, Theodorum verò Heracleæ in Thracia Episcopum, inter Orientales, l. 2. c. 9. 10. quem similiter epistola Sardicensis Concilij apud Theodor. l. histor. 2. c. 8. Heracleæ Europes Episcopum appellat. Europe autem Thraciæ Diœcesis Prouincia est. Hinc est quòd sæpius videas, Macedo-

nicæ Diœcesis vrbes & prouincias Occidentalibus adnumerari, Orientalibus verò Thracicas. Ita S. Athanasius Eremium Episcopum Thessalonicensem inter Occidentales Episcopos recenset, & Socrates histor. l. 2. c. 16. Paulo Constantinopolitano Episcopo, ait, à Constantio Imperatore Thessalonicam in exilium misso, *In Orientales regiones traiicere* interdictum esse. Sed clarissimè Zonaras in can. 5. Sardicensem inter Occidentis Prouincias ex antiquo more enumerat, Macedoniam, Thessaliam, Helladem, Peloponnesum, Illyricum & Epirum. Solemne enim est Græcis atque semper fuit, Occidentalium nomine omnes Patriarchatus Romani prouincias intelligere, easque etiam nunc Romani Pontificis imperio committendas non inficiari. Originem huius acceptionis fortè à Præfecto prætorio Orientis non imperitè repetes, ita vt Orientales regiones eæ dictæ sint quæ Præfecto Orientis parebant, vnde Thracica Diœcesis non immeritò inter Orientales Prouincias recensita fuerit, cùm à præfecto Orientis administraretur. Ephesini Concilij tempore Orientis nomen Macedonicæ Diœcesi nonnumquam tribui cœpit: Adnumerat enim S. Cyrillus Macedonicę Episcopos Oriētalibus, ad Cœlestinū Episcopū Romanū scribens, Concilij Epesini tom. 1. c. 19. Eosdē prętereа Episcopos ab Occidentalibus & Ægyptiis distinguit Ioannes Antiochenus, ad Nestorium Epistola, quæ eodē tomo refertur c. 31. Cuius rei nulla alia ratio est quàm quod Occidentales Imperatores Illyricum Orientalibus concesserant.

Tertia Orientis acceptio.

Tertia Orientis acceptio præcedentibus vt angu

ſtior eſt, ita longè antiquior: Ante Conſtantinum vulgaris & apud omnes tritiſſima fuit. Ea eſt quam ſibi propoſuerunt Antoninus & Geta Seueri Imperatoris filij, quum de Imperio Romano bipertiendo cogitabant, vt refert Herodianus l. 4. Eadem eſt cum ſecunda, Thraciam modò ſeiunxeris; illam infrà variis teſtimoniis confirmabimus: ſuperuacaneo igi-

Quarta Orientis acceptio.

tur non indulgendum labori. Quarta omnium anguſtiſſima Diœceſim ſignificat Orientis ſic κυρίως dictam. Præfecto Prætorio Orientis quinque Diœceſes attributæ erant, Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica, Thracia, vt eas repræſentat notitia Imperij, & in codice Theod. enumerantur. Oriens igitur nonnunquam vſurpatur pro Diœceſi hac ſpeciali, ita vt Oriens ſic acceptus, ab Aſiana, Pontica cæteriſque Diœceſibus diſtinguatur, iiſque aliquando opponatur. Orientalis hæc Diœceſis Patriarchæ Antiocheni ſpecialis fuit Exarchia: huius propriè Primas erat & Exarchus, & concilia ſæpe cogebat; penes denique illius Epiſcopos Patriarcham ordinandi ius erat & autoritas. A Conſtantiniana prouinciarum diuiſione, de qua plura poſtea dicemus, hæc Orientis ſignificatio tantum vſurpari cœpit. Exempla pauca huc afferemus cùm in ſequentibus ſæpius occurrant. Synodica Concilij generalis ſecundi ad Damaſum apud Theodor. hiſt. l. 5. c. 9. eo ſenſu, hoc nomine vtitur. *Eccleſiæ vetuſtiſſimæ & verè Apoſtolicæ, Antiochiæ, vrbis Syriæ, in qua primò venerandum Chriſtianorum nomen auditum eſt, reuerendiſſimum & ſanctiſſimum Flauianum, Epiſcopi illius prouinciæ, & Diœceſeos Orien-*

talis, in vnum conuenientes, &c. Episcopum ordinarunt. Ita sæpius act. 10. Concilij Chalced. *Orientale Concilium*, hoc est, Concilium ex Episcopis Orientis Diœcesis coactum, quod scilicet Ioannes Patriarcha Antiochenus ex Episcopis propriis qui ibidem absolutè Orientales dicuntur Episcopi, vt excommunicaret S. Cyrillum, conuocauit. Sæpius id in Concilio Ephesino animaduertes, cùm de eodem Ioanne eiusque cum S. Cyrillo contentione acta referuntur. Quinta huius vocis acceptio apud autores prophanos & Ecclesiasticos, sacram præcipuè scripturam, non est infrequens; cùm scilicet Oriens non tantùm Orientis specialem Diœcesim significat, sed vniuersam Asiam superiorem ad Indos vsque & Sinas, seclusis Asianæ & Ponticæ Prouinciis. Orienti hæc significatio propriè competit: populi enim isti respectu nostri sunt ἀνατολικώτατοι, Oriensque hoc modo definitum à Chalcedonensis Concilij tempore Patriarchatum Antiochenum componit. De Oriente pauca quidem, sed ad Institutum nostrum plus satis. Orientis Patriarchæ limites & terminos nunc eruamus. *Quinta acceptio.*

EXERCITATIO III.

De antiquis Patriarchatûs Antiocheni limitibus.

Orientis fines Nicænis Patribus. Mendum in Epiſtola Conſtantini caſtigatum. S. Leonis ſententia explicata. Chriſtiani inter Barbaros Orientales Antiocheni ſunt Patriarchatûs. Seleucienſis Catholicus idem cum Bagdacenſi.

VNIVERSVM Orientem in tertia quam explicauimus ſignificatione vſurpatum, hoc eſt, pro vtraque Aſia, orbiſque terrarum triente, Patriarchæ Antiocheno, S. Petri autoritate, atque antiqua Eccleſiæ conſuetudine commiſſum eſſe noſtra ſententia eſt: quam præter rationem paulò ante allatam multa alia non ſuadent modo ſed euincere videntur. Huius ſententiæ teſtis eſt locupletiſſimus S. Hieronymus aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani ſtylum fortiſſimè ſtringens. Controuerſiæ autem inter eos agitatæ hæc erat hypotheſis. Scripſerat Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, multáque apud eum conqueſtus fuerat de Epiphanio, qui, vt criminabatur, Paulinianum Preſbyterum in parœcia ſua ordinauerat; deque Hieronymo, aliíſque de rebus non pauca: ſcripſerat præterea Eccleſiæ Hiero-

Antiocheni Patriarchatus ex Concilio Niceno fines.

ſolymitanæ curam Theophilum ſuſtinere, vt adulatione quadam eum in ſententiam pelliceret. Aduerſùs eum ſcribens Hieronymus, eiúſque errores, ne fraus alicui fieret, palam traducens, hanc iuris vſurpationem non dimittit impunè. *Tu*, inquit, *qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, & alienos Clericos cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare, reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.* Teſte igitur S. Hieronymo totus Oriens ad Antiochenum Patriarcham pertinet: hæc eſt enim vis & acies argumenti. Totus Oriens ditionis eſt Antiochenæ, nulla pars alteri ſubeſt: Palæſtina Orientis eſt prouincia. Quid igitur illi cum Epiſcopo Alexandrino? Si Antiocheno in Oriente fuiſſent collegæ & ὁμότιμοι, totum Orientem Iuris eſſe Antiocheni non abſolutè dixiſſet; Totum autem abſolutè dixit exaggerationis cauſa, vt argumenti complexio aduerſarium tenaciùs conſtringeret; vel-vti ſi mentem his verbis enuntiaſſet: Vt quid Alexandrino Epiſcopo te committis? Ius ne illi in aliquam Orientis prouinciam obtigit? Neſcis decreto Nicæni Concilij non in quaſdam prouincias ſed in totum Orientem Antiochiam Metropolin eſſe conſtitutam? ſi Orientis prouincia aliqua Antiocheno non fuit obnoxia, vis argumenti luxata eſt.

Rationem hanc aliquis fortè non indoctus hoc diuerticulo ſe facile eludere poſſe ſperabit, ſi Orientem, Diœceſin Orientis quæ Comiti ſuberat, quæque

Orientis limites Patribus Nicænis.

vt iam docuimus, Orientis Romani quinta pars erat, interpretetur; Ita vt Orientalem istam Diœcesim, quæ sic κατ' ἐξοχὴν dicebatur, intellexerit sanctus Hieronymus. Hoc effugium vnicum est quod cum aliqua veritatis specie huius argumenti aciem possit obtundere. Orientem enim asserere in secunda significatione à S. Hieronymo vsurpatum fuisse, absurdam sapit & cæcam ἀνιστορησίαν. Quis enim fando Thraces & Satmatas Antiocheno Patriarchæ subiectos audiuit vnquam? In priore omnia longè sunt absurdissima. Nobis verò Orientem eo loco non modo quarta sed etiam quinta significatione multò ampliorem facile est demonstrare, atque huius instantiæ vires omnes non eludere modo, sed elidere. Verba enim S. Hieronymi nostram sententiam euincunt apertissimè. Quemadmodum Orientis prima Diœcesis, Oriens appellabatur; ita Diœcesis Asianæ prima prouincia, Asiæ nomen, pars à toto Metonymicῶs, referebat; eodémque iure Africanæ Diœcesis prima prouincia vtebatur. Quis igitur tam sui obliuiscitur, vt cum audiat totius Asianæ Diœcesis, aut totius Africanæ Metropolitam, Asiæ sic κυρίως dictæ, aut Africæ prouinciam interpretetur, Asianæ verò Diœcesis decem, Africanæ verò quinque prouincias excludat? Idem de Orientis antonomasia dictũ esto. Non respicit S. Hieronymus ad Comitem, sed ad Præfectum Prætorio Orientis, cuius ditionis quintam partem tantum regebat Comes. Neque etiam cùm hæc scriberet Hieronymus, ad Præfectum Prætorio Orientis præcipuè respiciebat,

sed

ſed ad conſuetudinem à longis retrò temporibus, Eccleſiaſticis & prophanis ſcriptoribus vſitatam; qui, ἀνατολὴν, Orientem, ab Helleſponto ad Gangem & vltrà producunt; Thraciam verò & Ægyptum eo nomine non cenſent: Neque enim Concilij Nicæni tempore, quod præcipuè ſpectat Hieronymus, illa Præfectorum diſtinctio & Prouinciarum diſtributio orbem Romanum peruaſerat. Itaque ridiculum eſt Diœceſim Orientis interpretari quæ nondum erat, idque ſpectaſſe Patres Nicænos quod ipſos latebat.

Age verò demus Patres Nicænos Conſtantinianam reipubl. adminiſtrationem perſpectiſſimam habuiſſe; ad eam tamen canone ſexto, quem ſpectat S. Hieronymus, non alluſerunt. Nihil enim noui ſeſe in rempublicam Chriſtianã inuehere, ſed omnia antiquis moribus componere teſtantur. Ab antiquo igitur & longè ante Nicæna tempora, ciuiliúmque iuriſdictionum à Conſtantino interuerſiones, hoc eſt, ab ipſis Apoſtolis, Epiſcopus Antiochenus totius Orientis eſt Patriarcha. Argumentum præterea maximum & interpretationis noſtræ & rei de qua contendimus, politica eſt Antiochenæ ciuitatis autoritas. In ſtabilienda enim iuriſdictione Eccleſiaſtica, Apoſtolos politicam reſpexiſſe nemini dubium eſt. Religionis etiam ethnicæ ordinem ante oculos habuiſſe autor eſt ille qui Epiſtolas ſub nomine Clementis ad S. Iacobum compoſuit. Sed Antiochia totius Orientis habita ſemper eſt & caput & Metropolis, vt teſtatur S. Chryſoſtomus ciuis Antiochenus, homil. 3. ad popul. Antioch. de profectione Flauiani

Antiochia totius Orientis Metropolis.

D

Episcopi ad Imperatorem. *Nouit ille planè quòd non pro vna sibi nunc ciuitate negotium: sed pro Oriente toto. Ciuitatum enim sub Oriente caput & mater est ciuitas nostra.* Et Zosimus autor ethnicus l. 1. Antiochiam πάσης τῆς Ἑῴας Μητρόπολιν, *totius Orientis Metropolim* vocat, cùm eam à Persis miserè vastatam enarrat. Iurisdictionem igitur Ecclesiasticam in vniuersum Orientem consecutam esse quis ibit inficias, cùm hoc præcipuè ab autoribus Ecclesiasticis disertè asseratur? Sed ad ipsos Nicænos Patres sententiæ suæ fidissimos interpretes prouocemus. In hæc verba Alexandrinis Ecclesiis scribunt de sedata contentione Paschali: *Ea controuersia prudenter & commodè sedata est, ita vt omnes fratres qui Orientem incolunt; quique Iudæorum consuetudinem antè in eo festo obseruando imitari solebant, iam Romanos & nos*, &c. *deinceps sedulò secuturi sint*, Orientem incolunt, inquiunt Patres, qui in obseruatione Paschatis, superstitionē Iudaïcam imitantur. Quinam verò populi præcipuè, imò quinam soli populi Iudaïcum Pascha obseruarunt? Asiatici cum finitimis populis, quorum dux princepsque fuit Ephesinus Episcopus, vt hæc fusè refert Euseb. histor. l. 5. c. 22. & sequentibus. Ad Orientem igitur ex Patrum mente pertinent Ephesus, Asia, finitimæque regiones: Itaque cùm totius Orientis ex mente Concilij Nicæni Metropolim S. Hieronymus Antiochiam vocauit, Orientem intellexit, Asiam Ponticamque Diœcesim ambitu suo complectentem.

Idem innuit euidenter Cōstātinus Imperator Ecclesiis scribēs, apud Euseb. l. 3. de vita Cōstātini, c. 18.

& Gelaſium Cyzic. l. 2. cùm ait eodẽ more omnes Eccleſias Paſcha colere, *Quæ orbis partes vel versùs Occidẽtem, vel versùs Meridiem vel versùs Septentrionem ſitas incolunt, ac nonnullæ quoque quæ in locis ad Orientem ſpectantibus habitant*, non dixit Orientales omnes Eccleſias, ſed nonnullas, eo quòd Orientis magna pars à Iudæorum partibus ſtaret, vt demonſtratum & per ſe notiſſimum eſt. Mendum eſt igitur euidenter irreptitium in verbis Imperatoris ſequentibus, cùm ea quæ generatim de Eccleſiis totius orbis dixerat, ſingulatim enuntiat. Euidentiſſimè enim falſum eſt, Diœceſes Aſianam & Ponticam, Aſianam maximè, à ſuperſtitione Paſchali Iudaïca immunem fuiſſe, cùm eam ferè ſolam hæc labes inſederit. His calculum ſuum addit S. Epiphanius, hæreſ. 70. quæ eſt Audianorum: eandem enim de Paſchate quæſtionem ediſſerens, atque Epiſcopos Iudæis adhærentes enumerans, Orientem ab Occidente ea de cauſa fuiſſe diuiſum affirmat. *Eruditu*, inquit, *non eſt incognitum*, ἐν χρόνοις Πολυκάρπου, καὶ Βίκτωρος, ὡς ἡ ἀνατολὴ πρὸς τὴν δύσιν διαφερομένη εἰρηνικὰ παρ' ἀλλήλων οὐκ ἐδέχοντο. *Polycarpi & Victoris temporibus cùm Oriens ab Occidente diſsideret, litteras pacificas ab inuicem non accepiſſe.* Nihil aliud præterea Epiphanium innuere hæreſi 69. his de Ario verbis, *ex ſe ipſo ignem accendit non vulgarem, qui occupauit omnem fere Romaniam, maximè Orientis partes*, non abnuet lector qui hæreſis Arianæ in Oriente Anteſignanos fuiſſe, Euſebium Nicomedienſem, Theognidem Nicænum, & Menophantum Epheſinum, in memoriam reuocauerit: Neque Optatum

Mendum in epiſtola Conſtãtini caſtigatur.

Mileuitanum hûc spectasse l.6. cùm Donatistas, Schismate suo quod ante Concilium Nicænum fecerant, ab vniuersalis Ecclesiæ communione seiunctos esse contendit, se verò, & Catholicos orbi terrarum vniuerso coniunctos, Orientalibusque sociatos permansisse. Quid verò per Orientales intelligat, explicat ipse. *Voluntatem & iussionem Dei secuti sumus, amando pacem, communicando toto orbi terrarum, sociati Orientalibus: vbi secundùm hominem suum natus est Christus, vbi eius Sancta sunt impressa vestigia, vbi ambulauerunt adorandi pedes, vbi ab ipso factæ sunt tot & tantæ virtutes, vbi eum sunt tot Apostoli comitati, vbi est septiformis Ecclesia.* Per septiformem Ecclesiam, Optatum ad septem Ecclesias Asiæ minoris, quæ variis formis diuinitus S. Ioanni in Apocalypsi figuratæ & expressæ sunt, alludere quis ibit inficias? Ante igitur & circa Concilij Nicæni tempora Prouinciæ omnes quæ Diœceses Asianam & Ponticam composuerunt, Orientis voce vulgò continebantur. Cùm igitur vniuersum Orientem Patriarchæ Antiocheno, Nicæni Concilij decreto subiectum fuisse affirmauit S. Hieronymus. Orientem à nobis descriptum intellexit.

Quæ huc vsque dicta sunt, alterâ S. Hieronymi sententiâ cumulatissimè confirmantur. Vigilantium hæreticum in hunc modum interrogat vir sanctus: *Quid faciunt Orientis Ecclesiæ: Quid Ægypti & Sedis Apostolicæ?* huius breuissimi dicti duo sunt consectanea. Prius, S. Hieronymum Orientis nomine Ægyptum non inuoluere, quamuis à Præfecto Prætorio Orientis administraretur, sed antiquâ nominis signi.

ficationem retinere. Posterius, tribus Patriarchis vniuersum orbem iis quos descripsimus finibus euidentissimè subiicere: Vigilantium enim ab autoritate vniuersæ Ecclesiæ confutat, confutationem verò ab inductione petit, inductionem autem euertit instantia. Si igitur est in promptu instantia, nullius momenti erit ratiocinium. Finge igitur Orientem non complecti Asianam & Ponticam Diœcesim: Regerere potuit Vigilantius, at mecum sentiunt Asianæ & Ponticæ plurimæ prouinciæ. Si Vigilantio in libidine non assentiebantur, nec eas Orientis nomine intellexit, aut elumbe fuit eius telum, aut aliquo alio nomine fuerunt hæ Diœceses enuntiandæ. Dices, Sedis Apostolicæ amplitudine continebantur: quis verò Sedem Apostolicam cum Patriarchis componens, (magna enim paruis componere nonnunquam licet,) Asianæ & Ponticæ prouincias ei inquam attribuit?

Denique Leo, ep. 62. ad Maximum Antioch. Episcopum idem comprobat: Leonis hæc sunt verba. *S. Leonis sententia explicata.* *Neque vllo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis, maximéque in his, quas Antiochenæ Sedi sacratissimorum Patrum Nicæni canones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio insultari.* Quibus duo complectitur, sententiæ nostræ suffragium, dictumque obscurum & perplexum. Sententiæ nostræ apertissimè suffragatur Pontifex, cùm Orientales prouincias iis quas Nicæni Patres Antiocheno Episcopo specialiter regendas assignauere, longiùs patere manifestè asserit: omnes tamen quotquot sunt eidem Episcopo indeterminatè

& infinitè ſubiicit. Maximum enim hortatur Leo vt vtriſque Prouinciis prouideat, non iis tantùm quas ipſi ſpecialiter deputauerunt Patres Nicæni, ſed cæteris etiam Orientalibus; quarum partem non minimam inuadebat Byzantius Epiſcopus. Quis igitur eas definire, certáſque Antiocheno Epiſcopo diuidere audebit? Perplexum verò & obſcurum eſt, cùm ait, Nicænos canones Prouincias quaſdam Antiochenæ Sedi deputaſſe. Nihil enim huiuſmodi canones & acta iſtius Synodi nobis referunt. Quid igitur his verbis ſibi velit S. Pontifex, diuinandum eſt? Duo porrò dixerim. Exiſtimauerim primò, ſanctum Leonem, ad Diœceſim, cuius Primas erat Antiochenus, id eſt, ad Diœceſim Orientalem, reſpexiſſe. Nec obſtat, ante Concilium Nicænum, Diœceſeωn ſortem iactam non fuiſſe: earum enim vſum modernum, non originem tum in mente habuiſſe, crediderim. Multa enim Patribus Nicænis attributa ſunt quæ non ipſi in Concilio Nicæno, ſed ipſorum quidam in aliis poſtea Conciliis aut eorũ Poſteri decreuerunt; cuius hallucinationis aut potiùs conſuetudinis in Nicæni Concilij canonibus exempla ſunt non pauca. Ita canones Apoſtolici dicti ſunt, non tantùm qui ab Apoſtolis ſed etiam qui à viris Apoſtolicis conciliiſque aliquot poſteris conditi ſunt. Vel ſi hæc coniectura tibi diſplicet, ad ſpecialem Antiocheni Patriarchæ Prouinciã reſpexiſſe affirmauerim; quam ante Concilium Nicænum, peculiari iure & autoritate rexit, cuiúſque ſpecialiter Metropolita fuit: quam Concilium Nicænum cum ſpecialibus priuilegiis, canone

ſexto, ei conſeruaſſe videtur. Secundò dico, S. Leonem, per hæc verba, *Neque vllomodo ſinas in Orientalibus Eccleſiis*, Aſianam & Ponticam intellexiſſe. Eâ enim Epiſtolâ grauiſſimè Pontifex in vſurpationem Epiſcopi Conſtantinopolitani inuehitur: è contrà verò Antiochenæ Sedis autoritatem & dignitatem laudibus maximis effert: *Oportet*, inquit, *dilectionem tuam toto corde perſpicere: cuius Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere, & eius meminiſſe doctrinæ quam præcipuus Apoſtolorum omnium Beatiſſimus Petrus per totum mundum quidem vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit: vt illum in ſuæ glorificationis domicilio præminentem*, &c. Quid igitur aliud Antiocheno Pontifici conſulit Leo, quàm vt priſtinam in Orientis Eccleſias autoritatem mordicùs retineat? Auulſas verò ab eius Patriarchatu Aſianæ & Ponticæ prouincias & ab Epiſcopo Byzantino vſurpatas ſibi eripi non patiatur; ſed iſtarum ſicut & cæterarum Orientis prouinciarum curam gerat, maximè verò Diœceſis Prouinciæque illi attributæ?

Barbarorum Catholici Antiocheno Patriarchæ ſubditi.

Vniuerſum Orientem Antiocheno Epiſcopo eſſe commiſſum, præter illa quę diximus, indicio ſunt manifeſto, Barbarorum, qui ad abſtruſiſſimas Orientis partes vagantur Epiſcopi, Catholici nuncupati. Duo vulgò feruntur, Metropolitis & Epiſcopis plurimis in barbarico etiam vltra Gangē conſtitutis, ipſi quidem Imperitantes, Antiocheno verò Patriarchæ obſequium præſtantes, Catholicus Bagdacenſis ſiue Irenopoleos, & Catholicus Perſiæ ſiue Romagyreos:

de quibus Vitriacus histor. Orient. c. 32. & Miræus notitiæ Episcopatuum l. 3. c. 4. Codex canonum Arabicorum, quos Nicænos vocant, can. 33. 34. 35. mentionem facit Seleuciensis Catholici, cúmque & Episcopo Antiocheno subesse, & ciuitatibus Orientalibus, multisque Archiepiscopis præesse affirmat. Catholicum istum à Bagdacensi alium non esse facilè mihi persuadeo. Quamquam enim Seleucia olim maxima esset ciuitas Alexandriæ, & Antiochiæ, vt autor est Strabo, l. 16. facilè comparanda, teste tamen canone 34. Arabico, erat tum temporis ciuitatula in prouincia Babyloniæ sita: Tandem igitur ciuitatula illa deficiente & propè euanescente Babylonem primatus translatus est. Quamobrem quæso Catholici isti siue Primates Antiocheno Patriarchæ subiiciuntur, & sine eius consensu & autoritate aliquid in Ecclesias suas inuehere prohibentur? Nunquid ex eo fluit quòd ipsis persuasum erat id quod dixit S. Hieronymus, totum Orientem Episcopo Antiocheno creditum esse? Huiusce dignitatis optimè sibi conscius Antiochenus Patriarcha Theopoleos & totius Orientis Patriarcham etiam nunc sese insignire solet, huncque titulum illi tribuit fere ante mille & ducentos annos Theodoretus celeberrimus ille Cyri Episcopus, cùm ad Leonem Pontificem scribit, & de depositione sua conqueritur.

Catholicus Seleuciensis idē cum Bagdacensi.

EXER-

EXERCITATIO IV.

De Αὐτοκεφαλίᾳ Cypria.

S. Innocentij locus obscurus elucidatur. Ordinationis iure sublato iurisdictio conseruatur. Libertatis Cypriorum Episcoporum occasio. Decreti Ephesini de αὐτοκεφαλίᾳ Cypria explicatio. Cedreni & Nicephori hallucinatio.

SENTENTIÆ à nobis explicatæ duo in primis aduersari videntur. Innocentius, epist. 18 qui asserit, *Antiochenam Ecclesiam à Nicæno Concilio, super Diœcesim suam esse constitutam, non super aliquam prouinciam.* Deinde contentio inter Episcopum Antiochenum, & Constantiæ Cypri: qua tandem decreto Concilij Ephesini, tomo 2. appendicis primæ c. 4. Constantiensis Episcopus, αὐτοκέφαλος, & sui iuris declaratus est. Priorem obiectionem facile est diluere: Diœcesin enim propriè dictam nec intellexit Innocentius, nec intelligere potuit. Canonem enim Nicænum refert, sed Diœceseων ciuilium distinctiones nondum emerserant, nondum distinctio inualuerat Diœcesis Orientis ab Asiana & Pontica. Deinde Canon ille nihil noui decernit, Patriarcharum tantùm & Metropolitarum priuilegia, finésque antiquos confirmat, néue perturbentur, edicit. Nihil igitur aliud istis verbis significauit Inno-

S. Innocentij locus obscurus elucidatus.

centius quàm Antiochenum Episcopum non vni alicui prouinciæ vt vulgarem Metropolitam esse præfectum, sed variis prouinciis: eò quòd vt prouincia varias parœcias, ita Diœcesis, phrasi Iurisconsultis & Imperatoribus illius temporis vsitatâ, varias prouincias complectitur. Ita Leo Imperator, Philosophus dictus, *Auulsos Metropolitanos à Romana Diœcesi*, dixit, *sicut ab Antiochena*, per Diœcesin omnes Romanas prouincias intelligens, quæ in plurimas Diœceses distribuuntur: Auulsas enim Metropoles enumerat ab Italia longe dissitas, atque ad extremos vsque Græcos relegatas.

Ordinationis iure sublato, iurisdictio conseruatur.

Secundæ obiectioni vno verbulo possum facere satis. Constituit Synodus Ephesina Cypriorum Metropolitam à propria Synodo esse ordinandum, non autem ab Antiocheno Episcopo. Nego inde consequi, nullum ius Antiochenæ Ecclesiæ fuisse in Cypriam. Vera quidem erat illis sæculis hæc propositio, Episcopus illi Metropolitæ subiectus est à quo ordinatur, sed consequentia per negatiuam propositionis istius conuersionem deducta falsa est: Ergo, à quo non ordinatur Episcopus, illi non est subiectus. A Patriarcha enim Constantinopolitano & Primatibus sæpe Episcopi non consecrabantur: ab iis tamen iudicabantur: Negasse hoc satis fuit, pluribus alias demonstrabitur. Ne verò quis incautus offendat ad axioma quod pronunciatur, epist. 3. Iulij I. Pontificis, *Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit*, hanc Epistolam νοθεύεσθαι monent Seuerinus Binius & illustrissimus Baronius. Nego insu-

per Constantiensem Cypri Metropolitam iure perpetuo ab Antiocheno fuisse exemptum, verámque fuisse relationem Cypriorum Episcoporum ad Concilium Ephesinum, asserentium ab Apostolorum tempore Antiochenum, nec quemuis alium in sua insula ius ordinandi sibi vendicasse. Sententiæ verò meæ assertores habeo Innocentium I. Pontificem & Alexandrum Patriarcham Antiochenum. Conqueritur Alexander apud Innocentium, ante Concilium Ephesinum annis triginta: *Cyprios olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non retulisse Nicænos canones in ordinandis sibi Episcopis, & vsque adhuc habere præsumptum vt suo arbitratu ordinent.* Quid vero respondet Innocentius, epist. 18. *Quocirca persuademus eis vt curent, iuxta canonum fidem, fidem Catholicam sapere, atque vnum cum cæteris sentire prouinciis, vt appareat Sancti Spiritus gratia ipsos quoque vt omnes Ecclesias gubernari.* Credidit igitur Innocentius iustas esse querelas & rationes Ecclesiæ Antiochenæ Cypriam sibi vindicantis, nullasque insuper esse in Oriente ἀκεφάλους Ecclesias.

Libertatis Cypriorũ Episcoporũ occasio.

Duæ potissimùm rationes Cyprios mouerunt vt ordinationis αὐθεντίας & supremam autoritatem sibi arrogarent. Prior fuit, nauigationis nonnunquam incommoditas: quum enim Metropolitam suum hyberno tempore vita defungi accidebat, Cyprum Antiochenus, aut Antiochiam Cyprij Episcopi traiicere non sine periculo poterant. Necesse igitur habebant Cyprij plures menses sine Metropolita viuere, quod ne fieret, cùm regulis canonicis cautum esset, ne in

eas impingerent, ordinationē Metropolitæ sibi arrogarunt. Hoc incommodū præuidit canon Arab. 37. Secunda verò, Schisma illud ingens annorum circiter 48. quod Ecclesiam Antiochenam miserè vexauit. Tres enim Schismatis initio in ista Ecclesia Episcopi nomen ostentarunt, Arianorum vnus, Euzoius; Catholicorum duo, Meletius & Paulinus: Meletio, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, cæterique Orientales communicabant: Paulino verò Iulius, Damasus, Athanasius, Eusebius Vercellensis, Hieronymus cæterique Occidentales, eò quòd & Catholicus esset, non secus ac Meletius, & à Lucifero Calaritano Pontificis Legato Antiochiæ creatus fuerat Episcopus. Meletio & Paulino defunctis vtriusque partis asseclæ alios suffecerunt. Deo tandem Ecclesiæ suæ miserante Catholici omnes in Alexandrum, ad quem scribit Innocentius, conuenerunt. Hanc primò defectionis suæ causam Cyprij prætexentes, ordinandi Metropolitæ sui autoritatem sibi vendicarunt: Quem enim primò trium, deinde duorum Patriarcharum consulerent, cùm esset ambiguum, eáque de re grauissimè Orientales cum Occidentalibus disceptarent, ipséque Hieronymus animi dubius ad Damasum scribens hæsitaret, vtrique renuntiarunt donec Schisma sedaretur. Sed eo in dies inualescente, ordinationem iuris esse sui Posteri crediderunt. Alexander igitur ὁμοθυμαδὸν & vna voce à populo & Clero Antiocheno electus, cùm nullum amplius Cypriis superesset defectionis præstigium, autoritatem maioribus suis concessam & à Concilio

Nicæno confirmatam ab iis repetit. Cyprij verò qui tot annorum libertate gaudebant, seruitutem detrectant, iusque sibi præscriptione comparatum autumant. Viginti quatuor annis altercatum est, litem tandem diremisse videntur Ephesini Patres, causaque cecidisse Antiochenus.

Decreti Ephesini de αὐτοκεφαλίᾳ Cypria explicatio.

Huic solutioni maximè officere videntur quæ refert Zenon Episcopus Cyprius, in eodem Concilio Cypriorum causam agens: Affirmat enim, ab Apostolis ad suum vsque tempus ordinationes Episcoporum in insula sua præter insulanos neminem peregisse: cui testimonio fidem adhibens Concilium, ordinationes Cypriis asserit: Crediderunt igitur Patres, constitutionem hanc ab Apostolis originem cepisse. Sed hanc obiectionem nullius esse momenti, quatuor rationibus facilè ostendo. Prima est, Cyprios tres tantùm enumerasse Episcopos in insula ordinatos, Troïlum Sabinum & Epiphanium, cæteros verò vno verbulo comprehendisse. Cùm autem Epiphanius grassante Schismate consecratus fuerit Cypri Metropolita, indicium est, de nullo alio rem liquidam fuisse. Secunda, cùm hæc Cyprij Concilio proponerent, causam Antiocheni Episcopi neminem dixisse, tum enim Schisma quod paulo pòst erupit, ille meditabatur. Schismaticorum in Concilio Ephesino Antesignanus fuit Ioannes Antiochenus Episcopus; Concilium ille diuisit, & conciliabulum coëgit: cuius autoritate S. Cyrillum & Memnonem Ephesiorum Metropolitam deposuit, cæterósque Episcopos excommunicauit, tumultúmque maxi-

mum & in Concilio & in comitatu concitauit: quæ omnia fusè nobis acta Concilij repræsentant: Neque priùs tantæ impietatis Ioannem pœnituit quàm dimisso Concilio eius animum Sacrarum imperialium terror inuasisset. Quid igitur mirum si impius à sanctis iure frustratur suo? Tertia, Patres aduersùs eum sententiam dicunt, non definitiuam sed conditionatam, *Si non est vetus mos quòd Episcopus Antiochenus ordinat in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt*, &c. *per se ipsos ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant.* Cùm igitur hypothetica propositio nihil affirmet, in Episcopum Antiochenum nihil est à Concilio constitutum.

Deniq; rem ita se habuisse, decretúmq; peremptorium non fuisse, testes sunt locupletes Cedrenus in Zenone, & Niceph. hist. l. 16. c. 37. Asserit hic, sub Anastasio, ille verò, sub Zenone Cyprũ libertate donatam, eò quòd S. Barnabæ corpus vna cum Euangelio S. Matthæi pectori imposito & S. Barnabæ manu descripto in insula effossum fuerit. Rem totã ordine narrat Alexãder Monachus, illius temporis autor, apud Suriũ 11. Iunij, quam breuissimè cõtrahimus. Petrus Gnapheus seu fullo, Episcopus Antiochenus autoritatem in Cyprios tantopere contestatam repetit, ea potissimùm ratione nixus, quòd Sedes Antiochiæ esset Apostolica, Euangeliúmque inde in Cyprios esset propagatum. Atque vt incepti faciliùs potiretur, negotium ad Zenonem Imperatorem retulit. Anthimio Constantiensi Episcopo, eò quòd apud Imperatorem minimè gratiosus esset, anxiè fluctuanti, καὶ ἀπὸ μηχανίας,

dormitanti, apparet S. Barnabas; qui corporis ſui reliquias & S. Matthæi Euangeliũ quod ipſe deſcripſerat, ei indigitat, atque Apoſtolum fidei autorem ſe in patria habere vt aduerſariis reponat, præcipit. Hanc reuelationem cùm cognouiſſet & probaſſet Imperator, Petro, ne Cypriis ampliùs negotium faceſſat, interminatur. Huic ſententiæ vt omnes deferrent plurimùm, effecit hęreſis Eutychianæ odium, cuius hyperaſpiſtes erat Petrus. Hinc erraſſe conuincitur Niceephorus, qui ad Anaſtaſium Imperatorem refert quod ſub Zenone accidit: Cedrenus pariter qui tunc Cyprum Metropoleos honorem adeptam fuiſſe ſcribit, quem ab Apoſtolis acceperat. *Nicephori & Cedreni error.*

EXERCITATIO V.

De Patriarchatûs Alexandrini amplitudine.

Sacræ Theodoſij Verſio emendata. Africæ Barbaræ nationes ad Epiſcopum Alexandr. pertinent. Abyſsinorum Primas ſolus presbyteros ordinat. Africa triplex ſignificatio. Africana Diœceſis quare Patriarchatui Romano ſubdita.

QVEMADMODVM Aſia Antiocheni Epiſcopi curæ & ſolicitudini commiſſa eſt, vt per illius vaſtiſſimos campos Euangelij ſementem diffunderet; Ita pari iure Africa Epiſcopo Alexandrino regenda venit. Orbis

terrarum trientem autoritate Apoſtolica ſortitus eſt: quem confirmat Nicæni Concilij canon ſextus. *Antiqui mores ſeruentur qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem*, quibus prouinciis cæteræ omnes Africanæ continentur, vt ſpecialiùs eas enumerat S. Epiphanius, hæreſi 68. Τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τοῦ ἐν τῇ Αλεξανδρείᾳ Αρχιεπισκόπου, πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαραιώτου τε καὶ Λιβύης Αμμωνιακῆς, Μαραιώτιδός τε καὶ Πενταπόλεως ἔχειν τὴν Εκκλησιαστικὴν διοίκησιν. *Hic enim mos obtinet, vt Alexandriæ Epiſcopus, totius Ægypti ac Thebaidis, Maræotæque ac Libyæ, Ammoniacæque & Maræotidis ac Pentapolis Eccleſiaſticam habeat adminiſtrationem.* Patriarchæ Alexandrino decem tantùm Metropolitas ſubiici innuere videtur Theodoſ. iunior, Dioſcoro Alexandrino ſcribens; act. 1. Concil. Chalced. *Tua ſanctitas ſumptis ſecum decem reuerendiſſimis Metropolitis Epiſcopis, qui ſub tua degunt Diœceſi, & aliis ſimiliter decem Epiſcopis, &c. Epheſum Metropolim Aſiæ conuenire abſque vlla dilatione feſtinet.* Huius tamen Sacræ textus Græcus Metropolitarum numerum non præſcribit. Sic enim habet, *Tua ſanctitas aſſumens ſecum*, δέκα μὲν ὁσιωτάτοις Επισκόποις τῶν ὑπὸ τὴν αὐτοῦ διοίκησιν Μητροπολίτας, (legit interpres τοὺς loco τῶν, accuſatiuum pro genitiuo.) Videtur igitur Imperator Dioſcoro iubere nõ decem ſecum Metropolitas aſſumat, ſed decem Metropolitas ex iis qui ſunt in ſua Diœceſi: Quod certe veroſimilius eſt. Plures enim quàm decem Metropolitas in tam amplis prouinciis fuiſſe vix dubitari poteſt. Textui tamen

Sacra Theodoſij Verſio emendata.

Græco

Græco mendæ quædam mihi videntur subesse, quæ non ita facilè restitui possunt. Æthiopiam & prouincias Barbaras vltra Libyam non recensuit S. Epiphanius: aut enim Romanis erant incognitæ, aut fidem Christianam nondum erant amplexatæ. Postquam vero Christo nomen dederunt, simul etiam Patriarchæ Alexandrino se subiici crediderunt: vt huiusce rei fidem nobis facit non tantùm canon Arab. 36. sed etiam Aluarez in Itinerario Æthiopico c. 98. omnésque Lusitanorũ relationes: atque adeò se subiici Patriarchæ Alexandrino credunt Æthiopes, vt defuncto Primate suo nullum alium sibi ordinare audeant, sed ab Alexandrino Patriarcha ordinatum & sibi missum magna cum reuerentia expectent, & excipiant. Cuius reuerentiæ & submissionis recitat Aluarez specimen memoria dignum. Refert enim, proauum Regis qui Abyssinis imperabat, cùm regiones illas peragraret, ne Abunas seu Primates Alexandriâ sed Româ accerseret, in animum induxisse, annósque decem in illo proposito vixisse. Eóque morte sublato, filium eius Alexandrum eidem sententiæ mordicùs 13. annis adhæsisse. Cùm igitur toto illo tempore, quod annorum fuit viginti trium, nullus esset Abyssinis Primas, nullæ pariter in amplissimis & vastissimis illis regionibus celebrabantur Clericorum sacræ ordinationes. Solemne est enim, si Aluari creditur, illis Ecclesiis, vt solus Primas Clericos ordinet. Vniuersâ igitur plebe religionis Christianæ ruinam, deficientibus presbyteris & Ecclesiasticis Officiis, apud Principem lamentante & deplorante, sententiam tandem

Æthiopes ad Patriarcham Alexandrinũ pertinent.

Abyssinorũ Primas solus Presbyteros ordinat.

mutauit Princeps, Primatémque ab Alexandrino Patriarcha impetrauit: qui binos misit, ea conditione, vt defuncto superstes, autoritati succederet. Vtrumque se vidisse narrat Aluarez. Huic tamen sententiæ de amplissimo Patriarchatu Alexandrino repugnare videntur innumera propè testimonia quæ Africanas prouincias Carthaginiensi Episcopo subditas testantur; Nullum verò argumentum est eas Alexandrino aliquando paruisse, nullum autoritatis in eas olim exercitæ vestigium; Nullus vnquam præter Pontificem Romanum appellationes istarum prouinciarum cognouit, aut eis ius dixit. Hæc ita explorata sunt, vt frustra sit qui testium nubem illa probaturus cogere tentauerit. Neque ego contra sentio; varietatis tantùm causa nobis inuestiganda est.

Africa triplex significatio. Africæ triplex est significatio, aut potius significationis gradus. Strictissimè vsurpatur pro Africæ prouincia sic κυρίως dicta: quæ è sex Romanis prouinciis vna est, cuius Sedes & Metropolis erat Carthago. Latiùs pro sex illis prouinciis, quibus Romani præerant, quæ simul Diœcesim vnam constituebant; cuius Vicarius Præfecto Prætorio Italiæ parebat, eo sensu à Patribus, Imperatoribus, & Iurisconsultis fere semper sumitur: latissimè verò pro tertia mundi parte vastissima, quę vndiq; ferè ad modũ peninsulę, Oceano, mari Mediterraneo & Rubro alluitur, breuíque tantum Isthmo Asiæ iungitur, & porthmo ab Europa diuiditur: Hac significatione à Geographis vsurpatur, & quoties Asiæ vel Europæ opponitur. Illam potissimùm spectauimus, cùm Alexandrino Patriarchæ

Africam ſubiectam eſſe diximus. Quare verò ſex illæ prouinciæ Africanæ dictæ, à Patriarchatu Alexandrino auulſæ, Romano tributæ ſunt, tres mihi rationes præcipuæ videntur. Vicinitas primò regionum: à Roma enim longè propiùs abſunt quàm ab Alexandria; ab Ægypto longiſſimo terrarum tractu diſtant, ab Italia breuiſſimo maris traiectu. Deinde Latina lingua in Africanis illis prouinciis vſitatiſſima erat, ſicut Græca in Ægypto & circumiacentibus prouinciis: Vt enim in has, Græcorum, ita in illas, Romanorum coloniæ plurimæ deductæ fuerant. Nobilibus itaque omnibus plebiſque non minimæ parti vernacula erat lingua Latina, quam ſcribit Auguſtinus in confeſſionibus inter gerularum & lactantium blandimenta ſe hauſiſſe. Hinc factum eſt vt ſancti Petri ſucceſſores, Epiſcopos illùc miſerint, qui populos iſtos Euangelij doctrina imbuerent. Fuit autem ab antiquis communi lege veluti ab Apoſtolis accepta ſtabilitum, vt quem quiſque Epiſcopus populum Chriſtianum feciſſet, ei imperaret, atque ita ad eum Patriarcham pertineret populus ille, ad quem Epiſcopus. His igitur de cauſis cùm Pontifex Romanus populos illos in fide erudiendos ſuſceperit, illorum regimen penes alium eſſe non debuit. In eum enim qui genuit, educandi quoque onus incumbit. Præterea Epiſcopus Romanus Occidentis Patriarcha ſemper habitus eſt, Africanæ quoque illæ prouinciæ inter prouincias Occidentales ſemper recenſitæ ſunt, atque Occidentis Imperatoribus attributæ: Patriarchæ igitur Occidentali ſubeſſe quid erat

Africana Diœceſis quare Patriarchatui Romano ſubdita.

æquius? Denique ercifcundæ familiæ Chrifti Patriarchis omnibus & Epifcopis arbiter datus eft Pontifex Romanus. Prima iurifdictionis Ecclefiafticæ iecit fundamenta Petrus: cùm lis aliqua fuboritur, Pontificis eft Romani eam dirimere, Epifcopatuum fines præfcribere, producere vel contrahere. Debuit igitur tot rationibus id fuadentibus, iftas Africæ prouincias fibi vt Patriarchæ committere.

EXERCITATIO VI.

De Patriarchatus Occidentalis variis limitibus.

Pontifex omnium Epifcoporum Princeps, omnium virtutem continet. De Macedonica & Dacica contentio cum Epifcopo CP. de Bulgarorum Diœcefi. Prouinciæ è Patriarchatu Romano ereptæ, à Northmannis reftitutæ. Theodofij lex in gratiam Epifcopi CP. nunquam in vfu.

PATRIARCHARVM omnium maximus, Epifcopus eft Romanus, cui præter fupremam in Patriarchas poteftatem, totiúfque orbis Chriftiani vniuerfalem adminiftrationem, Occidentis & Europæ à Chrifto, S. Petri minifterio, cura fpecialis commiffa eft, quam iure Patriarchico regit, vt Antiochenus Orientem, aut Alexandrinus Ægyptum, cæteráfque

Africanas prouincias. Quemadmodum autem aiunt Philoſophi, cauſas ſuperiores inferiorum virtutem & efficaciam eminenter continere; affirmátque S. Dionyſius Hierarch. cæleſtis cap. 5. Hierarchias angelicas ſuperiores, illuminationes, virtutes & poteſtates omnium Inferiorum participare, ſed vicem non eſſe mutuam. αἱ μὲν ὑπερβεβηκυῖαι τάξεις, vt ait elegantiſſimè, ἔχουσι καὶ τὰς τῶν ὑφειμένων διακοσμήσεων ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις· ἀμέθεκτοι δὲ τῶν αὐτὰς ὑπερκειμένων εἰσὶν αἱ τελευταῖαι: Ita Pontifex Romanus inferiorum omnium, Epiſcoporum, Metropolitarum, Primatum & Patriarcharum, virtutem, efficaciam, perfectionéſque omnes in ampliſſimæ poteſtatis ſuæ pomœrio complectitur. Ordinariâ itaque autoritate, cùm res ita exigit, cùm contentio ſuboritur, cùm fides læditur, diſciplina Eccleſiaſtica peſſundatur, aliiſque eiuſmodi de cauſis, per vniuerſum orbem agere poteſt Epiſcopum, Metropolitam, Primatem, Patriarcham. Et prætereа ſupremo & indiuiduo iure, ad ipſum, Patriarchas ab officio ſuſpendere, deponere, excommunicare pertinet, aut ſuſpenſos relaxare, depoſitos reſtituere, & excommunicatos abſoluere. *Si qua culpa*, ait S. Gregor. epiſt. l. 7. ep. 65. *in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubiectus non ſit:* &. eodem libro ep. 64. *De Conſtantinopolitana Eccleſia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apoſtolicæ eſſe ſubiectam? quod & piiſſimus domnus Imperator, & frater noſter Euſebius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur:* ſed hæc autoritas ei non competit quà Patriarcha, verum quà ſummus Chriſtianorum Pontifex,

Pontifex omniū Epiſcoporū virtutem complectitur.

quam ab hæreticorum furoribus & latratibus ſtrenuè vindicarunt Catholici ſcriptores.

Vniuerſus Occidens ad Patriarchatũ Romanũ pertinet.

Occidentem vniuerſum Romano Pontifici ceſſiſſe non diffitentur Schiſmatici. Quid obmurmurent hæretici cùm ſint αὐτοκατάκριτοι, nihil moror. Id autem è canone ſexto Nicæno euincere ſibi videntur. *Antiqui mores* decernunt Patres *ſeruentur, qui ſunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, Vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum: ſimiliter & in Antiochia, aliiſque prouinciis.* Sic canonem iſtum intellexit Zonaras Schiſmaticus, *Alexandrinum Epiſcopum iis qui in Ægypto, Libya ac Pentapoli ſunt, præſidere, Antiochenum ſubiectis ſibi prouinciis,* &c. *præeſſe iubet: quemadmodum & Eccleſiæ Romanæ præſes*, τῶν Ἑσπερίων ἀρχὴν ἔθος ἐκεκράτησε, *In Occidentales prouincias principatum diuturna conſuetudine obtinet*, Eadem verba de Epiſcopo Romano afferunt Balſamon & Nilus Archiepiſcopus Theſſalon. de Primatu Papæ. Inter prouincias autem Romano Patriarchatui ſubiectas has enumerat Zonaras in canon. 5. Sardicenſem, Macedoniam, Theſſaliam, Illyricum, Peloponneſum & Epirum. Leo præterea Imperator Græcus, cognomento Philoſophus circa annum Chriſti 890. ad finem diſpoſitionis ſeu notitiæ Eccleſiarum ſub throno Conſtantinopolitano, inter Metropoles à Diœceſi Romana diſtractas has recenſet: Theſſalonicenſem, Syracuſanam, Corinthiam, Rhegienſem, Nicopolitanam, Athenienſem, Patrenſem, Iuris Orient. l. 2. Ex quibus conſtat Græcorum ipſorum teſtimo-

nio vniuersum Occidentem Patriarchatui Romano addictum fuisse.

Præterea Patriarchatum Romanum ea fuisse amplitudine, eaque significatione antiquitùs ab vniuersali Pontificis autoritate distinctum, duobus argumentis euidentissimè euincitur. Adrianus I. epist. 3. post libri contra imagines, refutationẽ, has prouincias sibi ademptas grauissimè conqueritur. *Si enim*, inquit, *vbique Christianorum Ecclesiæ canonicè intactas possident suas Diœceses, quanto amplius sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, suam Diœcesin videlicet Archiepiscoporum & Episcoporum*, &c. *irrefragabili iure & tenere & possidere modis omnibus debet?* eadem epistolâ hæc nisi restituantur excommunicationem interminatur. Quæ autem prouinciæ ademptæ fuerint, explicauit supra Leo Imperator Græcus, explicat præterea Nicol. I. epist. 2. & Hadriani II. vita, eas scilicet quibus vt Vicarius præerat Archiepiscopus Thessalonicensis, Epirum vtramque, Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaïam, Daciam Ripensem & Mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam & Præualim. Prouincias istas neque ad Romanum Pontificem pertinere vt Primas est, ne dum vt Metropolita simplex aut Episcopus, ex eo patet, quòd duarum sint diuersarum ab Italica Diœceseon: Neque, vt summus Pontifex, cùm isto iure non duas Diœceses sed vniuersas repetere debeat; tum verò maximè quòd Ecclesia Constantinopolitana eo tempore cum Ecclesia Romana Schismate sublato in gratiam rediisset,

Patriarchatus Romani ab vniuersali autoritate distinctio.

eique se subesse non inuita profiteretur. Quæstionis igitur inter eos agitatæ hypothesis vel fuit, an Thessalia, Achaïa, finitimæque prouinciæ Episcopo Romano, vt summo Christianorum Pontifici, subessent; an verò vt Occidentis Patriarchæ: Tertium ne fingi quidem potest. Prius falsum est: eo enim modo non tantùm istas prouincias sed se ipsum Ecclesiæ Romanæ subiici tum temporis non indignè ferebat Episcopus Byzantinus: Posterius igitur verum est, de Patriarchatu Romano litem fuisse, hasque prouincias ad eum pertinuisse.

De Bulgarorũ Diœcesi contentio. Argumenti secundi eadem est complexio, idemque ratiocinium. Bulgari postquam Dardaniam Europæam finitimásque prouincias Græcis eripuerunt, ibique Sedes fixerunt, autore & administro Nicolao I. Pontifice religionem Christianam ritúsque Latinos amplectuntur: Interea Græci clanculùm agere, neophytos istos ad se pellicere, presbyteros suos intrudere tentant, vt quas prouincias paulò ante Barbarorum victorias iniquè possederant, iniquiùs recuperatent. His artibus cùm Barbari contentionibus vexarentur, lis omnis ad Synodum octauam deducta est: sed fretis Basilij Imperatoris Græci potentiâ Patriarchis Orientalibus, cùm res prosperè non cederet, accedente præcipuè nostrorum non satis festina diligentia, in potestatem Græci Patriarchæ tandem labuntur Bulgari. Vt fusè hanc historiam refert autor vitæ Adriani II. Huic scelestæ vsurpationi sese fortiter opponit Hadrianus II. Sed in primis Ioannes Octauus, Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum

politanum Hadriani II. prædeceſſoris ſui autoritate reſtitutum ni morem gerat, & prouincia cedat, ſeſe excommunicaturum minatur, epiſt. 78. 79. A Photio Ignatij ſucceſſore idem repetit epiſt. 99. 200. 201. tandemque non iniuſſu Imperatoris obtinet ep. 251. Sancta fuit Synodus octaua, in qua contentio hæc agitata eſt: Sanctus ipſe Ignatius, Pœnitens Photius; Eccleſiam Romanam vt omnium matrem & principem omnes venerabantur. De Patriarchatu igitur Romano, an ad ipſum pertineret Bulgaria, an verò ad Conſtantinopolitanum, omnis erat diſceptatio. Aliæ duæ rationes in huius rei confirmationem afferri poſſunt: ſed eas breuiter perſtringimus, quia in poſterioribus fuſiùs retractandæ nobis occurrent. Altera à Vicariis petita eſt, quos ordinarios in variis Diœceſibus, intra tamen Patriarchatus ſui limites conſtituebat Pontifex. Quamobrem enim Vicarios ordinarios in Occidente habuit plurimos, qui de cauſis maioribus vice verè ſacra iudicarent, extra verò nullos haberet, niſi Occidentis ſpeciali quadam ratione Epiſcopus fuiſſet? Altera verò à iure Patriarchico, quod à iure Pontificis Oecumenici, Primatum, cæterorúmque diſtinctum fuiſſe aliquando demonſtrabimus.

Quæ Prouincia è Patriarchatu Romano ademptæ ſint.

Neque anguſtis his finibus primùm definiebatur Patriarchatus Romanus. Ante Concilium Conſtantinopolitanum primum ad ipſum pertinebat Thracica Diœceſis, & ante Chalcedonenſe, quotquot viuebant in Barbarie Europæa Chriſtiani. Pontifex enim Romanus ſemper habitus eſt Occidentalium

Archiepiſcopus & Patriarcha. Ad Concilium verò vſque Nicænum Occidentalis tractûs pars Thracia fuit, atque ipſum Byzantium, vt ſuprà demonſtratum eſt. Mutilationis igitur, atque, vt ita dicam, exoſſationis Patriarchatus Romani; incrementi verò Patriarchatus Conſtantinopolitani hæc fuit gradatio. Thracica Diœceſis à Concilio CP. I. aut illius decreti arrepta occaſione auulſa eſt. Europæi Barbari atque iterum Thracica Diœceſis à Concilio Chalcedonenſi: Macedonica verò & Dacica Diœceſes, cum Sicilia magnáque Italiæ parte ab Imperatoribus Iconomachis. Sed Sicilia tandem atque vniuerſa Italia, Francorum & Northmanorum virtute Pontifici Romano reſtituta eſt. Iis quæ dicta ſunt de Illyricis Prouinciis, ab Imperatoribus Iconomachis è Patriarchatu Romano auulſis, contradicere videtur Theodoſij Imperatoris ſanctio, quæ omnes iſtas Prouincias Epiſcopi Conſtantinopolitani poteſtati ſubiicit. l. 6. de Sacroſanct. Eccleſ. & l. 45. de Epiſc. & Cler. C. Theod. Legis hic eſt textus: *Omni innouatione ceſſante, vetuſtatem & canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui vſque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici prouincias ſeruari præcipimus. Si quid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri reuerendiſſimi Sacroſanctæ legis Antiſtitis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, ſanctoque iudicio reſeruari. Dat. Prid. Idus Iulij: Euſtathio & Agricola Conſſ.* ad quam alludere videtur Socrates hiſt. l. 7. c. 28. eamque latiùs ad Aſianæ & Ponticæ Prouincias diſtendere: In Aſia tamen à Cyzicenis

Theodoſij lex in gratiam Conſtant. Epiſcopi lata, nunquam recepta.

neglecta est. Metropolitam enim quem illis ordinauerat Sisinnius Episcopus CP. excipere noluerunt, déque alio sibi prouiderunt, legem in gratiam Attici Episcopi CP. nominatim latam esse prætexentes; quam ex priuilegiorum natura in successores diffundere iniquum erat. ἠμέλησαν δὲ τοῦ νόμου τούτου, ὡς Ἀττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον παραχθέντος. Atque ita res obtinuit, ratáque habita est alterius Episcopi ordinatio. Sed præter Cyzicenorum exceptionem assero, atque res per se euidens est, in Illyrici Occidentalis Prouincias Episcopum Constantinopolitanum ante Iconomachos nullam vnquam autoritatem exercuisse. Epistola 82, S. Leonis ad Anast. Thessalonicensem, Plurimæ S. Gregorij Epistolæ, ipsum Chalcedonense Concilium, Iustiniani Nouella de erectione Iustinianeæ in Archiepiscopatum, Leonis Sapientis notitia Metropoleων & Archiepiscopatuum throno Constantinopolitano subiectorum, aliaque permulta quæ iam à nobis explicata sunt, aut necessariò explicanda erunt, sanctionem illam Attici fraude irrepsisse, atque in vsum & praxim, quod ad Illyricum attinet, nunquam vocatam fuisse, luce meridiana clariùs comprobant.

Vide Theodoret lib. 5 hist. cap. 28

EXERCITATIO VII.

De Irreptitiis Patriarchis.

Natiui Patriarchæ tres. Hierosolymitanus Episcopus quando Patriarcha creatus. Patriarchis suffraganei attribuuntur. Quinque Patriarchæ quinque sensibus comparantur. Codini versio emendatur. Quid apud Græcos προβλησις, χειροτονία, *maius & minus sigillum. Nullus in Occidente præter Pontificem Patriarcha. Occidentis Primates omnes, Patriarchæ dicti.*

Natiui Patriarchæ tres.

PLVRES hisce tribus Patriarchis, quingentis annis ad Iustinianum vsque Imperatorem Ecclesia Catholica non agnouit: Tres illi soli sunt à S. Petro instituti, & à Concilio Nicæno confirmati, præter quos, Leo I. Sanctissimus Pontifex nullos alios nec admisit, nec vt admitteret, cogi potuit. *Priuilegia Ecclesiarum*, inquit aduersus Byzantinum Parœcum Patriarchatui inhiantem, epist. 54. *Sanctorum Patrum canonibus instituta & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.* Ideo confidenter, vt vniuersæ Ecclesiæ decebat Oeconomum, Concilij generalis Chalcedonensis decretum, de euehendo in Patriarcham, cæ-

terisque Patriarchis preferendo Episcopo Byzantino, principis Apostolorum autoritate rescindit, epist. 55. ad Pulcheriam Augustam. *Consensiones Episcoporum, Sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per autoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Autoritatis suæ mucronem, ep. 62. ad Maximũ Antioch. Episcop. in Ierosolymitanum Episcopum pariter stringit, eiusdem ambitus reum. *In Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus* (Hierosolymorum) *ad obtinendum Palæstinæ principatum, credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare.* & paulo post. *Hoc tamen proprium diffinitionis meæ est, vt quantumlibet numerus sacerdotum amplior, aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur.* Hæc fuit sententia Felicis II. ep. 1. aut eius qui tam sancto nomine Epistolam composuit. *Primates illi & non alij sint, quàm qui in Nicæna Synodo sunt constituti:* Patriarchas, Primates vocauit, sed omni λογομαχίᾳ seposita, Tres sunt ex eius sententia & Concilij Nicæni constitutione, siue Primates siue Patriarchæ, κατ' ἐξοχὴν dicti. Simile est Nicolai I. ad consulta Bulgarorum responsum c. 92. *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi sunt Patriarchæ qui Sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent*, &c. *Romanam videlicet, Alexandrinam & Antiochenam*, &c. *Constantinopolitanus autem & Hie-*

rosolymitanus Antistites, licet dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen autoritatis, quantæ superiores existunt. Alij igitur etsi Patriarchæ nomine insigniantur, veraciter tamen & κυρίως illud non obtinent.

Adscititij Patriarchæ duo. Præter istos, adscititij & irreptitij fuerunt Patriarchæ duo: qui diu obnitentibus Pontificibus, tandem eorum consensu, Patriarchæ nomen, honorem, rem, reique & honoris priuilegia consecuti sunt, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus. Quibus gradibus, aut potius quibus fraudibus, ad tantum dignitatis culmen prior ascenderit, cùm in sequenti obseruatione multa verba nobis necessariò facienda sint, nunc agere omittimus. Posterior ad hunc summum dignitatis Ecclesiasticæ apicem cæca ambitiosi animi libidine euectus est. Vulgaris, quod ad iurisdictionem attinet, & de grege cæterorum Episcopus, ad Concilium vsque Nicænum habitus est; honoris quidem & Sedis prærogatiuâ quadam antiquitus concessa gaudebat, sed quæ de iure & autoritate Metropolitani sui Cæsareensis Episcopi nihil detraheret. Quem ordinem inuiolatum illibatúmque conseruari iussit Concilium Nicænum c. 7. *Quoniam obtinuit consuetudo, & antiqua traditio, vt qui est in Ælia Episcopus, honoretur; habeat honoris consequentiam Metropoli propria dignitate seruata.* Idem præterea testatur de suo tempore S. Hieronymus aduersùs Ioannem Hierosol. Episcopum scribens: superbienti enim Ioanni Æliæ Metropolim Cæsaream obiicit. Tunc tamen ægrè ferebat Æliæ Episcopus Antiocheno se subiici, nedum Cæsareensi: exortæ iam tum erant de

Diœceseωn finibus contentiones, quæ cùm in dies recrudescerent, lis tandem à Maximo Antiocheno Episcopo & Ioanne Hierosolymitano ita composita & dirempta est, & à Concilio Chalcedonensi actione 7. confirmata, vt tribus Palæstinis Patriarchatui Antiocheno ademptis, earum Hierosolymitanus esset αὐθέντης & Patriarcha. Ea autoritate postea vsum fuisse testatur Concil. Hierosolym. quod sic incipit: *Post Consulatum Flauij Belisarij, gloriosissimi, 13. Cal. Octobris, indict. 15. in colonia Ælia Metropoli & Hierosolymis præsidente sanctissimo & beatissimo Patriarcha Petro in secreto venerabilis Episcopatus suæ beatitudinis, & assistentibus Sacerdotio suo sanctissimis Episcopis trium Palæstinarum.* Huius præterea vestigium est in act. 5. Synodi Constantinop. sub Mena, Epistolâ Ioannis Episcopi Hierosol. & Synodi trium Palæstinarum ad Ioannem Constantinopolitanum.

Hierosolymitanus Episcopus quãdo Patriarcha creatus.

Innouationi fortissimè sese opposuit Leo Pontifex, vt vidimus: Imperatoribus tamen in contrarium incumbentibus, rationéque ipsâ veluti suadente, vsurpationem istam calculo suo Pontifices tandem comprobarunt. Iniquum enim visum est, Ecclesiam tamdiu inhonoratam præterire, quæ, vt loquitur Theodoretus, & Iustinus Imperator ad Hormisdam, ἁπασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν μήτηρ, omnium Ecclesiarum Christianique nominis mater audiebat. Nouo Patriarchæ ex mutilatis Orientis & Ægypti Diœcesibus, si Guilielmo Tyrio & Prouinciali Romano credimus, Diœcesis assignata est, Suffraganeíque aliquot, ne Metropolitis esset inferior, de more attributi. Diœcesis illa ex

Hierosolymitano nouo Patriarcha Metropolitæ & Suffraganei attributi.

4. prouinciis, Cæsareensi, Schytopolitana, Rabensi & Beritensi, coaluit: quarum duæ priores ab Antiochenâ, reliquæ ab Ægyptiaca Diœcesi auulsæ sunt; Suffraganeos verò viginti quinque crearunt, in quos immediata potestas illi concessa est. Eos enumerat ex codice Prouinciali vetere, & ex Guilielmo Tyrio Miræus, in libello de notitiâ Patriarchatuum. Rem autem ita se habuisse, cùm primùm Hierosolymitanus Episcopus Patriarchica dignitate donatus est, planè necessarium fuit. Id enim aliter fieri perpetua Ecclesiæ consuetudo non patitur. Deinde absonum foret, Episcopum, Patriarchico fruentē iure, Metropolitico destitui; autoritatē maximam concedi, minorem in eadem specie denegari. Denique cùm veteres Prouinciarum codices idem testentur, antiquissimæ traditioni hoc acceptum quis non referet? Francis tamen in Oriente dominātibus, viginti quinque illi Episcopi ad ternarium numerum redacti sunt, Bethleemitanum scilicet, Ebronensem, & Liddensem, si non fallitur qui veterem Prouinciarum codicem luce donauit. Certum quidē est ex Tyrio l. 14. c. 11. 12. de bello sacro, Archiepiscoporum numerum illi accreuisse; Suffraganeorum verò decreuisse, cur fiet improbabile? Animaduersione autem dignum est, in Concilio Hierosolymitano, anno 536. in causa Anthimi celebrato, cui Syngraphas 48. Episcopi inscripserūt, prouinciarum ex Ægyptiaca Diœcesi distractarum nullum subesse vestigium. Primi subscribunt Elias Cæsareensis & Theodosius Scythopolitanus Episcopus: Rabensis, Beritensis aut Becerensis nulla

nulla mentio. Priores duæ Concilij Chalcedonensis autoritate; Posteriores, quinta Synodo vel aliâ quauis, eadẽ priuilegia amplificante & confirmante, Hierosolymis attributæ sunt. Nonnulla prætereà à Latinis, cùm in Francorum potestatem Hierosolyma peruenit, immutata. Sed quidquid sit, Patriarchatus iste finium angustiis, vndique plurimùm angebatur, tantum abest vt Diœcesin cui Primas præsidet, excederet, vt ad eam vix accederet, iure tamen & priuilegio Patriarchico vtebatur.

Quinque igitur Patriarchas paulò post Concilium Chalcedonense celebrauit Ecclesia, Tres, vt ita dicam, καθ' ἑαυτὸ, per se & ex natura sua, Romanum, Alexandrinum & Antiochenum: duos, κατὰ συμβεβηκός, per accidens, Constantinopolitanum & Hierosolymitanum. Plures non enumerauit Iustinianus, Nouell. 123. c. 3. nec apud Iulianum Antecessorem, Nouell. 115. c. 431. *Iubemus*, inquit, *beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, senioris Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum; si quidem consuetudo habet Episcopis & Clericis in eorum ordinatione non minus quàm viginti auri libras dari, ipsa solummodo præbere quæ consuetudo recognoscit.* Plures non agnouit Basilius Græcorum Imperator, in octaua Synodo, act. 6. *Iudicium*, inquit, *quatuor Patriarcharum quis rescindet? Ad quem, vt ab anathematis Censura expediamini, confugietis, qui in quadruplici hoc Patriarcharum foro estis condemnati?* Quatuor autem tantum enumerat Patriarchas: quia in ea Synodo de Photij Patriarchæ CP. depositione præcipuè agebatur;

Patriarchæ quinque fuerũt nõ plures.

in quam cæteri omnes Patriarchæ consentiebant. Ideò Photio & Photianis ait, cùm à quatuor Patriarchis condemnati sint, nullam illis superesse sententiæ retractationem. Anastasius Bibliothecarius ep. ad Adrian. II. octauæ Synodo præfixa, quinque similiter recenset, & quinque corporis sensibus comparat. *Cùm Christus*, inquit, *in corpore suo, quod est Ecclesia, tot Patriarchales Sedes, quot in cuiusque mortali corpore sensus locauerit, profectò nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ Sedes vnius fuerint voluntatis.* Anastasij continuator Guillielmus, Bibliothecarius similiter Apostolicus, Collegæ suffragatur in Adrian. II. *Cum Vicariis Patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, simulque Patriarcha Ignatio callidè conuocati.* Eadem est Balsamonis in meditatis siue responsis de Patriarch. priuilegiis, iuris Orient. l. 7. & sententia & similitudo. Interrogatus est Balsamon ipse Patriarcha Antiochenus, πόθεν καὶ πῶς ἡ τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν οὐσιώθη πεντάς, *Vnde & quomodo sanctissimorum Patriarcharum quinarius extiterit.* Plures non recenset; Rationes multas affert, quare non plures; Vniuersum orbem inter eos diuisum asserit, Ecclesiámque πεντακόρυφον, quinquecipitem non semel appellat. Multa quidem miscet Balsamon absurdissima, vt quinque illos Patriarchas, etsi inter se sint æquales, omnes tamen vnum esse Ecclesiæ caput; omnes à S. Petro institutos fuisse, similiáque non pauca: sed tamen inde euincitur, Quinque tantum Episcopos Patriarcharum prærogatiuis insignes fuisse, constantem esse Orientis & Occidentis

Ecclesia πεντακόρυφος.

ſententiam. Quinque tantùm nec plures Codino Curopalatæ cogniti fuerunt. Hæc ſunt eius verba cùm de feſtis Palatij Conſtantinopolitani in feſto Epiphaniorum, ex Iunij verſione, *Conſecratio autem poſt Liturgiam, ſi Oecumenicus adeſt Patriarcha, ab ipſo fit; ſin minùs, ab aliquo vno ex Patriarchis aliis, ſiue Alexandrino, ſiue Antiocheno, ſiue Hieroſolymitano, ſi fortè aderit. Quòd ſi fortè contingat, horum adeſſe neminem, facit conſecrationem Palatij Protopapas.* Et rurſus cùm de Patriarchæ ordinatione verba facit: *Patriarcha deſignatur ſolùm, quia ab Imperatore facta deſignatio pro minore ſigillo ducitur. Similiterque citra mutationem fit etiam deſignatio Patriarcharum aliorum Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum.* Patriarchas Orientales plures quatuor nunquam enumerat. Grauiter autem hallucinatur interpres, cùm πρόβλησιν, & χειροτονίαν confundit. πρόβλησις Epiſcopi aut Sacerdotis eſt electio ſeu deſignatio, χειροτονία ordinatio ſeu conſecratio. Illam, minus ſigillum vocat Codinus; hanc, maius: Illam Imperator cùm de Patriarchis agebatur, vſurpauerat; hanc nec vſurpauit vnquam nec vſurpare potuit.

Codini verſio emendata.

Quid apud Codinum minus & maius ſigillum.

Iſtam χειροτονίας ſignificationem ſexcenta canonum & Patrum teſtimonia comprobant, ſed ea hûc referre præpoſterum nimis: Zonaræ teſtimonio in I. can. Apoſtol. res explorata erit. *Nunc*, inquit, χειροτονία, *vocatur abſolutio precum, ſanctique ſpiritus inuocatio, dum Sacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur.* Ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον: *Ex eo dicta quòd Pontifex homini con-*

Zonaræ lapsus. *ſecrando benedicens, manum extendat.* Olim, addit Zonaras, χειροτονίαν ſuffragium ſignificaſſe, idque euincere ſatagit ex can. 5. Laodiceno, qui eſt eiuſmodi, *Non oportere χειροτονίας fieri in præſentia Audientium.* Sed argumentum eſt ridiculum; prohibet enim Concilium duntaxat, ne Clericorum χειροτονίαι, ordinationes, in Catechumenorum & Audientium præſentia celebrentur: Vnde contraria Zonaræ ſententia conſurgit. Nam longè minùs diſciplinæ Eccleſiaſticæ intereſt, Sacerdotum electiones coram Catechumenis & Audientibus habere, quàm myſticos Sacramenti Hierarchici ritus iiſdem euulgare, καὶ τὰ τῆς τῶν ἱερέων καθιερώσεως ἀπόῤῥητα βεβήλοις καὶ ἀμυήτοις ἐξορχεῖσθαι. Clericorum igitur conſecrationes ſpectauit, & ſpectare debuit Concilium Laodicenum. Sed Zonaram feſellit, vtrumque canonem, & Apoſt. 1. & Laodic. 5. commentantem, vox illa τῶν ἀκροωμένων, quâ Chriſtianos fideles intellexit: cùm phraſi antiquis canonibus Græcis vſitatiſſimâ, Catechumeni & Pœnitentes, qui dicuntur Audientes, ſignificentur; Vnde ἀκρόασις ſecundum Pœnitentiæ genus dictum eſt: de quo ſæpius ſequenti libro verba faciemus. Animaduerſione autem dignum eſt, Patriarchicam hiſtoriam quæ extat apud Cruſium, Turcogræciæ l. 2. Μήνυμα vocare in Gennadio & ſequentibus Patriarchis, id quod Codinus σφραγίδα dixit & ſigillum. Μήνυμα ſimiliter iſtud, ſeu ſignificationem & ſignum duplex ſtatuere paruum & magnum; atque vtrumque à χειροτονίᾳ ſeu ordinatione diſtinguere, non prius tantùm, *Quid Μήνυμα duplex in Electione Patriar-* vt Codinus. Quid ſignificatio illa, ſeu ſigillum paruũ

& magnum apud Græcos recentiores ſignificent, ex eadem hiſtoria colligitur. Μήνυμα μικρὸν conſilium videtur fuiſſe Cleri & populi de Patriarcha eligendo, quòd ita Patriarchæ ſignificabatur vt penes eum eſſet huic deſignationi renuntiandi poteſtas. Μήνυμα δὲ μέγα ſignificatio magna, ſententia erat Cleri & populi rata & fixa hunc διὰ τοῦ μηνύματος μικροῦ, deſignatum in Patriarcham conſecrandi. Significatione iſta de more facta, Patriarcha etiam inuitus à Metropolita Heracleinſi ordinabatur: Si verò anteà Epiſcopus erat, ordinatione omiſſa, in throno patriarchico collocabatur, pedóque à Turcarum Imperatore accepto, Patriarchicam autoritatem exercebat: Sed ne hæc à nobis ἀπροσκόπως προξενῶσθαι videantur, in ſcamma noſtrum maturè & ἀπροσκόπως noſmet recipiamus.

cha Conſtantin.

Prodeat igitur Concilij in Trullo Canon triceſimus ſextus, hoc eſt, Græcorum omnium ſuffragia colligantur, *Decernimus vt thronus Conſtantinop. æqualia priuilegia cum antiqua Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotiis vt illa magnifiat, vt qui ſit ſecundus poſt illum; poſt quem magnæ Alexandrinorum ciuitatis numeratur thronus: deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ ciuitatis.* Multi erant eo tempore Primates, καὶ αὐτοκέφαλοι Sedes, nullæ tamen iis adnumerantur, quòd Patriarchis dignitate & ordine longè inferiores eſſe nemini eſſet ambiguum. Tam celebris autem fuit apud Orientales populos illa de quinque tantùm Patriarchis ſententi[a], vt in publicis Græcorum ſacris quinque tantùm Patriarcharum, non au-

Quinque Patriarcharum in diptychis memoria

tem cæterorum Episcoporum, nisi domesticorum in vnaquaque Diœcesi, fieret commemoratio. Cuius rei argumentum est, Michaëlis Palæologi fœdus cum Pontifice initum, postquam Francorum in Græcia imperium euertit. Illius enim primum caput fuit, sicut refert Nicephorus Gregoras l. 5. hist. c. 1. *Vt in sacrorum voluminum hymnodiis Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret*, quem Græci post exortum Schisma è diptychis suis expunxerant.

Sanctus denique Gregorius, qui cæterarum iura ciuitatum non ignorabat, nullos alios agnoscit Patriarchas, l. 2. epist. 37. *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullomodo potuisset.* Et iterum l. 7. epist. 5. *Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ suæ credentes, vniuersam Ecclesiam, atque omnes quatuor Patriarchas non ratione sed malitiosa mente tantummodò refugiant.* Nullus opinor, quòd quatuor tantùm supputet, seipsum è calculo subduxisse causabitur: pariter enim Sedem suam è præcipuarum albo expunxisse inferre liceret, cùm epist. l. 7. epist. 54. præcipuas Sedes quatuor tantùm enumeret. *Hinc est enim vt quotiens in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi Epistolas vicissim mittant.* Nota est omnibus Pontificum Romanorũ humilitas; qui licèt omnibus autoritatis & maiestatis insigniis & nominibus ab vniuersa Ecclesia decorentur, nullo tamen maniũ titulorum ventoso fastu glorientur, sed nudum & solitarium Episcopi vel Papæ nomen præferentes, cæteris abstinent. Quam Græci & Latini diuisim de Patriar-

charum numero sententiam tulerunt, eandem coniunctim amplexi sunt. Plures quatuor octaua Synodus non enumerat, act. 10. c. 21. *Definimus*, aiunt Patres, *neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare; sed omni reuerentia & honore dignos iudicare: præcipuè quidem sanctißimum Papam senioris Romæ, deinceps autem Constantinopolitanum Patriarcham, deinde verò Alexandriæ ac Antiochiæ, ac Hierosolymorum.* Idem de cæteris Synodis à Chalcedonensi iudicium faciendum. Vbique enim quinque hi Episcopi omnium primi, atq; eodem ordine, Conciliis aut ipsi subscribunt, aut, si absint, eorum Vicarij & Legati. Cæteri omnes, post hos nec semper primi, nec eodem ordine: quæ in Conciliis ex subscriptionibus tibi innotescent. Patriarcha à Latinis Primas quilibet nonnunquam dicitur, imò etiam Metropolitani omnes, vt Athalarico Italiæ Regi apud Cassiodorum l. 9. Variarum, epist. 15. Præterea autoribus quibusdam Latinis Primates & Patriarchæ iidem sunt, nec à vero multum aberrant. In Occidente enim Patriarcha à Primate nihil differt, nec differre potest. Nam vnicus est semperque fuit Occidentis Patriarcha, Pontifex Romanus: Cæteri omnes Primates, atque aliquando Episcopi, qui solas Metropoles regunt, honoris & amplitudinis ergô καταχρηστικῶς, Patriarchæ dicuntur, nullis tamen Patriarcharum priuilegiis & prærogatiuis fruuntur. Animo quæso repete & reuolue quàm multa; quámque magni momenti ab omni æuo Patriarchæ, Constantino-

Latinis Primates Patriarchæ sunt.

polis, Antiochiæ, Alexandriæ, in Diœcesibus & Patriarchatibus suis inconsulto Pontifice agere & cōstituere soliti fuerint: ea confer cum autoritate quam in Diœceses suas Primates & Patriarchæ nostri exercent. Primates tunc à Patriarchis non orgyis sed totis parasangis distare lubens fatebere, atque toto cœlo inferiores esse. Sed de Patriarchis hactenus pro obseruatiuncularum modulo plus satis.

EXERCITATIO VIII.

De Primatus Homonymia.

Patriarchæ Primates dicti. Item Metropolitani. Eorum duplex genus. Rhemensis à Primate exemptus. Primates singulari ratione apud Afros dicuntur.

PRÆTER Patriarchas illos maiores principaliter sic nuncupatos, gradus inferioris plures alij fuerunt Patriarchæ, Latinis Primates propriè dicti, Græcis verò ἔξαρχοι. Horum vnusquisque Diœcesi præerat, hoc est, multis prouinciis & Archiepiscopis seu Metropolitis, ipse Patriarchæ proprio subditus, à quo appellationes cognoscebantur, & iudicia retractabantur. Nonnullis viris doctis hic Episcoporū ordo ὑποβολιμαῖος, & totus fictitius videtur,

videtur, mihi verò ſecus. Inter Patriarchas & Metropolitas autoritate Eccleſiaſtica inſertū & intertextū fuiſſe; res Eccleſiaſticas penitus replicanti tam multa argumenta euincunt, vt contrà niti & aſſurgere meridianæ luci ſit mihi tenebras offundere. Hanc quæſtionem à paucis delibatam, gemino quod aiunt ab ouo ordiemur. Duo igitur nobis probanda ſuſcipimus: Prius, Primâtum ordinem, Patriarchis inferiorem eſſe, Metropolitis verò ſuperiorem; Primates Patriarchis ſubeſſe, Metropolitis verò præeſſe: Poſterius, quo tempore, qua occaſione inſtituti fuerint, quando & vbinam deſierint. A nominis ſignificatione exordium faciemus. Tria nomina ſunt quorum nobis vſus fuit in præcedenti obſeruatione frequens, in hac verò erit longè frequentiſſimus. Primas, Exarchus & Diœceſis. Illorum homonymiam excutere operæpretium eſt, ne ancipitibus vocabulis fluctuemus.

Primates vnde dicantur, quod ad etymon grammaticum ſpectat, nemo eſt qui ignoret: Primates ii dem ſunt qui Summates, ciuitatis Principes. Vicis aliquando & Caſtellis Primates tribuūtur. C. Theod. lib. 7. tit. 18. de deſert. l. 13. πάγαρχοι dicuntur in Edicto Iuſtin. XIII. hoc vocabulum explicat Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſt. 91. πάγαρχοι καλοῦνται παρά που οἱ τῶν κωμῶν ἢ τόπων τινῶν ἄρχοντες, *Pagarchi appellantur qui oppidulis aut locis quibuſdam imperant.* Primatum nomen longè auguſtiori ſignificatione vſurpauit Eccleſia: Patriarchæ enim nonnunquam appellati ſunt Primates, *Non conuellantur prouincialium iura Prima-*

Primatûs varia ſignificationes.

tum, nec priuilegiis antiquitùs institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Ita Leo, epist. 53. Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum vocat, de iis ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, qui eos circumuenerat, verba faciens. Felix verò II. epistola 1. si genuina est, solis Patriarchis hoc nomen esse tribuendum, decernere videtur, *Primates illi & non alij sint quàm qui in Nicæna Synodo sunt constituti, reliqui verò qui Metropoles tenent Sedes, Archiepiscopi vocentur, & non Primates.* Sed decretum istud nunquam obtinuit. Primates præterea imminuta plurimùm significatione Metropolitani dicuntur, iique duplices, & ij qui aliquando Diœcesi præfuerunt, labente tamen tempore autoritatem suam elabi & euanescere permiserunt, nudúmque & exangue Primâtum nomen, ipsi Primatibus propriis suppositi, retinuerunt; & ij qui cùm vnam tantùm prouinciam regant, ordinationes tamen Episcoporum suorum inconsulto Primate conficiunt. Prioris generis est Senonensis Metropolita; qui cùm sit Primati Lugdunensi subditus, Galliæ tamen & Germaniæ Primatem sese inscribit. Aliquando enim à Ioanne VIII. hanc autoritatem & dignitatem est consecutus, vt exercitatione speciali demonstrabimus: Aliàs tantam dignitatem eo tempore sibi non vendicasset. Lege enim Caroli Magni cautum erat, *Ne alij Metropolitani appellentur Primates, nisi illi qui primas Sedes tenent, & quos SS. Patres Synodali & Apostolica autoritate Primates esse decreuerunt. Reliqui verò qui alias Metropolitanas Sedes sunt adepti, non Primates sed Metropolitani vocentur.* libro 7.

Metropolitani duplices.

capitul. c. 336. Posterioris generis Primatem se vocat Hincmarus Rhemensis Metropolita. Sic enim Hincmarum Laudunensem Episcopum alloquitur c. 16. Opusculi 55. capitum. *Etsi aliis Primas forte non essem, tibi tamen apud te Primas esse debueram: nam signaculum Primatus mei tu es, quem sine interrogatione Primatis alterius, cum consensu coëpiscoporum Rhemensis prouinciæ potui ordinare Episcopum*: capite sequenti quos Primates intelligat, euidentiùs definit. *Quibus & aliis sacrorum canonum decretis & Sedis Romanæ claret sententiis, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum Prouinciarum, qui ex antiqua, vt præmisimus, consuetudine, & Apostolica traditione secundùm sacros Nicænos canones, & conuocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Prouincialibus sine cuiusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Prouincias queunt*, &c. *Illi autem Archiepiscopi vel Metropolitani qui hæc sine consultu Primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantùm vel Metropolitani habentur.* Hanc libertatem & autoritatem, vt eiusmodi Primas esset, solíque Pontifici subditus à Nicolao I. Pontifice consecutus est Hincmarus, vt testatur Pontifex ipse Nicolaus ad Hincmarum scribens, appendicis epistolâ quintâ. *Si à quocumque vel vndecumque fueris compellatus, vt debeas iudicari, Apostolici Papæ iudicio te reseruamus, nostra imò B. Petri Apostoli autoritate decernimus. Nec alterius cuiuscumque viri vel iudicio te subiici, excepta potestate Sedis Romani Pontificis, nec ad alterius Primatis Prouinciæ Synodum, nisi ex communi placito posse conuocari mandamus.* Hoc

Rhemensis Archiepiscopus à Primate exemptus.

decretum, priuilegij potiùs eſt renouatio & confirmatio, quàm conceſſio. Ante enim Nicolaum, Leo & Benedictus Pontifices Archiepiſcopis Rhemenſibus ea προνόμια detulerant.

Iſtud Hincmari ſuffragium, quod de Primatibus contendimus, ἀναντιῤῥήτως euincit, quoſdam ſcilicet eſſe Epiſcopos qui ſub Patriarchis, præſunt Metropolitis. Quatuor igitur conditiones ad hoc Primâtum genus conſtituendum requirit Hincmarus. 1. vt poſſit conuocare Synodos, 2. ordinare Epiſcopos, 3. ordinari à prouincialibus Epiſcopis, 4. diſponere regulariter quæque per Prouinciam: quintam addit quæ cæterarum baſis eſt & columen, vt hæc omnia poſſit ſine interrogatione Primatis. Sunt igitur Metropolitæ duplices, qui Primati ſubiiciuntur, & qui non ſubiiciuntur; Poſteriores ex Hincmaro Primates dicuntur: quem titulum ſibi attribuunt Metropolitani plurimi ſoli Pontifici ſubditi: quémq; ſibi vindicandi ex Hincmaro & antiqua conſuetudine ius habent Archiepiſcopi omnes à Primatis poteſtate liberi. Primates ergo ſunt duplices, quibus vna tantùm ſubeſt prouincia, cuius ſunt ipſi per ſe capita, & quibus plures ſubſunt Prouinciæ & Metropolitani, qui nobis & vulgo Primates eminenter dicuntur, quos iterum eadem Epiſtolâ apertè his verbis deſcribit: *Et Leo ſcribens ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, euidenter oſtendit quam prælationem Primas Metropolitanorum ex delegatione Sedis Apoſtolicæ habere debeat, dicens*, &c. Priore ſenſu, πρῶτον, *primum*, vſurpauit can. Apoſt. 33. Poſterior enim orbi nondum

Quinque conditiones vt Archiepiſcopus ſit verè Primas.

innotuerat, & ad eum præcipuè ſpectant Patres Nicæni his verbis, can. 6. *Et in aliis prouinciis, ſua priuilegia ac ſuæ dignitates & autoritates Eccleſiis ſeruentur.* Alia & ſingulari ſignificatione Primates ſeu primæ Sedis Epiſcopi ab Afris dicuntur, non qui in Metropoli, ſed qui cæteris Epiſcopis Prouinciæ, ordinationis, Epiſcopatúſque ætate anteibant, *οἱ κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας προτεθέντες*, vt loquitur Iuſtinianus Cod. de Epiſcop. audientia l. 29. Metropoles apud Afros ſicut apud cæteras gentes fixæ & ſtatæ ſemper erant: Primæ autem Sedes deſultoriæ quodammodo, & nunquam eædem, ſed nunc hæ nunc illæ: Metropolitani eligebantur, Primates ordine ſuccedebant. Inde fit vt in Conciliis Africanis Epiſtolíſque idem fere ſit ſenex Epiſcopus & Primas. Hanc diſtinctionem primus vidit Sirmundus Societatis Ieſu Preſbyter, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus, illam verbis ab eo ferè mutuatis expreſſimus: argumenta verò apud eum leges propemptici l. 2. c. 9. His Primatibus conſimiles erant in Oriente *πρωτόθρονοι, primæ Sedis Epiſcopi*; Sed primæ illæ Sedes ſtatæ erant & fixæ. Vnicuique enim Patriarchæ certus erat Metropolita *πρωτόθρονος*. CP. Cæſar. Cappadociæ in Nouell. Iſ. Angeli: Antiocheno Tyrius; in 8. Syn. & Guil. Tyr. l. 14. c. 12. Hieroſolymitano Cæſar. Palæſt. in cod. Prouin. Primates denique vulgari & trita ſignificatione dicuntur qui Diœceſi pluribúſque Metropolitis præſunt, cùm ipſi proprio Patriarchæ ſubſint.

Primates ſingulari ratione apud Afros dicuntur.

Quinam in Oriente πρωτόθρονοι dicebantur.

EXERCITATIO IX.

De Variis Græcorum Exarchis.

Natiua vocis ἐξάρχειν *significatio. Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Chorepiscopi, Archimandritæ, Exarchi dicuntur:* Παντοκρατορινοί. *Quis Clericus vel Monachus* αὐτεξούσιος. *Exarchi Patr. CP. legati. Eorum autoritas.*

ἔξαρχος & ἐξάρχειν quid propriè significent.

QVI Latinè dicitur Primas, Græcè dicitur propriè & eleganter ἔξαρχος, nam, ἐξάρχειν, vnde ἔξαρχος, est primas tenere, præesse, ordine vel autoritate primus esse, vt ἐξάρχειν μολπῆς, apud Homerum, Odyss. 4. *Hymnum præcinere*, μολπῆς ἔξαρχος, præcentor, Exod. 15. v. 20. *Egressæque sunt omnes mulieres post eam (Mariam) cum tympanis & choris, quibus præcinebat*, ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν, vertunt 70. interpretes. Philoni ideò Maria mulierum Iudaïcarum dicitur ἔξαρχος in vita Mosis. Plutarchus in Numa, ἔξαρχον τῶν ἱερῶν, *Sacrorum principem* dixit, τῆς ἑορτῆς ἔξαρχον, similiter dixit Gregor. Nazianz. *Solemnitatis ducem & principem.* ἔξαρχοι ταγμάτων, ordinum præfecti. Exarchi significatione augustiori Italiæ Rectores ab Imperatoribus Græcis instituti, appellabantur, qui Italiæ exercitibúsque Romanis summa cum potestate imperabant. Eorum autoritas à Iustiniano, recuperatâ Italia, sumpsit initium, & ad vsque Caroli Magni tempora peruenit: Imperij verò Sedes Rauennæ stata erat, vnde Exar-

chi Rauennatenses, vt omnibus notum est, dicebantur. Eo sensu S. Petrus sæpiùs à Patribus dicitur discipulorum & Apostolorum ἔξαρχος, Dux, Primas, Princeps. Hanc vocem de dignitatibus Ecclesiasticis variè & ὁμωνύμως enuntiauit antiquitas. Cùm enim principatum virtute sua significet, variique sint in Ecclesia principatuum ordines, de variis etiam ordinibus illam vsurpari contigit. Patriarcha nonnunquam dicitur ἔξαρχος: sic Ibas Edessenus Episcopus Ioannem Patriarcham Antiochenum Exarchum appellat, Chalced. Conc. act. 10. circa medium, ἐξηκολούθησα τῷ ἐξάρχῳ μου, *secutus sum*, inquit, *Exarchum meum*, quod paulò pòst repetit. Quamuis autem nec Ioannem, nec Antiochiam nominet, facile tamen est ex historiæ ordine hoc colligere: Excommunicationis enim sancti Cyrilli, cuius insimulabatur, excusationem prætexit Orientalis Concilij & Exarchi sui autoritatem: Excommunicatio autem illa à Ioanne Patriarcha Antiocheno lata est, vt docent acta Concilij Ephesini. Actione præterea 14. eiusdem Concilij in actis Concilij Antiocheni, Stephanus Episcopus Domnum Patriarcham Antiochenum vocat Orientalis Diœcesis Exarchum. Metropolitani similiter Exarchi sæpè dicuntur: Concilij Sardic. c. 6. Metropolita non tantum Ἔξαρχος τῆς ἐπαρχίας, *Exarchus & Primas prouinciæ*, vocatur, sed etiam vocem illam Patres sic interpretantur; Ita hoc nomine vsus est Euagr. l. 4. histor. c. 11. Legem tulit Iustinianus, inquit, qua pœnis affecit eos qui Seueri dogmata amplecterentur; ὡς τοὺς ἑκάστης Διοικήσεως Πα-

Patriarchæ ἔξαρχοι dicũtur.

Metropolitani ἔξαρχοι dicuntur.

πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν· τούς τε τῶν πόλεων Ἐπισκόπους τοῖς ἰδίοις Ἐξάρχοις ἕπεσθαι: *Vt uniuſcuiuſque Diœceſis Patriarchæ inter ſe conuenirent, vrbiumque Epiſcopi proprios Exarchos ſequerentur:* Tyri Metropolita cùm aliis magnificis titulis in octaua Synodo hunc etiam vſurpat, Ὅρος Θωμᾶ Μητροπολίτου, Τύρου Πρωτοθρόνου καὶ Ἐξάρχου, καὶ τοποτηρητοῦ τῆς Θεουπόλεως. *Definitio Thomæ Metropolitæ, Tyri Protothroni & Exarchi, & loci conſeruatoris Theopoleos.*

Chorepiſcopi vocantur Exarchi. Chorepiſcopos nunc vocari Exarchos, ait Harmenopulus, tit. 9. ſectionis primæ. Exarchi illi dicebantur quidam Præpoſiti & adminiſtri Patriarcharum & Metropolitarum: hæc ſunt Harmenopuli verba in breuiſſimo ſuo ſcholio: Χωρεπίσκοποι, οἱ νῦν λεγόμενοι Ἔξαρχοι, εἴτε Πατριάρχου εἰσὶν, εἴτε Μητροπολίτου. Exarchi

Monachi plurimis Monaſteriis Præfecti Exarchi dicuntur. rurſus à Græcis vocantur Monachi, plurimis monaſteriis præfecti, quos trito nunc vocabulo Prouinciales appellare ſolemus: illos Græci vocabant aliàs παντοκρατορίωνας καὶ παντοκράτορας, voce ſanè magnifica, id eſt, omnipotentes. Balſam. in nomoc. Photij tit. 1. c. 20. ſic ſubſcribit in actis Concilij CP. ſub Mena, act. 5. Monachus quidam, *Marianus miſericordia dei Presbyter & Archimandrita Monaſterij S. Dalmatij,* καὶ Ἔξαρχος τῶν ἁγίων Μοναστηρίων ταύτης τῆς βασιλίδος πόλεως ὑπέγραψα, *& Exarchus ſanctorum Mona-*

Monaſteria apud Græcos exempta & libera. *ſteriorum huius regiæ vrbis ſubſcripſi.* Patriarchæ Conſtantinopolitano plurima erant in variis Diœceſibus primò ſubiecta monaſteria, in quæ nullum ius ordinariis Epiſcopis reliquum erat, τοῖς τοιούτοις μηδὲν ἔστι μετὸν τῶν τοῦ κατὰ χώραν ἀρχιερέως, εἴτε εἰς ἱεροπραξίαν, εἴτε εἰς ἡγου-

εἰς ἡγουμένου σφραγῖδα, εἴτε εἰς ψυχικῶν σφαλμάτων διάκρισιν, οὐδ' ἄλλο οὐδ' ὁτιοῦν. *Eiusmodi nihil est Episcopo loci communicandum, neque de sacris officiis, neque de Rectoris confirmatione, neque de spiritualium peccatorum diiudicatione, neque de re qualibet alia.* Similia erant ea Monasteria iis quæ exempta dicimus, nullóque medio ad Sedem Apostolicam pertinentia. Ea Monasteria, quanquam à Græcis dicerentur, ἐλεύθερα, αὐτοδέσποτα, καὶ αὐτεξούσια, libera & sui iuris; Patriarchæ tamen visitationi, iurisdictioni & correctioni, siue per se id præstaret, siue per alium, subiiciebantur, vt autor in ea re locuples est Balsamon, iuris Orient. l. 2. Nouell. 8. Illa enim αὐτεξουσία, suíque potestas, non tantùm Monachorum sed cuiuslibet Clerici penes Patriarcham non attendebatur, sed penes quosuis alios Episcopos & Metropolitas: A Patriarchæ iugo nullus erat liber. Pluribus eiusmodi Monasteriis vnus à Patriarcha præficiebatur Monachus, qui Πατριαρχικὸς Ἔξαρχος dicebatur, καὶ Πατριαρχικῶν δικαίων Ἔξαρχος, *Patriarchalis & Patriarchalium iurium Primas.* Horum Exarchorum institutionem & autoritatem colliges ex Germani Patriarchæ CP. Synodicis iuris Orient. l. 3. & ex libri sexti tractatu, cui titulus est ἔνταλμα διδόμενον τοῖς Ἐξάρχοις. Exarchi præterea Græcis recentioribus dicuntur legati quidam Patriarchæ in varias Prouincias missi ad corrogandas eleemosynas, quibus tributum annuum, (quod χαράτζιον dicunt,) Turcarum Imperatori Patriarcha persoluat. Exarchis istis amplissimam largitur potestatem Patriarcha: Ius enim Pœnitentes

A Patriarcha iugo apud Græcos nullus erat liber.

absoluendi, Τοῦ ἀργοὺς ποιεῖν, καὶ ἀφορίζειν, *à dignitate Ecclesiastica deponendi & excommunicandi*, nomine Patriarchæ sibi attribuunt, vt autor est Crusius, Turcogræciæ l. 4. Exarchi denique Græcis ἰδίως καὶ κατ' ἐξοχὴν dicuntur, qui Latinis Primates, ordo videlicet Episcoporum inter Patriarchas & Metropolitas constitutus. De his pluribus in locis mentio habetur, vt can. 9. & 17. Concilij Chalcedonensis, & actione 17. Synodi sextæ generalis, in qua Philalethes Episcopus Cæsariensis primæ Cappadociæ, sese inscribit, Ἔξαρχον τῆς ποντικῆς Διοικήσεως; similiter Theodorus Ephesinus, Ἔξαρχον τῆς Ἀσιανῆς Διοικήσεως. Sed cæteris Exarchis omissis, de postremis statim plura.

EXERCITATIO X.

Apud Neotericos Græcos inter Patriarchas & Episcopos sex esse dignitates.

Despota, Sebastocrator, Panhybersebastus. Metropolitæ Cæsarei priuilegia. Noui Græcorum Archiepiscopi quando cœperunt & à Patriarcha ordinati sunt. Ψῆφος, σφραγὶς, *&* χειροτονία. *Notitiæ Officiorum & Episcopatuum* χρονισμός. *Sex dignitatum recentium explicatio.*

ANIMI causa hîc appendere lubet de Græcorum neotericorum Exarchis πάρεργον. Inclinante Græcorum imperio, & prouincias eius Barbaris miserè distra-

hentibus, ambitionis libido distracta non est, sed magis ac magis ab iis contracta. Τὸ φιλότιμον, inquit Pericles apud Thucydidé, ἀγήρων μόνον, *ambitio sola non consenescit:* Quò magis consenuit imperium Græcorum, eò profusiùs & intemperantiùs magnificentissimis titulis vsi sunt Imperatores, viuúsque vanitatis suæ in Ecclesiam effuderunt: atque, vt ex vngue Leonem deprehendas, vnico exemplo id demonstrabimus. Romanis Imperatoribus & Græcis ad Alexium vsque Comnenum, qui imperare cœpit anno 1081. mos fuit ab ipsis secundum Cæsarem nuncupare, à quo longissimo interuallo cæteræ omnes dignitates distabant. Alexius Comnenus, ait Zonaras, vt Isacio fratri gratificaretur, eum *Sebastocratora* dixit, hoc est, *Augustimperatorem*, & Cæsarem præcedere iussit. Postea verò vt erga generum suum Alexium Palæologum imperij hæredem sese beneficum præberet, eum δεσπότην, id est, dominum, salutauit, atque à se secundum esse voluit; Sebastocratora, tertium; Cæsarem, quartum. A Cæsare secundus primùm erat πρωτοσέβαστος, *primus Augustus*: In eius postea locum ab Andronico seniore, vt refert Codinus, vanissima & fungosissima *Panhyperſebasti* dignitas elata est, cui Andronicus II. æqualem primò fecit magnum Domesticum; & tandem præfecit, vt idem autor est. Sed iocularis est dignitas, qua Nicetas quidã affectus esse dicitur, iuris Græco-Rom. l. 4. πρωτονωβελλισσιμουϋπέρτατος eo loco voce hybrida renuntiatur. Quis vanissimam pereuntis imperij gloriolam non rideat?

Inter Augustum & Cæsarem duæ intermediæ dignitates.

Hinc colligere est notitiam officiorum Palatino-

Notitia officiorum

Palatinorum ætas.

rum, quæ extat iuris Orient. l. 2. Andronici Senioris æuo editam fuiſſe, cùm ex multis tum ex eo quod Panhyperſebaſtum ſtatim Cæſari ſupponat, magno verò Domeſtico præponat. Dum mentis rerúmque omnium inopes fuerunt Græculi Imperatores, ſine mente & rebus verba ſonóſque dederunt: Eandem inſaniam diu eſt cùm in Eccleſiaſticas dignitates per Epiſcoporum faſtum colare cœperunt. Ante enim Concilium Chalcedonenſe, vt act. 13. ex reſcriptis patet, qui in comitatu gratioſi erant Epiſcopi, Aulicis irrepere, & literas autoritatis & dignitatis promotrices ab Imperatoribus emendicare ſolebant. Dignitatem illam ſic emendicatam, ſubreptitiam & irritam, quod ad rem attinet, Patres, eâdem actione aſſentientibus Imperatoriis iudicibus, declarauere; dignitatis verò nomen, Sedem καὶ τὰ πρεσβεῖα, ne Imperatorum pragmaticas nihili feciſſe viderentur, conceſſère. Cùm igitur Imperator pro libidine ſua Epiſcopum in Metropolitam eueheret, nomen, dignitatem, ſedémque Metropolitæ, Imperiali reſcripto conſequebatur, ſed inanem & iuriſdictione caſſam. Irritationis decretum in can. 12. relatum eſt, quod hîc integrum attexemus. *Peruenit ad nos quòd quidam, cùm præter ritus Eccleſiaſticos ad potentatus acceſſiſſent, per pragmaticas vnam prouinciam in duas diuiſerunt: vt ex eo duo eſſent Metropolitani in eadem prouincia. Statuit ergo ſacra Synodus ne Epiſcopus deinceps tale quid audeat: quoniam is qui hoc aggreditur, à ſuo gradu excidit. Quæcunque autem ciuitates per literas Imperatoris, Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore*

Metropolita ab Augusto creati priuilegia.

fruantur, & qui eius Ecclesiam administrat Episcopus, seruato scilicet veræ Metropoli suo iure.

Ab his Imperatorum pragmaticis Episcopis honore affectis, labente tempore Episcoporum ordo nouus in Ecclesiæ Orientalis Hierarchiam irrepsit. Cùm enim Episcopi illi in magnum numerum excreuissent, Archiepiscoporum ordo quidam insolens emersit. Archiepiscopi enim à Græcis ridiculè dicti sunt, cùm nullis Episcopis imperarent. Hinc apud neotericos Græcos hoc dictum frequens occurrit, *Ex Archiepiscopatu ciuitas Metropolis facta est.* In Leonis διατυπώσει, seu Sedium Patriarchæ CP. subiectarum descriptione 39. eiusmodi Archiepiscopatus, & 81. Metropoles enumerantur: totidem & eodem ordine in notitia cuiusdam Patriarchæ CP. quæ refertur iuris Orient. l. 3. hoc vnum si excipias, quòd Cretæ Metropolim illa addit, hæc omittit. Noui illi Archiepiscopi speciali quodam modo sic dicti, cùm primùm illum honorem apud Græcos adepti sunt, à propriis Metropolitis, vt antea, ordinabantur, iisque subiiciebantur: vt præter can. 7. Nicænum & 12. Chalced. testatur euidenter Balsamon in Chalced. c. 12. *Præterquam quod Episcopatus Metropolis vocatur, in aliis omnibus antiquæ Metropoli debet subiici. Eius enim Episcopus ab antiquo Metropolitano ordinabitur, & ab ipso iudicabitur, & ei omnino subiicietur.* Nec hæreas, quòd Episcopatum illum Metropolim vocet: loquitur enim ex ὑποτυπώσεως temporis Chalcedonensis Concilij, quo Archiepiscopatûs illa notio nondum inualuerat. Plurimis annis hæc in Ar-

Inter Metropolitas & Episcopos Archiepiscoporũ ordo apud Græcos irrepsit.

chiepiſcopos illos autoritas Metropolitis conſeruata eſt, tandem imperante Alexio Comneno circa annum 1080. Διάγνωσις γέγονε βασιλικὴ τῆς τότε διαγνωμενούσης Συνόδου, *Decretum imperiale factum eſt, conſentiente & decernente quæ tunc conuenerat Synodo*, inquit Balſamon in can. 38. Trull. quod ex eodem refertur iuris Orient. l. 2. *Eccleſias edicto regio honoratas à throno CP. in poſterum electionem accepturas, nec in eas, qui antea Metropolitæ erant, quidquam iuris ſibi vindicaturos.* A throno CP. Ψηφίζεσθαι dixit Balſamon, quod eſt eligi. Diſtingunt Græci inter Ψῆφον, σφραγίδα, καὶ χειροτονίαν, electionem, characterem & manuum impoſitionem ſeu ordinationem. Quæ tamen ſubiicit Balſamon, *nihil iuris in eas Eccleſias exercituros Metropolitas*, hæc omnia ipſum intellexiſſe facilè fidem faciunt. Idem præterea confirmat notitia Metropolitanorum & Archiepiſcoporum ſub throno CP. de qua paulo ſuperiùs: quæ ſic incipit: *Oportebat, ciuitates quæ Pontificatus dignitate decoratæ ſunt*, Καὶ αἷς ἱεροὶ ποιμένες παρὰ τῆς Πατριαρχικῆς προχειρίζονται δεξίας, *& quibus ſacri Paſtores à Patriarchali dextra ordinantur, hîc deſcribi, velut quodam breui orbe comprehenſas, & cuilibet ſine labore conſpicuas*: In illo autem diagrammate Archiepiſcopatus ſimul cum Metropolibus nulla facta diſtinctione, velut vtrique ex æquo à Patriarcha Conſtantinopolitano ordinati deſcribuntur. Ex quibus verbis cum præcedenti edicto collatis conſtat, notitiam hanc Leonis Philoſophi expoſitione ducentis annis poſteriorem eſſe: Leo enim Philoſophus anno Chriſti 886. Alexius verò Comnenus primus quem Pa-

Archiepiſcopi Græci à Metropolita non ordinantur, ſed à Patriarcha.

triarchalis illa notitia ſubſecuta eſt, anno 1081. imperare cœpit.

Andronicus ſenior ordinem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ peruertit.

Plurimas alias innouationes & iurium interuerſiones in Eccleſiam Græcam intulit Andronicus Senior Palæologus; qui anno 1283. imperium auſpicatus eſt. Expulſis enim à prædeceſſore ſuo Francis, qui de Græcorum imperio annis fere ſexaginta triumphauerant; Eccleſiæ politiam ſacra prophanáque iuxta habens, arbitrio ſuo reſtituere auſus eſt. Terminos igitur Eccleſiaſticos mouere, expungere, definire velut orbi terræ è cœlo miſſus arbiter, in animum induxit ſuum. Notitiam Metropoleωn & Archiepiſcopatuum à Leone Philoſopho expoſitam, vbique interpolauit, immutauit, innouauit, decuſſauit, hos attrahens, illos retrahens & deprimens, iſtos interſerens, vt vtramque διατυπωσιν conferentibus innoteſcet. Cùm autem nominibus res deeſſent; rebus nomina deeſſe noluit. Ventoſos itaque titulos, & ſine mente ſonos, dignitatúmque laruas & phantaſmata quædam excogitauit, ne nihil Epiſcopis ſuis Cæſarea maieſtas contuliſſe videretur. Honoris ſex titulos inuênit hoc ordine. Antiquiſſimi tres Orientis Primates honorum primas, vt æquum erat, tulerunt: Metropolitanus Cæſareæ Cappadociæ, qui ab Antiquo Ponti gaudebat, ἐξαρχία, ab eo dictus eſt ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς, *honoratiſsimorum honoratiſsimus, & totius Orientis Primas.*

Sex dignitatum recentiū explicatio.

2. Epheſi, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας, *honoratiſſimus & totius Aſiæ Primas.* In Synodo CP. à Græcis Schiſmaticis, poſt Florentinam ſub Gregorio Pa-

triarcha celebrata Ephesinus sic subscribit, Ἰωάννης ὁ ταπεινὸς Ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων Μητροπόλεως, ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας. *Ioannes, humilis Ephesiorum Metropolis Episcopus, honoratissimus, & Primas Asianæ Prouinciæ*, à Concilio generali Lugdun. II. *Præhonoratus Exarchus totius Asiæ.*

3. Heracleæ, πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας, *honoratissimorum Præsul, & totius Thraciæ & Macedoniæ Primas.* Eundem dignitatis titulum vsurpat Philotheus Heracleæ Metropolita, apud Crusium, Annotat. in histor. Ecclesiast. & Turcogræciæ l. 4. In Concilio Lugdun. generali secundo, *Præsul honoratorum* tantùm dicitur.

4. Erat τῶν ὑπερτίμων καὶ ἐξάρχων, *Ordo honoratissimorum & Primatum*: his titulis ornabantur Metropolitæ triginta duo præcipui, quos recenset notitia Andronici apud Curopalatem.

5. Cæterorum omnium Metropolitarum qui ὑπέρτιμοι, *honoratissimi*, tantùm erant.

6. Archiepiscoporum, id est, Episcoporum exemptorum, qui à Patriarcha consecrabantur, quíque, etsi nullus illis subesset Episcopus, honore tamen & priuilegiis Metropolitarum in cæteris, potiebantur: Hi ἁγιώτατοι, *sanctissimi*, à Patriarcha inscribebantur. Omnes istæ Episcoporum dignitates, ex Epistola Græcorum Episcoporum ad summum Pontificem in Concilio generali Lugdun. 2. facilè colligi possunt.

Hi sunt fungosi, καὶ ὑπηνέμιοι infimæ Græcorum ætatis tituli, quos vno nutu tibis spectandos in ordinem

nem coëgimus. Neque his vanissima gens acquieuit: aliud enim Episcoporum laterculum Andronicus iunior edidit: quod extat in Bibliotheca Vaticana, & τάξις προκαθεδρίας inscribitur, vt scribit Sirmundus, vir de literis optimè meritus. Inter alia autem eodem genio mutata, vt idem refert, Episcopi Lacedæmonis & Monembasiæ Metropolitæ honorarij instituti sunt, atque ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι πάσης Πελοποννήσου, *honoratissimi, & totius Peloponesi Primates* dicti. Curopalates tamen innouata post Andronicum Seniorem recensens, Lacedæmonis Episcopum, Metropolitam tantùm vocat, neque alium titulum sibi vsurpat Ioasaphus, illius vrbis Episcopus, Turcogræciæ, l. 4. Vides quantis parasangis ab antiquitatis simplicitate defecit posteritas. Horum omnium rationem & originem si quæras, præter Imperatorum inconstantiam, nullam inuenies. Si tamen mutationis huius ratio aliqua quærenda est, à statu & administratione imperij Græci sub Palæologis petenda est: Noui enim illi Exarchi, ὑπέρτιμοι καὶ πρόεδροι τῶν ὑπερτίμων, *honoratissimi & honoratissimorum Præsules*, ante illa tempora orbi non innotuerunt. Sed in hoc tantillum omni studio incumbere, bonas horas est male perdere. Nouas τῶν ἐξάρχων notiones, quod præcipuè spectauimus, habes.

EXERCITATIO XI.

Diœcesis Homonymia Discussa.

Diœcesis sextupliciter vsurpatur. Patriarcha climatis. Africa Præfectus pro Vicario datus. Diœcesis pro vniuerso Oriente. Rusticanæ Parœciæ. Metrocomiæ μονοικία. *Rectorum Ecclesiæ septem sunt ordines. Presbyteri vrbici & forastici.* Πρωτοπρεσβύτεροι. Πρωτόπαποι.

DIOECESIS, non secus ac Exarchorum & Primatum voces, ὁμωνύμως dicitur. Sex sunt præcipuæ apud Ecclesiasticos autores illius significationes. Prima est natiua & primigenia, *gubernatio, administratio, dispensatio,* ἀπὸ τοῦ διοικεῖν, *regere, administrare*: Eo sensu vsurpauit Theodoret. collectionis canonum titulo primo: qui sic se habet, περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς Πατριάρχαις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς, καὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι τινὶ αὐτῶν ὑφαρπάζειν ἐπαρχίαν ἑτέρῳ προσήκουσαν ἐπὶ χειροτονίᾳ καὶ Διοικήσει. *De honore Patriarchis à canonibus attributo, & quòd non liceat alicui eorum prouinciam ad alterum pertinentem ordinationis & Diœcesis*, id est, administrationis, *causa inuadere.* In re clara plura exempla frustra sunt. Secunda, pro omni illo orbis tractu seu climate quod ad Patriarcham pertinet, sic Innocent. epist. 18. *Antiochiam dixit super Diœcesim non super aliquam prouinciam esse constitutam*, & Iustinianus Nouella 123. & 6. c. 3. cùm

Secunda Diœcesis significatio.

Concil. Chalced. act. 11. Διοικήσεων Πατριάρχας dixit. Eodem Concilio in eadem significatione sæpius sumitur, vt act. 10. ad finem, parte 3. epist. Episcoporum Ægyptiacorum & Cleri Alexandrini ad Leonem Augustum & ad Anatolium Episc. CP. Similiter Schismatici Ægyptiaci ad Leonem Aug. in Epistolæ inscriptione, & in textu: Anatolius quoque ad Leonem, & Episcopi Syriæ primæ & Sardianæ Lydiæ ad eundem. His locis quibus plures alios addet lector diligens, Diœcesis pro tota illa orbis plaga quæ Patriarchæ commissa est, vsurpatur. Ideo aliquando Clima pro Diœcesi dicitur, & Patriarcha Climatis pro Patriarcha Diœcesis, vt Nouell. 6. c. 2. & Nilus de Primatu Papæ l. 3. Clima autem maximus est orbis tractus, adeò vt orbem cognitum Romanum Barbarúmve ante Lusitanorum nauigationes, Geographi omnes in septem tantùm climata diuiderent.

Tertia significatio.

Tertia, pro multarum prouinciarum vnica administratione, ita vt Diœcesis nihil aliud sit quàm multarum prouinciarum in vnam ciuilis aggregatio & veluti coalitio. Hoc sensu ab Imperatoribus & Iurisconsultis post Constantinianam prouinciarum distributionem fere semper sumitur. Africâ à Barbaris vindicatâ, illius nominis & administrationis memoriam ab obliuione vindicare voluit Iustinianus. Illius ergo prouincias omnes in vnam Diœcesim restituit, vt ex Nouell. 131. constat, cui mutato Vicario Præfectum attribuit: ita in codice Theodosiano sæpissimè. Apud autores Ecclesiasticos eiusdem temporis non minùs frequenter occurrit hæc significatio, vt

Vicarius Africæ in Præfectum mutatus.

can. 26. Conſtant. Synodi primæ, & in epiſt. eiuſdem Concilij ad Damaſum Pontificem apud Theodor. l. 5. hiſt. c. 9. Concil. Chalced. c. 9. 17. 28. plura eiuſmodi teſtimonia ex præcedentibus & ſequentibus obſeruationibus colligi poterunt. Generaliùs accipitur initio, act. 7. Synodi 7. pro vniuerſo trium Patriarcharum Orientalium diſtrictu. Sic ſubſcribunt Ioannes & Thomas Preſbyteri & Monachi, *Loci ſeruatores Apoſtolicorum thronorum Orientalis Diœceſis*. paulò poſt diſertè quid hoc ſit explicatur, cùm ſimpliciter ſubſcribunt, quod antea fecerant in fine actionis quartæ, *Retinentes locum trium Apoſtolicarum Sedium, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ.*

Diœceſis pro vniuerſo Oriente.

Quarta ſignificatio.

Quarta, ſed minùs frequens, pro ἐπαρχία & prouincia ſic ſpecialiter dicta, quæ Metropoli ſubeſt. ita Hincmarus epiſt. ad Nicolaum Papam, quæ eſt ordine ſecunda, circa finem, *Non ſolùm Diœceſis verùm etiam parochia mea inter duo regna ſub duobus regibus habetur diuiſa :* & ad Carolum Regem pro Eccleſia Syluanectenſi: *Literas Metropolitanæ autoritatis ſuper electionem certæ perſonæ ad Coëpiſcopos Remorum Diœceſeos dirigemus.* Sæpius in eodem ſenſu vſurpatur in fragmentis, cum opuſculis Hincmari à Ioanne Cordeſio, viro de literis bene merito, euulgatis. Sic Nicolaus I. epiſt. 5. ad Hincmarum, & epiſt. 13. ad Turonenſem Epiſcopum. Zonaras, in can. 28. Chalced. in eadem ſignificatione hoc nomine abuſus eſt, Αἱ γὰρ λοιπαὶ Διοικήσεις, ἡ τῆς Μακεδονίας, δηλαδὴ καὶ Θετταλίας, Ἑλλάδος, &c. *Cæteræ enim Diœceſes, Macedoniæ ſcilicet, & Theſſaliæ, Helladis & Peloponneſi*, &c.

Quinta huius vocis notio apud autores Ecclesiasticos nunc est vsitatissima, pro territorio atque omni ditione Episcopali, quæ antiquis omnibus canonibus & autoribus Parœcia dicitur: res postea immutata est. Parœciæ enim dictæ sunt Presbyteris subditi tituli & pagi; Diœceses verò quæ singulis Episcopis subsunt vrbes cum titulis & Pagis. Neque antiquis autoribus incognita fuit hæc significatio, quanquam non ita frequens: eam enim vsurpauit S. Leo, ep. 87. ad Episc. Afric. c. 2. *Quod nunc in sua Diœcesi Restitutus Episcopus factum esse causatus est*, &c. Pari sensu scripsit Cicero ad Publ. Seruilium l. 13. epist. atque alibi. *In prouincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς Διοικήσεις Asiaticas attributas, nullo sum vsus familiariùs quàm Adrone.* Quinta significatio.

Sexta præcedenti non admodum dissimilis apud Afros ab antiquo frequens fuit, apud cæteras verò gentes, à Gothorum incursionibus & deprædationibus. Totum Episcopale territorium non significat, sed illius partes, oppida scilicet vrbi Episcopali attributa: itaque frequentiùs pluraliter enuntiatur quàm singulariter. Ita Patres Africani Concil. Afric. c. 23. & Carthag. 3. c. 46. *Audiuimus constitutum vt Diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi cum consensu eius sub quo fuerint constitutæ:* Item Afric. Conc. c. 20. & 38. & Carthag. 3. c. 43. & 5. can. 5. Bracar. 2. c. 1. & 2. *Placuit vt nullus Episcoporum cùm per Diœceses suas ambulat, præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.* Tolet. 4. c. 36. *Episcopum per cunctas Diœceses, parochiasque suas, per singulos* Sexta Diœcesis significatio.

annos ire oportet, &c. Ita can. 33. 34. 35. eodem ſenſu de Pappolo Epiſcopo dixit Gregor. Turon. l. 5. hiſtor. Franc. c. 5 *Dum Diœceſes & villas Eccleſiæ circumiret*, &c. Et Gelaſius I. Pontifex epiſtola ad Epiſcopos Siciliæ: *Illud etiam annecti placuit, vt ſi facultates Eccleſiæ, necnon & Diœceſes ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis, iure ſibi vindicent quod tricenalis lex concluſit.* Diœceſes iſtas vocat canon 17. Concil. Chalced. ἐγχωρίους παροικίας, oppidanas parœcias, atque à ruralibus ſiue ἀγροικικαῖς diſtinguit, vt interpretantur Zonaras, & Balſamon: Rurales autem parœcias intelligunt τὰς ἐν ἐσχατιαῖς κειμένας, καὶ ὀλίγους ἐχούσας τοὺς ἐν αὐταῖς οἰκοῦντας, *Quæ in remotis locis paucos continent incolas*, quæque, inquiunt, μονοίκια dicuntur.

Septem dignitatum Eccleſiaſticarum gradus.

Septem igitur colliges in vniuerſum adminiſtrationis Eccleſiaſticæ gradus antiquiſſimis patribus noſtris vſitatos, qui omnes ferè etiam nunc vigent, eâdémque autoritate pollent. Pontifex, Patriarcha, Primas, Metropolita, Epiſcopus, Chorepiſcopus, Parœcus. Pontifici totus orbis Chriſtianus ſubiicitur: Patriarchæ, orbis tractus; Primati, Diœceſis propriè & ciuiliter dicta; Metropolitæ, prouincia; Epiſcopo, Parœcia quæ nunc Diœceſis dicitur; Chorepiſcopo, κωμόπολις, pagociuitas, Metrocomia; Sicut enim ciuitates maiores Metropoles dicebantur, ita Pagi cæteris ampliores Metrocomiæ, id eſt, Pagorum Matres, l. vlt. C. Theodoſ. de patroc. vic. Parœco Pagus aut vrbis regio & vicus committebatur. Qui regioni vrbis præerat Parœcus & vniuerſaliter vrbicus Clericus, vt loquitur Cyprianus l. 1. epiſt. 8.

Metrocomias Chorepiſcopus regit.

paganum seu rusticanum honore semper antecedebat, vt statuit Concil. Neocæs. c. 13. Rusticanorum καὶ ἐπιχωρίων Presbyterorum mentionem præterea facit can. 8. Concilij Antioch. Forasticos nouo nomine appellat eos Concil. Bracar. 2. c. 56. quos vrbicis postponit. *Forasticis Presbyteris, præsente Episcopo vel Presbytero ciuitatis, offerre non liceat, nec ministrare in populo, nisi forte illis absentibus.* Ex hoc dignitatum albo solus Chorepiscoporum ordo expunctus est, seu potius commutatus. Quum enim Chorepiscopi nominis gloria superbirent, autoritatis sibi concessæ limites transilirent, Episcopisque comparari & æquari apertè gestirent, in ordinem acti sunt, paulatímque honorifico nomine sublato à cæteris Parœcis, vel Decanorum Ruralium appellatione distincti sunt, vel Archipresbyterorum & Πρωτοπρεσβυτέρων, qui in Ecclesia Romana commemorantur, Synodi 7. actione 4. & 7. quos Græci recentiores, vt Curopalates sæpiùs, Πρωτοπάπας vocant.

Vrbici Presbyteri rusticanos præcedũt.

EXERCITATIO XII.

Omnibus Diœceseωs Metropolitis vnum Præfuisse Episcopum.

Synodi Secundæ, canon 2. explicatus. Socratis Hallucinatio & ἀνιστορησία multiplex. illius occasio. Quare Tyrius Metropolita Exar-

chus & πρωτόθρονος dicitur. Pontica & Asiana Primates. Eorum autoritas.

CVM igitur harum vocum, Primatum, ἐξάρχων, & Dioecefeon apud Ecclefiafticos autores fignificatio adeò fit multiplex, ex vna cæteræ colligi & in vnum ordinem cogi non poffunt: Rerum certè nimium diffitarum ea effet complexio, atque, vt ita dicam, τὴν ἀσυγκλώστων συναφή. Quemadmodum igitur non licet inferre, Patriarchæ pluribus in locis Primates dicuntur; Omnes igitur Primates, Patriarchæ funt: Ita nec hoc Enthymema logicum eft, Metropolitæ fæpiùs Primates & ἔξαρχοι falutantur; Primates itaque omnes & ἔξαρχοι Metropolitæ funt. Primates enim & ἔξαρχοι κυρίως fic dicti à Patriarchis & Metropolitis diftincti funt, ordinémque medium inter eos conftituunt, Patriarchis quidem inferiorem, Metropolitis verò fuperiorem. Hoc porrò eft quod nobis probandum fufcipimus, ordinem fcilicet illum antiquiffimum effe, non recèns excogitatum. Cùm autem huiufce fententiæ plurima extent tum veftigia tum argumenta quæ nunc nobis occurrunt, hûc breuiter referenda funt, cætera diligentiores non effugient.

Canonis 2. fecũdi Cõcilij explicatio.

Primum huiufce rei argumentum è Concilij Conftantinopolitani canone 2. petitur. *Secundum canonas*, ftatuunt Patres, *Alexandriæ quidem Epifcopus, Ægyptum folam regat: Orientis autem Epifcopi, Orientem folum adminiftrent; feruatis priuilegiis ac præeminentiis, quæ funt in Nicæni Concilij canonibus Antiochenæ Ecclefiæ.*

Ecclesiæ. Et Asianæ Diœcesis Episcopi, quæ sunt in sola Asiana administrent: & Thraciæ Episcopi, Thraciam tantùm regant; & Ponticæ, Ponticam. Præter duos Patriarchas tres enumerantur Diœceses: quarum singulæ à propriis Episcopis administrantur. Vt ex hoc testimonio sententia nostra eruatur & comprobetur, duo nobis necessariò euincenda sunt: Prius, singularum Diœceseωn Metropolitis vnum præfuisse Episcopum, cæteris dignitate & autoritate præcellentem: Posterius, Episcopum illum totius Diœcesis Rectorem, Patriarchæ proprio subditum fuisse: hæc si semel obtinuerimus, nihil est quod conclusioni nostræ obsistere possit: vtrumque igitur tentandum. Prius tribus rationibus potissimum in mente nostra nititur. Regimen omne Ecclesiasticum est Monarchicum: Diœcesis Episcopi, statuente Concilio, Diœcesin regunt. Monarchicὸs igitur. Quemadmodum cùm dicunt Patres, quod fit sæpissimè, Prouinciæ Episcopi, Prouinciæ negotia administrent, vt can. Apost. 37. & Nicæn. 5. *Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta religionis, & incidentes controuersias Ecclesiasticas componant:* Omnes intelligunt, præeunte & præsidente Episcopis Metropolitâ: quod Apostoli disertè iubent, can. 33. néue aliter fiat, edicit Antioch. c. 20. *Nec vllis liceat Synodos per se facere, sine iis quibus creditæ sunt Metropoles.* Ita cùm hîc dicitur, Diœcesin administrent Diœcesis Episcopi, præeunte, necessariò supplendum est, & præsidente Metropolitis Primate. Idem præterea ex canone 6. eiusdem Concilij euidentissimè

M

colligitur. *Si nonnulli*, &c. *dicant se habere aliquas aduersus Episcopum criminationes, eos iubet sancta Synodus, primùm quidem apud Prouinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quòd si euenerit, vt Prouinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non poßint, tunc ipsos accedere ad maiorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum pro hac causa conuocatorum.* Diœcesana seu Primatialia Concilia celebrantur quæ de Prouincialibus iudicant. Vt igitur Patriarchale Concilium conuocat Patriarcha, prouinciale Metropolita, ita Diœcesanum qui Diœcesi præest; alioquin quomodo conuocabitur nemine conuocante?

Denique illud ipsum ipsissimis verbis testatur Socrates, histor. l. 5. c. 8. Decreta enim huius Concilij recensens, sic ait: *Nectario, ampla illa ciuitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obuênit. Ponticæ autem Diœcesis Patriarchatus Helladio Cæsareæ Cappadociæ contigit*, &c. *Patriarchatum item Asianum Amphilochius Episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ sortitò capiunt. Ægypti Diœcesis Timotheo Alexandriæ Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem Diœcesin iidem Episcopi qui antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodiceæ, & Diodorus Tarsi, obtinent: honoris prærogatiuâ Ecclesiæ Antiochenæ reseruatâ.* Socratis autoritas non ideo à nobis profertur, vt per omnia probetur. Thesis quidem vera est, Primates aut Patriarchas minores, (vt enim Patriarchæ Primates & ἔξαρχοι dicuntur, sic vicissim Primates &

ἔξαρχοι, Patriarcharum titulo nonnunquam insigniuntur) eo concilij decreto aut primùm institutos aut confirmatos fuisse: Cùm verò ad hypothesin descendit, plurimum hallucinatur. Ponticæ enim Diœcesi tres assignat Exarchos: cùm vni Diœcesi sicut vnus præerat Vicarius, ita vnus Exarchus; quorum Exarchorum alter, Gregorius scilicet Nyssenus, Episcopus tantùm fuit: Nyssa enim Metropolis Cæsareæ Cappadociæ simplex fuit Episcopatus: alter Otreius, Melitinensis quidem Metropolita, sed inter Ponticæ Metropolitas Gregarius, vt illos & Conciliorum subscriptiones & antiquæ Episcopatuum Notitiæ nobis repræsentant: Aliis verò Diœcesibus Orientis duos: qua in re præter errorem in præcedenti Diœcesis descriptione commissum, alterum præterea, eúmque grauissimum errauit. Asianæ enim Diœcesi duos tantùm tribuit Primates, Episcópos Iconij & Antiochiæ Pisidiæ: At vterque simplex atque è vulgo Metropolita fuit, Neuter vel nomine tenus Primas vnquam dictus est. Asiæ Primas, Episcopus fuit Ephesinus: ita subscribit in Concil. sexto, actione 18. *Theodorus misericordia Dei Episcopus Ephesiorum Metropoleos, καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῶν Διοικήσεως, & Primas Asianorum Diœcesis, pro me & Synodo quæ sub me est, similiter subsignaui:* atque ideo ait Euagrius, histor. l. 3. c. 6. Timotheum Episcopum Alexandrinum, τὸ Πατριαρχικὸν δίκαιον, *ius Patriarchicum*, Ecclesiæ Ephesinæ reddidisse, quòd Concilium Chalcedonense ei ademerat. Plurimùm imminuta est ab eo Concilio Ephesinæ Sedis autoritas; hanc in Concilij odium resti-

Socratis varia hallucinationes.

tuere conatus eſt Timotheus Hæreſiarcha. Hunc titulum ferè ad noſtra vſque tempora retinuit Epheſinus Epiſcopus, vt ex Andronici Palæologi Notitia apud Codinum colligitur, atque ex Græcorum conciliabulo poſt Florentinum ſub Gregorio Patriarcha celebrato. Hinc deniq; eſt quòd Notitiæ omnes ſedium throno Conſtantinopolitano ſubiectarum, tres Epiſcopos, Cæſareenſem, Epheſinum & Heracleenſem, trium Diœceſeων, Ponticæ, Aſianæ & Thracicæ, omnium primos enumerent ſemper, & deſcribant. Similem commiſit errorem Socrates in Orientis Diœceſi ſic κυρίως dicta; Non enim duos tantùm huius Diœceſis enumerat Primates; ſed neuter eorum quos enumerat, Primas fuit. Diœceſis enim Orientis Primas fuit Antiochenus Epiſcopus, & totius Orientis Patriarcha. Primæ verò Sedis Epiſcopus poſt Antiochenum in Orientis Diœceſi Tyrius fuit, non Tarſenſis, multò minùs Laodicenus: Ideo aliquando ſeſe Primatem & Exarchum inſcribit Tyrius Epiſcopus, vt in octaua Synodo: Θεὸς Θωμᾶ μητροπολίτου Τύρου πρωτοθρόνου καὶ ἐξάρχου, καὶ τοποτηρητοῦ τῆς Θεουπόλεως: Huius inſcriptionis rationem reddit Berterius Tholoſanus Præſes, poſterioris diatribæ, c. 1. *Diem ſuum*, inquit, *tunc obierat Antiochenus Patriarcha, vt Synodi illius actio prima teſtatur: quandiu autem ſuo carebat Antiſtite Orientis Diœceſis, tamdiu Primatis dignitatem Tyrenſis Epiſcopus ſuſtinebat; quod more antiquo receptum affirmat Tyrius, l 14. c. 12.*

Tyrius Archiepiſcopus in Antiochena Diœceſi primæ Sedis Epiſcopus.

Cæcæ huius hallucinationis occaſionem cepit Socrates ex Theodoſij edicto, l. 3. Cod. Theod. de

fide Catholica: quo Imperator, Episcoporũ quos Socrates inter Primates enumerat, fidem vt Catholicam omnibus amplectendam proposuit. Existimauit ille, eos Episcopos Diœcesibus à Concilio præfectos, cùm apud concilium de eorum præfectura ne γρῦ quidem. *Erroris Socratis occasio.* Hoc negotium tam distinctè explicat Sozomenus, histor. l. 7. c. 9. vt omnibus satisfacere possit. *Hæc quidem ad hunc modum Synodo placuerunt: quibus suum suffragium adiecit Imperator, legémque addidit, vt rata haberetur fides Concilij Nicæni, vtque Ecclesiæ vbiuis gentium collectæ illis committerentur, qui in substantiis* (malim in substantia, vt quidam codices legunt in ὑποστάσει non ὑποστάσεσι, vt legit Christophorson) *trium personarum, eadem dignitate eademque potentia præditarum vnam & eandem confiterentur diuinitatem, Patris & Filij & Spiritus S. Hos porrò esse qui congruerent in fide cum Nectario, Constantinopoli: in Ægypto, cum Timotheo Alexandriæ Episcopo: in Orientalibus Ecclesiis, cum Diodoro Tarsensi, & cum Pelagio Laodicensi in Syria Episcopo: apud Asianos cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ præsule,* &c. Ea verba ex rescripto Theodosij desumpta sunt: quæ in illius Cod. sic extant: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox iubemus, qui vnius majestatis atque virtutis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitentur, &c. quos constabit, communione Nectarij Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ; necnon intra Ægyptum, Timothei Alexandrinæ vrbis Episcopi, esse sociatos: quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi in Asia: necnon proconsulari atque Asiana*

Diœcesi Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno: In Pontica Diœcesi, Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otreio Melitino, & Gregorio Nysseno Episcopo, Terennio Episcopo Scythiæ, Marmario Episcopo Marcianop. communicare constiterit.

Primatis Pontici autoritas. Quarta, eaque validissima ratio à iurisdictione & autoritate petitur, quā Primates illi in Metropolitas exercuerunt, cuius exempla nonnulla extant. Nicomedia Bithyniæ est Metropolis, Bithynia autem Ponticæ Diœcesis Prouincia: Helladius ille de quo & Concilium & Socrates verba faciunt, Primas Cæsareæ Cappadocum, Gerontium quendam, non indoctum, Nicomediensis Ecclesiæ Metropolitam ordinat, vt autor est Sozom. l. 8. c. 6. Ordinatio autem autoritatis & Iurisdictionis testimonium erat potissimum. Eadem autoritate Alypius eiusdem Sedis Primas vsus est: accusatur apud eum Lampetius Presbyter, vt refert Photius, Biblioth. c. 52. Causam diiudicandam Alypius committit Hormizæ Comanæ Episcopo, qui ea cognita Lampetium Sacerdotio abdicat: Comana autem, vt Leonis Imperatoris notitia fidem facit, Prouinciæ Ponti est Episcopatus, Neocæsareensi Metropolitæ obnoxius. Vides igitur Primates in Metropolitas variásque prouincias autoritatem summam nemine repugnante obtinuisse, singulisque Diœcesibus Episcopos Rectores institutos.

EXERCITATIO XIII.

Primates Patriarchis subesse.

Quid Metropoli ius & priuilegium conseruare. Metropolis Cæsareæ quale priuilegium. Patriarcharum ius in specialem Diœcesin à iure Metropolitico & Patriarchico distinctum. Caroli Calui Imperatoris sententia illustrata. Jurisdictionis Pontificiæ quinque species.

ALTERVM propositionis nostræ caput est, Primates illos Patriarchæ proprio subditos fuisse. Quis verò hoc ibit inficias? Quis Cæsareenses, Ephesinos, aut Heracleenses Episcopos, Alexandrinis, Antiochenis aut Constantinopolitanis Patriarchis æquauit vnquam? Sed hoc quanquam res ipsa euidenter demonstret, rationibus tamen aliquot euincamus. Nostræ sententiæ locupletes testes sunt Patres ipsi Constantinopolitani, qui de autoritate Exarchorum sententiam laturi, eam Antiochenæ Sedi nullum præiudicium allaturam, nullam iniuriam illaturam præfantur. *Orientis autem Episcopi, Orientem solum administrent, seruatis priuilegiis ac præeminentiis, quæ sunt in Niceni Concilij canonibus Antiochenæ Ecclesiæ.* Quid ea cautione & ex-

ceptione opus erat, ſi omni in Orientis Exarchos iure & autoritate ſpoliatus erat Antiochenus Epiſcopus? Quoniam verò Patres ad Concilium Nicænum prouocant, quid in eo Concilio ſit, priuilegia & præeminentias Eccleſiarum ſeruare diſpiciamus. Canone ſeptimo Æliæ Epiſcopus honoratur, τῇ Μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, *Metropoli propria dignitate ſeruata.* Atqui conſtat, Æliæ Epiſcopum, antequam ad Patriarchatus dignitatem eueheretur, Metropolitæ Cæſareæ Palæſtinæ fuiſſe ſuffraganeum, eiuſque mandatis obſequentem, vt non modò teſtatur S. Hieronymus, ſed etiam aduersùs Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum, ex hoc canone demonſtrat. Priuilegia igitur dignitatémque Eccleſiæ ſeruare, illius eſt autoritatem & iuriſdictionem illibatam inuiolatámque conſeruare. Cùm itaque ſic edicunt Patres Conſtantinopolitani, *Orientis Epiſcopi, Orientem adminiſtrent ſeruatis priuilegiis Antiochenæ Eccleſiæ*, autoritatem Epiſcopis Orientis conceſſam, autoritati quam in eos antea iure obtinuit Antiochenus Patriarcha præiudicare nolunt. Sed exercitatione præcedenti eo canone Diœceſes, Aſianam & Thracicam à Primatibus & Exarchis regi demonſtrauimus. Primates igitur illi Patriarchæ Antiocheno ſuberant. Idem ex Concilio Chalcedonenſi colligitur, act. 6. & 13. Nicæna Sedes & Chalcedonenſis honorantur: qua verò conditione? Σωζομένου δηλαδὴ τῇ Νικομηδέων Μητροπόλει τοῦ ἰδίου ἀξιώματος: iuris conſeruationem illam ita Patres interpretantur, vt Epiſcopis illis honos additus à Metropolitæ poteſtate eos non eximat, quod generali

Quid Epiſcopo honorato priuilegiũ Metropolitæ conſeruare.

generali ſanctione poſtea, can. 12. Patres decreuerunt. *Quæcumque ciuitates per literas Imperatoris Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, & qui eius Eccleſiam adminiſtrat Epiſcopus,* Σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν Μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. *Seruato ſcilicet veræ Metropoli ſuo iure.* His igitur verbis, *ſeruatis priuilegiis*, &c. Ex vſu huius temporis Eccleſiaſtico, Antiocheno Pontifici Patriarchalis in vniuerſum Orientem conſeruatur autoritas: Vniuerſus enim Oriens, vt ſupra demonſtrauimus, ei commiſſus eſt, cui ampliſſimæ poteſtati hoc canone nihil derogatum eſt.

Quo iure Eccleſiaſtico Metropoles Cæſarianæ fruebãtur.

Eiuſdem iuriſdictionis in Occidente & Africa teſtis eſt Hincmarus, epiſt. 6. c. 4. Hincmari hæc ſunt verba: *Sancta Romana Eccleſia, cui ſolicitudo omnium Eccleſiarum in Beato Petro Principe Apoſtolorum eſt commiſſa, plures Metropolitanos in ſpeciali ſua Diœceſi habet, ſicut S. Leo apud Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum monſtrat. Similiter & Alexandrina Eccleſia in ſua Diœceſi habet, ſicut S. Innocentius ad Alexandrum eiuſdem Sedis Epiſcopum ſcribit.* Sortiti ſunt igitur Patriarchæ Romanus & Alexandrinus ſpeciales quaſdam Diœceſes, quarum reſpectu Exarchi dicuntur & Primates: vel, ſi Exarchorum & Primatum nomina tibi diſplicent; Vnuſquiſque certam quandam Diœceſin nactus eſt, quam ſpeciali quodam iure regit & gubernat. Diœceſim autem illam deſcribit Hincmarus eandem quam Primati ſubeſſe contendimus. Ait enim ſpecialem illam Diœceſim, ſiue Romanam, ſiue Alexandrinam plures Metropoles ſub ſe complecti.

Patriarchis ſpecialis quædam Diœceſis ſubeſt.

N

Plures igitur Prouinciæ componunt iſtam Diœceſin. Si verò Prouinciæ quædam ſunt ſpeciales, & Diœceſis eſt ſpecialis; Diœceſes omnes & Prouinciæ ſpeciales eſſe non poſſunt. Alia eſt igitur habitudo & σχέσις Diœceſis ſpecialis ad Patriarcham, alia cæterarum Diœceſεων: Aliud eſt imperium & dominium Patriarchæ in ſpecialem Diœceſim, aliud in cæteras Diœceſes. Si enim ex æquo omnes illi ſubeſſent, nulla eſſet ſpecialis. Quid porrò hoc aliud eſt, quàm Pontificem præter ius illud vniuerſale, quod illi diuinitus in vniuerſum orbem collatum eſt, iure præterea Exarchico frui & Patriarchico; Exarchico in ſpecialem Diœceſin, cuius eſt Primas; Patriarchico, in cæteras Diœceſes earúmque Primates, in quos nihil iuris eſt aliis Patriarchis? De Alexandrino Patriarcha ex ſententia Hincmari idem dictum eſto.

Ius Pontificis in Diœceſin diſtinctum a iure Patriarchico.

Sed Hincmari ſententiam autoritate & maieſtate ſua confirmet Francorum Rex & Romanorum Imperator Carolus Caluus ad Ioannem Octauum Pontificem ſcribens, c. 22. Epiſtolæ quæ inter Epiſtolas Hincmari nona inſeritur. Diœceſin iſtam ſpecialem Hincmaro ſpecialiùs adhuc & euidentiùs aſſerit. *Legimus*, inquit, *quamuis rariſſimè præceptum à Sede Apoſtolica, quoſdam de longinquioribus parochiis ſpecialis Diœceſeos Romani Pontificis, ad cuius ſolicitudinem vniuerſalis Eccleſia pertinet, propter contumaces contentiones aliquas inuitatos fuiſſe. Sed de tranſalpinis regionibus, quibus decreta priuilegia ſeruari debent, tale quid pro presbyterorum & diaconorum appellatione, à Sede Apoſtolica præceptum fuiſſe, non legimus.* Determinatam hîc habes

ab Imperatore ſpecialem Pontificis diœceſim; iúſque quoddam in ſpecialem diœceſim, quo in reliquas diœceſes ordinaria lege non vtitur. Specialis illa diœceſis reſpectu Galliæ, Alpibus terminatur, hoc eſt quod dicimus, Italiæ diœceſis ſingulari quodam modo Pontifici ſubeſt. Ius verò ſpeciale quo in ſpeciali ſua diœceſi Pontificem vti notauit Imperator, Preſbyterorum eſt & Diaconorum, litis cauſa ad Curiam Romanam euocatio, quam è longinquioribus Parochiis ſpecialis diœceſis nonnunquam Pontifices Romanos indixiſſe affirmat, in tranſalpinis autem regionibus id nunquam præſtitiſſe. Singulari igitur iure in Italiæ diœceſi vtitur Pontifex, quod in reliquis Occidentis diœceſibus ſibi non vendicat. Singulari prætereа in Occidente, quod in Oriente ἀμέσως ſibi attribui non vult, ſed Patriarchis integrum & inuiolatum ex antiqua & Apoſtolica conſuetudine minimè concedit inuitus. Quod exempli cauſa de Metropolitarum & Epiſcoporum Orientalium & Ægyptiorum conſecrationibus & confirmationibus infrà demonſtrabimus.

Imperatoris verba quæ cap. 21. eiuſdem epiſtolæ leguntur, eandem doctrinam non parum illuſtrant. *Poteſt enim fieri*, inquit, *vt illi qui in vicinis parochiis ſunt huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quique iuxta ſacras regulas ad manus impoſitionem, & ad Synodos hûc conuenire ſolent, ipſi pro reclamatione contra Presbyteros ſuos ad præfatam examinationem conueniant.* Vides quàm exactè ius Metropoliticum diſtinguat Imperatòr à iure Diœcetico ſiue Primatiali. Ius eſt Metropoliti- *Ius Pontificu Metropoliticum à iure Primatiali diſtinctum.*

cum Episcopos consecrare, eos ad semestres aut annuas Synodos conuocare, eorúmque contentiones & appellationes diiudicare. Ius hoc ordinarium, docet Imperator, in parochias vicinas & propriam Prouinciam Episcopo Romano competere. Ius igitur Pontificis quadruplex; ex Hincmaro & Carolo Rege colligitur. Metropoliticum in Prouinciam; Exarchicum in diœcesin specialem; Patriarchicum in transalpinas regiones, Galliam, Germaniam, cæterasque conterminas; Pontificium denique in vniuersum terrarum orbem: Quibus ius Episcopale in Romanam parœciam, vt nihil omittatur, adiungendum est. Idem præterea ex ea quam in Primates exercuit autoritate S. Chrysostomus sequenti obseruatione euidentissimè demonstrabimus.

Iurisdictionis Pōtificiæ quinque species.

EXERCITATIO XIV.

De Translatione Primatum Orientalium è Patriarchatu Antiocheno, & Thraciæ Diœcesis, è Romano ad Constantinopolitanum.

S. Chrysostomus Episcopi Romani per Asiam Legatus. Diœceseωn Asiaticarum ab Epi-

ſcopo CP. vſurpatio. Epheſinæ prouinciæ contradictio.

PRIMATVM & Exarchorum noſtrorum Orientalium diu ſub Patriarcha Antiocheno non ſtetit autoritas: Conſtantinopolitanus enim Epiſcopus à Concilio ſecundo generali, ſecundis poſt Romanum Pontificem priuilegiis ornatus, ſuperbiæ cacodæmone tanquam œſtro Acherontico percitus, Collegarum prouincias & diœceſes ſtatim inuadit, iuriſdictionis fines à Patribus conſtitutos diripit, Epiſcopos & Metropolitas in Parœcias & prouincias alienas intrudit, appellationes iniquas ad ſe rapit; eóque tandem artificiis & fraudibus ſuis deuênit, vt autoritate Concilij Chalcedonenſis Antiochenus Patriarcha duabus diœceſibus, Aſiana & Pontica multaretur, Pontifex verò in Thracicam iure patriarchico, tribus his diœceſibus patriarchatui Conſtantinopolitano attributis. Primus iniquæ huic vſurpationi occaſionem dedit S. Chryſoſtomus: *Omnia mala exempla à bonis initiis orta ſunt.* Cùm enim vir ille ſanctus Aſianam diœceſin Epiſcoporum quorundam iniquitate miſerè dilacerari audiuiſſet, Epiſcopos Aſiaticos tredecim exautorauit, totidémque alios ſubſtituit. Neque Aſianæ prouidiſſe diœceſi contentus, Ponticam curauit: Gerontium enim Nicomedienſem Archiepiſcopum, ab Helladio Cæſareenſi Ponticæ Primate ordinatum, Sede expulit, eique Panſophium quendam præfecit, vt autor eſt Sozom. l. 8. c. 6. Imò

S. Chryſoſtomi in Aſiaticos Epiſcopos autoritas.

Ephesinæ Ecclesiæ, in qua Exarchatûs apex residebat, Primati mortuo Heraclidem Diaconum suum suffecit, vt idem Sozomenus & Socrates, l. 6. histor. c. 10. Neque intactam reliquit Thracicam diœcesim. *Prospexit*, ait Theodoretus, histor. l. 5. c. 28. *non illi soli ciuitati, verumetiam toti Thraciæ, quæ est in sex Episcopatus diuisa, & cunctæ etiam Asiæ quæ vndecim habet Antistites. Ponticam præterea Ecclesiam quæ eundem habet Episcoporum numerum quem Asia, eisdem legibus adornauit.*

S. Chrysostomus per Asiã Pontificu legatus.

Qua verò autoritate vir sanctus tantum facinus aggredi ausus est? Si priuatâ, impius & sacrilegus fuit canonum præuaricator. Vt enim cæteros taceam, canone 2. Concilij II. generalis sic edicitur, *Episcopi ad Ecclesias quæ sunt vltra suam diœcesin, suosque limites, ne accedant, nec Ecclesias confundant:* tantum autem crimen viro sancto & de Ecclesia Catholica tam bene merito impingere scelus est. Priuata igitur autoritate hoc non præstitit. Quo verò animo priuatus hæc præstitisset, cùm cœptum idem in Epiphanio adeò seuerè reprehendat, plebémque Constantinopolitanam illud non passuram interminetur. Sed virum sanctum apud Socratem, l. 6. c. 13. loquentem audiamus. *Multa contra canones agis Epiphani: Primum quòd Ministros Ecclesiæ ordinas in Ecclesiis quæ sub me sunt; deinde quòd antequam erat tibi à me potestas permissa, tua ipsius autoritate sacra mysteria celebrasti: Contra, cùm eras à me ad ea inuitatus, renuisti, ac rursus iam tibi ipse facis potestatem. Vide igitur ne si tumultus ob eam causam in populo oboriatur, periculum inde in tuum ipsius*

caput redundet. Si priuata autoritate vir disciplinæ Ecclesiasticæ obseruantissimus hoc non tentauit, qua tandem potestate nixus rem tanti momenti non tantùm aggressus est, sed nemine contradicente canonésque vindices inuocante, est executus? Nulla certè præter supremam Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam autoritatem & potestatem fingi, ne dicam obtendi, potest. Vt enim antea Lucifero Calaritano Episcopo vices Romani Pontificis agente, Antiochenum Patriarcham creare & consecrare licuerat, ita S. Chrysostomo eâdem autoritate communicata, cur idem in Asia Ponto & Thracia non licuisset?

Quemadmodum autem cibi omnes, quantumlibet sani καὶ εὔχυλοι, stomachis malè affectis sunt maligni, καὶ κακόχυμοι: ita hîc accidit. Quod enim vicaria & extraordinaria autoritate fecerat Chrysostomus, id iure suo & vrbico sibi licitum esse contenderunt Byzantini Episcopi, atque, vt obtinerent, omnem lapidem mouerũt. Itaque autoritatem ab Episcopis & Clero sponte vel precariò delatam ὡς ἁρπαγμὸν ἡγήσαντο, & auidè amplexi sunt, vt Proclus Patriarcha Cæsareensis Primatis ordinationem, ad eum Constantinopolim vsque ea de causa confugientibus Cæsareensibus Clericis, vt refert Socrates historiæ capite vltimo: Vel denegatam clàm & per cuniculos surripuerunt, aut vi & aperto marte sibi vindicarunt: vt in eodem Proclo specimen editum, cùm Sisinnius Patriarcha Constantinopolitanus eum Cycizenis inuitis Metropolitam intrudere, sed frustra conatus est.

Episcoporũ Constantinop. vsurpatio.

Ita quod iustè & fortiter executus erat S. Chrysostomus, iniquissimè & insolentissimè posteri tentarunt, atque tandem obtinuerunt. Vsurpationi autem suæ Chrysostomi exemplum obtendebant. En argumenta quibus Sedis Constantinopolitanæ Legati ordinationem Ephesini Episcopi sui iuris esse concludunt, Concilij Chalced. act. 11. aduersus eiusdem Metropolitæ suffraganeos: *Philippus Reuerendissimus Presbyter CP. sanctissimæ magnæ Ecclesiæ dixit: sanctæ memoriæ Ioannes Episcopus CP. quindecim Episcopos deposuit, profectus in Asiam, & pro eis alios ordinauit, & Memnon hîc confirmatus est. Aëtius Archidiaconus CP. dixit: & Castinus hîc ordinatus est, Heraclides & alij cum voluntate nostræ vrbis Archiepiscopi ordinati sunt. Basilium similiter beatæ memoriæ Proclus ordinauit.* Plures enumerant ipsi Asianæ & Ponticæ Episcopi in eodē Concilio ad calcem actionis 16. Frustra tandem reclamantibus & miserè eiulantibus Ephesinæ prouinciæ Episcopis, eâdem actione huius Exarchi ordinandi Byzantino Episcopo facta est à concilio potestas. Neque tanto priuilegio restinctus est Ecclesiæ CP. promouendæ zelus: fertur enim in eo Concilio canon non tantùm de Exarchia Asiana, sed etiam de Pontica & Thracica in ius regiménque Episcopi Constantinopolitano transferēda. Canonis ea verba sunt: *Ponticæ & Asianæ & Thracicæ Diœcesis Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum Diœceseωn, quæ sunt inter barbaros à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur.* Quo canone ius omne Antiocheno Patriarchæ in Asianæ & Ponticæ

Vsurpationi Ephesinæ Prouinciæ cōtradictio.

ticæ

ticæ Primates, in Thracicam verò, Patriarchicum Pontifici ademptum eſt, nouæque Romæ Epiſcopo collatum. Huic canoni fortiſſimè contradixit S. Leo, vt ex 61. 62. epiſt. aliiſque conſtat, atque ideò hic canon à Latinis Collectoribus in numerum canonum nunquam eſt relatus: tandem tamen inualuit, tenaciſſimæ Parœcorum Byzantinorum ſuperbiæ Pontificum cedente clementia.

EXERCITATIO XV.

Exarchos Patriarchis ſubeſſe, Metropolitis verò præeſſe, ex Concilio Chalcedonenſi demonſtratur.

Quatuor Epiſcoporum ordines Iuſtinianus enarrat. Quid ſit apud eum Patriarcha Diœceſis. Interpretationis quorundam Græcorum & Hincmari confutatio. Canones Chalcedonenſes ad vſque 28. à Latinis recepti. Patriarchæ ſententiam ab alio Patriarcha non retractari probatur.

NE autem regeras eò quòd tantùm de Metropolitanis Diœceſum verba facit canon Concilij Chalcedonenſis vigeſimus octauus, Exarchos aut Patribus incognitos fuiſſe, aut etiam

O

ab iis silentij quâdam consequentiâ sublatos, præsto nobis sunt eiusdem Concilij canones duo, 9. & 17. qui Primatum & Exarchorum non tantùm mentionem faciunt, sed eos verbis tam claris & disertis confirmant, vt in iis canonibus non atramento, sed Solis radio, vt loquitur Tertullianus, exarati videantur. *Si Clericus*, edicit canon. 9. *habet causam aduersùs Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum Prouinciæ iudicetur. Quòd si aduersùs eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem, ἔξαρχον Diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ.* & can. 17. *Quòd si quisquam à suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud sanctam Constantinopolitanam Sedem iudicetur.* Commentariis opus non habent hæc verba: Primatem vides Metropolitano superiorem, cùm de eo iudicet; Patriarchâ verò inferiorem, cùm ab eo iudicetur. Ita hunc canonem intellexit Balsamon qui ex Chartophylace Constantinopolitano Patriarcha creatus est Antiochenus; cuius verba cùm sententiam nostram enucleatissimè explicent, hîc attexemus. *Diœcesis Exarchus est, vt mihi videtur, non vniuscuiusque prouinciæ Metropolitanus, sed totius Diœcesis Metropolitanus. Diœcesis autem est quæ multas sub se habet prouincias. Hoc autem Exarchorum priuilegium non est ampliùs in vsu. Etsi enim dicuntur Exarchi quidam ex Metropolitanis, sed tamen alios Metropolitanos qui sunt in Diœcesibus, non habent omnino sibi subiectos. Est ergo verisimile, alios fuisse, qui tunc erant, Exarchos Diœcesum: vel esse quidem adhuc ipsos, sed quæ eis data sunt*

à canonibus priuilegia, exoleuisse.

Iustiniani tempore nondum hos Exarchos exoleuisse, ex eius Nouellis colligitur: tres enim supra Episcopos dignitatum gradus aliquando constituit, vt Nouell. 123. c. 10. *Iubemus vnumquemque beatum Archiepiscopum, & Patriarcham & Metropolitam, sanctißimos Episcopos sub se constitutos in eadem prouincia semel aut secundò per singulos annos ad se conuocare.* idem innuit Nouell. 137. c. 5. *Si quidem Episcopus est is qui accusatus est, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta sunt: Si verò Metropolitanus sit, eius beatißimus Archiepiscopus sub quo degit.* Eodem ferè modo intelligendus est Iustinianus, cùm eâdem Nouella cap. 22. & alibi à Metropolita ad Patriarcham Diœcesis appellationes iubet esse ratas. Illi enim Patriarcha Diœcesis, Primas est, aut Patriarcha κατ' ἐξοχὴν dictus. Nam canone Chalcedonensi, litigantibus datur optio aut Primatem conueniendi aut Patriarcham cui Primas ille subest. Ni ita fieret, iurisdictionis Ecclesiasticæ gradus præ multitudine sua Clericis importunæ nimiùm & onerosæ essent, contentionibus finis nunquam imponeretur, multáque alia incómoda consequerentur: Atque ea potissimùm causa fuit cur in Oriente primùm, deinde in Occidente Primates magna ex parte desierint, noménque solum iurisdictione cassum retinuerint. Ad hos igitur canones cùm alluderet Imperator, Patriarcham non simpliciter conueniri iubet, sed Patriarcham Diœcesis, vt vtrumque Patriarcharum genus complecteretur: vterque enim Diœcesi præest. Si Patriarcham sic κυρίως di-

Quatuor Episcoporũ ordines Iustiniano cogniti.

Quid apud Iustinianũ Patriarcha Diœcesis.

ctum intelligi tantùm voluisset, Patriarcham absolutè eum vocasset: non autem cum circumscriptione Patriarcham Diœcesis: cùm Patriarchas pluribus Diœcesibus imperare non ignoraret.

Graecorum & Zonara interpretatio refellitur.

Duobus his canonibus duæ aliæ affinguntur interpretationes: Prior est Græcorum quorundam quos refert & sequitur Zonaras, qui per Exarchum Diœcesis nihil aliud quàm Metropolitam interpretantur. Absurdissima est hæc interpretatio; & textus sola citatione refutanda. *Si quis iniuria afficiatur à proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœcesis, vel Constantinopolitanam Sedem litiget.* Si Exarchus est Metropolita, Clericus iniuria affectus à Metropolita, ad Metropolitam prouocare iuberetur, & in causa propria iudex constitueretur, bisque in eadem causa sententiam ferret, similiáque alia multa incommoda consequerentur à recta ratione alienissima. Si verò hæc absurda fugiens, Metropolitam quidem fuisse hunc Exarchum concedat, sed alium à priore & proprio Metropolita: hoc est ipsum quod contendimus. Metropolita enim qui Exarchus dicitur, iis Metropolitis præest, quorum sententias cognoscit & iudicat. Posterior interpretatio est Hincmari doctissimi Rhemorum Archiepiscopi; qui in opusculo illo 55. capitulorum longè doctissimo, cap. 23. & 24. ita canonum istorum mentem videtur intellexisse, vt iis Constantinopolitano Episcopo facta fuerit, appellationes à Conciliis atque etiam à Patriarchis interpositas cognoscendi, & retractandi potestas; ita vt mens fuerit Concilio eadem priuilegia Byzantinæ sedi defer-

Hincmari interpretatio refellitur.

re, quæ Romanæ Sedi confirmauerat Sardicensis Synodus. *Egit enim Anatolius*, inquit Hincmarus, *tunc Constantinopolitanus Episcopus apud Synodum & Imperatorem*, &c. *vt istud capitulum aliis necessariis interpositum de appellatione Episcoporum & Clericorum ad Sedem regiæ vrbis CP. foret: quatenus constitutionem Sardicensis Concilij de appellatione Clericorum apud finitimos Episcopos, & appellationem Episcoporum de regionali Concilio ad Sedem Apostolicam eidem Apostolicæ Sedi abriperet*, &c. Sed falsus est Hincmarus, atque in canonis ἐξαιρεσιμαίου designatione cespitauit: Quæ enim de fraudibus Anatolij, Leonis, Gelasij & Liberati testimonia refert, de canone huius Concilij vicesimo octauo intelligenda sunt: non autem de nono aut decimo septimo, vt ἀναντιῤῥήτως multa demonstrant. Ipsa primò acta Concilij quæ extant in fine, act. 16. Vltimo enim decreto multis nominibus contradicunt Pontificis Legati: quòd iis absentibus, quòd circumuentione latum fuerit, quòd violentia adacti Episcopi illud admiserint: Tot verò canones qui à nono ad 28. intercipiuntur, vnico die quo absentes fuerunt Pontificis Legati, & circumuenti, conditos fuisse non est probabile. Deinde Latini canonum Collectores omnes, Dionysius, Cresconius, Hadrianus, omniáque Latina exemplaria canonem 28. omittunt, nonum verò & decimum septimum semper enumerant. Quid porrò causæ est? nisi quòd nonum & decimum septimum Patriarcharum autoritati à S. Leone tanta animi contentione propugnatæ non repugnare crederent? Præterea in æstu disputationis

Patrum cum Pontificis Legatis, ter repetitur disputationis hypothesis, & toties vicesimus ille octauus canon proponitur & repetitur, de nono aut decimo septimo altum silentium.

Patriarchæ sententia ab alio Patriarcha non retractatur.

Denique falsum est Patriarchas cæteros Constantinopolitano Episcopo aliquando subditos fuisse, eorúmque iudicia ab eo recognita fuisse: Æqua fuit Patriarcharum omnium potestas: hoc Græci ipsi autores contendunt, vt Balsamon in opusculo de Patriarcharum priuilegiis, iuris Orient. l. 7. tom. 1. Ἰσοτιμίαν ἐν ἅπασιν ἔχουσι, καὶ κεφαλαὶ τῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἁγίων Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ δικαίως καλούμενοι. *Patriarchæ in omnibus dignitate pares sunt, & Ecclesiarum Dei per vniuersum orbem capita meritò vocantur.* Atque in can. 12. Antioch. Αἱ ψῆφοι γὰρ τούτων, ἐκκλήτῳ οὐχ ὑπόκεινται. *Eorum*, inquit, *sententiæ appellationi non subijciuntur:* quod Iustiniani autoritate probat, multisque aliis rationibus euincit, appellationes à Patriarchali sententia nunquam licitas fuisse. Iustiniani autem testimonium luculentum est, l. 29. C. de Episcop. audientia. *Si verò se lædi existimauerit, prouocet illius Prouinciæ beatissimum Patriarcham; atque iis quæ ipse iudicauerit, omnino pareat, perinde ac si eum ab initio iudicem esset consecutus. Nam contra horum Antistitum sententias non esse locum appellationi à Maioribus nostris constitutum est.* Zonaras similiter in canon. 17. Chalced. cuius hæc verba sunt: *Si verò cum Metropolitano ipso Episcopus litiget, tunc ad Constantinopolitanum, si tamen in eius ditione sint qui altercantur, controuersia deferatur. Neque enim Syriæ, Palæstinæ, Phœniciæ, aut Ægypti*

Metropolitas inuitos ad ſua ſubſellia trahet Conſtantinopolitanus. Sed Syriæ Metropolitani cauſam Antiochenus cognoſcet; de Palæſtinis Hieroſolymitanus; de Ægyptiis Alexandrinus Patriarcha pronuntiabit. Inde fluunt hæc Syneſij verba de Sede Alexandrina, epiſt. 67. Ἐγὼ καὶ βούλομαι, καὶ ἀνάγκη μοι θεία νόμον ἡγεῖσθαι, πᾶν ὅ,τι ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ. *Volo ego, & diuina mihi neceſsitas incumbit, legem ducere quidquid thronus ille decreuerit.* Neque ea de re S. Leo præcipuè conqueritur: ex eius enim epiſtolis, quæ hac in cauſa plurimæ ſunt, tantùm cognoſces, Conſtantinopolitanum Epiſcopum à Concilio cæteris Patriarchis honore prælatum ægerrimè conqueſtum fuiſſe; æqua verò priuilegia non admodum indignatum fuiſſe. Antequam hanc diſſertatiunculam concludam, abſurditatem abſurdiſſimam ex ea interpretatione enaſcentem coronidis vice proponam. Fingamus rem ita ſe habere, per *Exarchum Diœceſis* intelligatur, aut Patriarcha Antiochenus, aut Alexandrinus, aut quiuis alius: Sic decernit Concilium: *Si quis iniuria afficiatur à proprio Metropolitano, apud Exarchum Diœceſis vel Conſtantinopolitanam Sedem litiget.* Licebit igitur non tantùm à Patriarcha Conſtantinopolim prouocare, ſed prætérito Patriarchâ proprio Sedem illam adire, omnémque cauſæ cognitionem hac arte Patriarchis adimere: Atque ita eo canone non tantùm Patriarchæ throno Conſtantinopolitano ſubiiciuntur, ſed ſi Clericis & Epiſcopis placuerit, omni in Metropolitas iure fruſtrantur. Tertiam interpretationem à præcedentibus diuerſiſſimam his canonibus viros

maxima autoritate præditos affingere non ignoramus, sed multis de causis eam nunc valere iubemus.

EXERCITATIO XVI.

De Barbarorum Catholicis & Primatibus.

Seleuciensis Primatus in Romagyriensem & Bagdacensem diuisus. Catholicorum Primatum antiquitas. Iacolith vox apud M. Paulum emendata. Seleuciensium & Æthiopicorum Primatum autoritas. Moscouiæ Primas CP. Episcopo subditus.

HVIVS distinctionis Primatum Orientalium à Patriarchis & Metropolitis plura sunt testimonia quæ hîc cæteris breuiter adnotare sufficiet. Præter Primates illos de quibus verba fecimus, alij sunt in diuersis terræ plagis Patriarchis antiquis subditi. Antiocheno subsunt Primates duo, qui à Syris atque Orientalibus populis nomine Græco Catholici vocantur. Catholicus Annensis Persiæ siue Romagyreos, & Catholicus Bagdacensis: Subsunt ambo, vt refert Vitriacus, histor. Orient. c. 23. Antiocheno Patriarchæ, sexque Metropolitanos regunt.

Habet

Habet sub se, inquit, *viginti Prouincias Antiochenus Patriarcha: quarum* 14. *Metropolitanos habebant cum sibi suffraganeis Episcopis. Sex verò reliquæ sub dictis Primatibus seu Catholicis duobus continentur.* De Seleuciensi Primate seu Catholico ea decernunt canones Arabici quæ sententiam nostram planè confirmant. Est autem Seleuciensis Patriarcha idem qui Bagdacensis, vt suprà coniectati sumus, aut potiùs vtrumque Primatum olim complectebatur, id est, Seleuciensis Catholicus vniuersam antiquitùs ditionem illam Orientalem solus moderabatur: crescente postea fidelium multitudine, regionésque varias occupante fide Catholica, Seleuciensis Diœcesis bipertita est, parsque Romagyreos Metropolitæ attributa, paulatímque Seleucia ciuitate dirutâ Seleuciensis Sedes Babylonem translata. *Seleuciensis Primatus bipertitus.*

Huic coniecturæ fauere videtur Otto Frisingensis, Chronici l. 7. c. 32. cùm legationem refert Armeniorum Episcoporum, & eorum Metropolitę ad Romanum Pontificem Eugenium III. quam in annum Christi 1145. coniicit illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum conditor. Ait enim Otto, Armenios Metropolitanum suum Catholicum vocare, id est, Vniuersalem, atque ampliùs quàm mille Episcopos in ditione sua complecti. Vnicus tum temporis fuisse videtur in Armenia, cæterísque Orientis barbaris prouinciis Catholicus & Primas, cùm tanto & fere incredibili Episcoporum numero vnus ille præfuerit. Eadem est & dilucidior Marci Pauli Veneti relatio, l. 1. c. 6. Itinerarij sui: Tradit enim, Armenis, Nesto- *Catholicorum Primatū antiquitas.*

rianis, & Iacobitis omnibus vniuersísque Christianis qui in India & Babylone versantur, vnum imperare Patriarcham, quem *Jacolith* nuncupant, (*Catholic* reponendum, nam pronuntiationis vitio lapsus est) tantámque esse istius Catholici autoritatem, vt illis nationibus Archiepiscopos, Episcopos & Abbates constituat. Catholicum istum Patriarcham vocauit, more Europæis familiari, quo non tantùm Primates multis Metropolitis Præfecti, sed etiam puri puti Metropolitæ Patriarchæ sæpiùs vocantur. Procopius qui hos autores multis seculis præcessit, eandem confirmat sententiam, l. 2. de bello Persico: Ait enim, Christianis Persidem incolentibus præesse Episcopum, quem voce Græca Catholicum vocant, qui quanquam vnus sit, omnibus tamen præsit huius regionis incolis. Τόντε Χριστιανῶν ἱερέα Καθολικὸν καλοῦσι, τῇ Ἑλλήνων φωνῇ, ὅτι δὴ ἐφέστηκεν εἷς ὢν ἅπασι τοῖς ταύτῃ χωρίοις. Vnde sanè constat titulum istum Primatum Orientalium antiquitatem sapere, non heri aut nudiustertius à barbaris istis populis excogitatum esse.

Nomē Iacolith restituendū.

Sed vtvt sit, canones citati, qui barbararum harum nationum disciplinam Ecclesiasticam continent, ex Concilio Nicæno variisque aliis Conciliis, tum Græcis & Latinis, tum barbaris studiosè collectam, de Seleuciensis Pontificis autoritate hæc statuunt. *Honoretur quoque similiter Sedes Seleuciæ, quæ est ex ciuitatibus Orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine Catholici, & possit is ordinare Archiepiscopos, sicut faciunt Patriarchæ, vt Orientales non patiantur damnum, expectando Patriarcham Antiochiæ, aut eundo ad eum, &*

Seleuciensis Primatus autoritas.

Gentiles reperiant viam ad necessitates suas. Quia in hoc non sit iniuria Patriarchæ Antiocheno. Si quidem ipse consensit, postquam hoc ab eo Synodus petiuit, ne de sublata potestate ista quereretur, quæ nihil aliud desiderabat, vt illius prouinciæ fideles pace & quiete fruerentur. Primatem habes hîc clarissimè descriptum: Archiepiscopis enim præest Seleuciensis, cùm sit ipse proprio Patriarchæ subditus. Tam apertus & euidens est canon, vt omnis amplificatio sit superuacanea.

Vt qui inter Persas Christiani, quique Indis finitimi sunt Primates, Patriarchæ subiiciuntur Antiocheno, ita Abyssini Alexandrino. Est apud eos Primas, quem *Abuna*, hoc est, *Patrem nostrum* vocant, qui Archiepiscoporum magnum numerum sibi commissum habet. Ipse tamen Alexandrino Pontifici subiicitur, à quo ordinatur, confirmatur & in Æthiopiam mittitur. De eo sic decernit canon Arabicus 36. *Vt non possint Æthiopes creare, nec eligere Patriarcham, quin potius eorum Prælatus sub potestate eius sit, qui tenet Sedem Alexandriæ. sit tamen apud eos loco Patriarchæ, & appelletur Catholicus, non tamen ius habeat constituendi Archiepiscopos, vt habet Patriarcha, si quidem non habet Patriarchæ honorem & potestatem. Quòd si acciderit, vt Concilium in Græcia habeatur, fueritque præsens hic Prælatus Æthiopum, habeat septimum locum post Prælatum Seleuciæ: Et quando facta fuerit ei potestas constituendi Archiepiscopos in prouincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis.* Tanta non pollebat autoritate hic Primas in Archiepiscopos suos, quanta Antiochenus: non enim eos ordinabat,

Æthiopū Primatu autoritas.

quanquam de facienda illi huius priuilegij potestate loquantur Patres. Ideo tamen minimè consequitur, in eos iurisdictionem nullam habuisse. Canonis verba, oppositum non innuunt modò, sed demonstrāt. Vera quidem erat antiquitus hæc propositio; Ordinans in ordinatum iurisdictionem consequitur: at falsa erat propositionis eiusmodi conuersio; Non ordinabat, ergo nulla illi competit iurisdictio. Neutra propositio nunc ex vsu Ecclesiæ necessariò vera est.

Moscouiæ Primas Constant. Episcopo subiicitur.

Alius est præter istos in Oriente Primas, Moscouiæ scilicet vniuersæ Metropolita, cui duo subsunt Archiepiscopi, Rostouiensis, & Nouogardiensis: ipse verò ex antiquissima consuetudine, quæ à canone Chalcedon. 28. originem trahit, ab Episcopo Constantinopolitano confirmatur, vt refert Antonius Posseuinus in sua Moscouia, & Mireus Notitiæ Episcopatuum libro quarto. Habes igitur id quod contendimus, manifestè comprobatum, quartum Episcoporum ordinem, Episcopos scilicet ordinaria iurisdictione Metropolitis præsidentes, Patriarchæ verò subditos.

EXERCITATIO XVII.

Conſtantinianæ Prouinciarum Romanarum diuiſionis ὑποτύπωσις.

Orbis diuiditur vel ἐθνικῶς vel ἡγεμονικῶς. Imperij Romani diuiſiones quatuor celebres. Præfecti Prætorio à Conſtantino aucti. Eorum autoritas immutata. Vicarij Diœceſeωn. Proconſulares Prouinciæ tres. Proconſules Vicariis non ſuberant.

RERVM nunc ordo poſtulat, vt de Primatibus Occidentis, ſi quid de iis nobis obſeruatum eſt, illud promamus. Verùm cùm ſcriptionis noſtræ natura ſit, atque indoles, liberam omníque connexionis compede ſolutam hûc & illûc excurrere, ab hac ſeruitute noſmet iam iam vindicabimus, atque hîc abrupto telæ noſtræ filo alteram texere aggrediemur, priori tamen non diſſimilem. De Primatum igitur origine verba faciemus: quâ erutâ & apertâ penſum noſtrum iterum trahemus & abſoluemus. Neque id omnino temere. Quæ enim de Primatibus Occidentis dicturi ſumus, illorum origine incognita neque dilucidè explicari, neque penitùs intelligi poſſunt. Primatum autem creationi nouam Romanarum prouinciarum

distributionem occasionem dedisse nostra est sententia. Quare de ea paulò fusiùs agendum est, vt eâ discussâ, quæ hinc nata est Primatum dignitas, euidentiùs ob oculos proponatur.

Prouinciæ aliter iure naturæ & gentium, aliter iure ciuili distinguuntur.

Prouinciæ, inquit Strabo initio libri quarti, aliter φυσικῶς καὶ ἐθνικῶς, aliter ἡγεμονικῶς distinguntur: Aliter natura, gentiúmque diuersitas eas à se inuicem distinguit, Aliter Principes πρὸς τοὺς καιροὺς πολιτευόμενοι διατάττουσι ποικίλως, *Pro ratione temporum eas variè moderantur atque distingunt.* Priorem distinctionem Geographum præcipuè spectare ait, posteriorem verò minùs præcipuè: Priorem Geographo accuratè explicandam esse, posteriorem leuiter attingendam & tantùm delibandam. Οσα μὲν οὖν φυσικῶς διώρισται, δεῖ λέγειν τὸν γεωγράφον, καὶ ὅσα ἐθνικῶς· ὅσα δ' οἱ ἡγεμόνες πρὸς τοὺς καιροὺς πολιτευόμενοι διατάττουσι ποικίλως, ἀρκεῖ κἂν ἐν κεφαλαίῳ εἴπῃ· τοῦ δὲ ἀκριβοῦς, ἄλλοις παραχωρητέον. Contrarium nobis asserendum est, posteriorem distinctionem antiquitatis Ecclesiasticæ studiosis præcipuè spectandam esse, priorem verò ad ipsos parum aut nihil pertinere. Priorem distinctionem in animo præsentem habuit S. Petrus, cùm Primùm Patriarchas constituere decreuit; Vt enim terrarum orbem in tres partes à natura diuisum vidit, ita tres Patriarchas, vnicuique scilicet parti suum, creare apud se constituit. Posteriorem verò, cùm id quod animo decreuerat, executus est. Patriarcharum enim Sedem ibi fixit, vbi terrarum à Principibus Romanis fixa erant gubernacula: Patriarcharum verò caput & principem, vbi terrenæ dominationis caput erat &

principatus, vt supra explicauimus. Cæteras verò Sedes, Metropolitas & Episcopales, ipse, quique eum secuti sunt, Pontifices, pro ciuilium prouinciarum distinctione distribuerunt, aliisque alias præfecerunt. Ideo sæpiùs, apud Græcos præsertim, ciuilium prouinciarum mutationem, sacrarum quoque mutatio consecuta est.

Prouinciarum imperij Romani quatuor præcipuè feruntur diuisiones: seu administrationis formæ. Prima, ab Augusto in orbem terrarum inuecta est: qui mutilata & interpolata priore administratione, peculiarem & Monarchico imperio magis accommodatam marte suo confinxit: quam explicant Strabo ad finem Geographiæ suæ: Suetonius in Augusto c. 47. & 48. accuratiùs Dio Cassius l. 53. Secunda, ab Adriano, quæ primæ non fuit admodum dissimilis. Tertia, à Constantino. Quarta bipertita est, variósque habet autores. Postquam enim imperium Græcorum à Latino diuisum est, non tantùm tota pristinæ administrationis facies immutata est, sed etiam Latinorum regimen à Græco, toto cœlo dissidebat. Quo dominationis genere, quáve Prouinciarum diuisione imperium Latinum à Carolo Magno, eiúsque successoribus administratum fuit, omnibus palàm est. Græcorum similiter nouam atque à præcedente prorsus dissimilem speciem nanciscitur. Prouincias enim antiquas tum Orientis tum Occidentis, quæ illis ex Barbarorum incursionibus superfuerant, in Themata quædam distribuunt; quæ enumerat & definit libris duobus Imperator Constantinus Porphyrogenneta.

Prouinciarũ imperij Romani quatuor celebres diuisiones.

Prouinciarũ Romanorum in Themata distributio.

De prioribus duabus Prouinciarum distinctionibus, sicut nec de postrema nunc nihil ad nos. Primam enim & secundam, sed præcipuè secundam secuti sunt Apostoli Apostolicíque viri cùm sacræ politiæ fundamenta iecerunt: Nullam itaque mutationem secunda hæc diuisio in rempublicam Christianam inferre potuit, cùm antea obtinuerit quàm Ecclesiasticarum prouinciarum iuxta primam distributio stabilita & confirmata fuerit. Postremam verò, cùm eius ab Heraclij Imperatoris fuga, imperiíque dissipatione vestigia figi cœperint, atque in Græcia tantùm, Asiáque minore hæserint, neque admodum celebres mutationes in Ecclesiam intulerint, non secus ac præcedentes, totam silentio præteribimus. Tertiam breuiter, quantum ad nos attinet, describemus, Ea descriptio non tantùm quæ dicturi sumus, sed plurima quæ diximus, illustrabit.

Præfectorũ Prætorio autoritas à Constãtino immutata.

Cùm Constantinus Magnus Româ Constantinopolim Sedem imperij detulit, plurimas in rempublicam Romanam mutationes intulit. Præfectos Prætorio duos creauerat Augustus, vt autor est Dion l. 55. quorum autoritate bellica negotia administrabat: ciuilia Prætori vrbano, consularibúsque viris delegabat. Statum reip. sic constitutum sequentes principes illibatum conseruarunt, præter vnum Tiberium, qui omnia tantæ dignitatis ornamenta in vnum Seianum contulit: quem tandem facti pœnitens, tyrannidis affectatæ suspectum morte affecit. Omnes homines ita à natura comparati sunt, vt autoritatem suam promouere, finésque suos prorogare magnis studiis

ſtudiis contendant. Hoc egregiè præſtiterunt Prætorio Præfecti: cùm enim primùm rebus tantum bellicis præeſſent, poſtea principum amicitiâ, deinde vecordiâ & ſupinitate freti, de rebus ciuilibus, deque appellationibus ferè omnibus velut ex Officio cognouerunt. Remp. autem vno magiſtratu, communique & indiuidua autoritate gerebant. Hunc magiſtratum Conſtantinus vel tam effrænis poteſtatis formidine, vel aliis rationibus commotus, in quatuor partes diuiſit atque diſtraxit. Quatuor enim Præfectos Prætorio conſtituit. Singulis iuris dicundi certos limites præſcripſit, rationémque Auguſto prorſus contrariam iniuit. Ille enim rerum bellicarum cauſas Præfectis Prætorio commiſit, ciuilium ademit: Hic verò ciuilia illis & forenſia negotia tractanda conceſſit, bellicis & caſtrenſibus interdixit. Ne autem res militares fluctuarent, Magiſtros militum duos inſtituit, alterum Equitum, alterum Peditum, vt Zoſimus hiſt. l. 2. latè refert.

Præfecti Prætorio à Conſtantino Auguſto inſtituti, hi ſunt; Præfectus Prætorio Orientis, Illyrici, Italiæ & Galliæ. Iſtis quatuor Præfectis Romanum imperium totum diuiſit & mancipauit. Sed his non contentus Conſtantinus cæteram reipublicæ Romanæ adminiſtrationem inuiolatam non dimiſit. Singulis enim Præfectis Vicarios creauit plures, quot & quo ordine paucis accipe. Orbis longiſſimos tractus qui à Præfectis regebantur, in plures partes ſeparauit, quarum vnamquamque Diœceſin appellari voluit. Has Diœceſes magiſtratibus regendas com-

Præfecti Prætorio quatuor creati.

misit, à quibus ad Præfectos Prætorio prouocabatur, vnde Magistratus illi Vicariorum nomen tulerunt. Diœceses rursus in multas Prouincias distinxit, quibus qui ius dicebant, alij Præsides, alij Consulares, quidam Correctores dicebantur: quorum omnium sub Vicariis autoritas & priuilegia non erant admodum dissimilia. Sub Præsidibus, Consularibus & Correctoribus, ciuitates singulas regebāt iudices, decuriones, defensores, Magistratus municipales, aliique de quibus selecta nonnulla habet Berterius, doctissimus Tolosani Senatus Præses, diatribæ prioris c. 10. Sed Vicariorum & Diœceseωn ad nos præcipuè spectat enumeratio. Illas igitur eodem ordine quo in Notitia Imperij repræsentantur, recensebimus.

Diœceseωn Rectores Vicarij dicti.

Sub dispositione viri illustris Præfecti Prætorio Orientis, quinque erant Diœceses; Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracica. Orientis Rector Comes appellabatur, cui Prouinciæ quindecim suberant. Ægypti verò Diœceseos, Præfectus Augustalis, cui Prouinciæ sex. Reliquas tres Diœceses, quæ Prouincias 25. complectebantur, tres Vicarij administrabant. Sub dispositione Præfecti Prætorio Illyrici, Diœceses duæ; Macedonia & Dacia: Prouincias sex Macedonica complectitur, Dacica quinque. Illas Vicarii duo sub Præfecto regebant. Sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ, Diœceses tres, Italia, Illyricum, Africa; Prouinciæ 29. Vicarij quatuor. Italiam enim Vicarij duo moderabantur. Romæ vnus, Mediolani alter. Sub dispositione Præfecti Prætorio Galliarum, Diœceses tres; Hispaniæ, Galliæ,

Britanniæ: Prouinciæ 29. Vicarij tres. Præter hos Vicarios & Diœceses, tres erant Prouinciæ Proconsulares, nullis Diœcesibus aut Vicariis addictæ, sed vnaquæque sub autoritate Præfectorum Proconsuli suo subiecta. Asia sic propriè & strictissimè dicta, quæ regiones intra Lydiam, Cariam & Tmolum montem sitas tantùm continet, cuius Metropolis & Sedes Proconsulis erat Ephesus. Sub hoc Proconsule duæ erant Prouinciæ; Asia cuius ἀυτονομαστικῶς Proconsul dicebatur; & insulæ Asiam sic descriptam circumiacentes, quas 17. Ptolomæus enumerat. Hellespontum tertiam prouinciam adiunxit Theodosius Magnus, atque è potestate Vicarij Diœceseos Ponticæ exemit, eo quòd eius Consularis ab Apparitoribus Vicarianis iniquè vexaretur, l. 1. C. de offic. Com. sacr. patrim. Secunda Proconsularis Prouincia erat Achaïa, cuius appendices erant Lacedæmon, ipsæque Athenæ: cuius Metropolis & Sedes Proconsulis Corinthus. Tertia Proconsularis Prouincia est Africa, sic κυρίως dicta, cuius Metropolis & Sedes Proconsulis erat Carthago. Tres hæ Prouinciæ Vicariis Diœceseων non suberant; earum enim Proconsules erant aliquomodo exempti καὶ αὐτοκέφαλοι. Asiæ Proconsul Præfecto Constantinopolis subiiciebatur, atque ab eo Proconsulis huius sententiæ recognoscebantur. l. cum appellat. c. de appell. Præfectus autem veteris Romæ Præfectis Prætorio autoritate par erat, honore & dignitate anteibat: Achaiæ verò & Africæ Proconsules in territorio suo autoritate Vicariis æquales, solis Præfectis Prætorio obnoxij erant. Sed

Tres Prouinciæ Proconsulares.

Proconsules Vicariis non parebant.

de hiſce ad noſtrum inſtitutum ſatis: qui plura ſcire auet, Notitiam imperij Romani, & in eam Panciroli viri doctiſſimi commentarios conſulat; vtrumque præterea codicem diligenter euoluat: Quæ ad rem noſtram conducebant, hæc breuiter excerpſimus. In Notitia imperij vulgata, nonnulla haberi non diffiteor, quæ à Conſtantini æuo, eiúſque diſtributione nonnihil variant: ſed ea non ſunt eiuſmodi quæ inſtitutum noſtrum vel leuiſſimè labefactent.

EXERCITATIO XVIII.

Quando Prouinciæ Eccleſiaſticæ, Ciuilium mutationem conſecutæ ſunt.

Imperatoribus Græcis prouincias ſacras euertere licuit. Apud Græcos nouus Metropolita quando creabatur re ipſa, quando nomine tenus. in can. Chalced. αὐτονομία *conciliata. Quando apud Latinos prouinciæ ſacræ mutatæ ſunt.*

INNOVATA hæc Prouinciarum Romanarum diſtributio multas in Eccleſiam Orientalem innouationes, iuriſque προσθέσεως καὶ ἀφαιρέσεως inuexit, multa iura commentitia peperit. Non

enim ciuilibus tantùm perturbationibus, sed etiam variæ & impotenti Imperatorum libidini ferè semper Græci palpum obtruserunt, eísque seruiliter sunt obsecuti; ita vt lapsu temporis omnis Episcopatuum & Metropoleωn autoritas & distinctio pessundata fuerit. Legem ea de re vniuersalem condidit Concilium Chalcedonense can. 17. *Sin autem ciuitas antiqua ab Imperatoria autoritate innouata est, vel deinceps innouata fuerit; ciuiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoque Parœciarum ordo consequatur.* Hunc canonem repetunt Patres in Trullo can. 38. Sed hoc omnium disertissimè decreuit Græcula Synodus sub Alexio Comneno: cuius mentionem facit Balsamon in can. 38. Trull. *Licet Imperatori præeminentiæ thronum Ecclesiis elargiri, & Episcopatus vel Archiepiscopatus in Metropoles erigere, eáque quæ ad electionem pertinent & reliquam dispositionem, prout ipse voluerit, ἐκτυποῦν, describere & decernere.* Ideo qui in comitatu gratiosi erant Episcopi nouas sæpe dignitates ambire, atque in eum finem artificiis suis Imperatores circumuenire solebant, vt ex Concil. Chalced. act. 13. aliísque Eclesiasticæ historiæ monumentis colligitur. Vnde factum est, vt à labefactato & tandem collapso imperio Orientali, Græcorum Ecclesiæ Imperatorum libidine & vertigine magis quàm Patrum & Conciliorum voluntate & prudentia regerentur; eorúmque Patriarchæ & canonum commentatores, Imperatorum leges, Sacras, Iussa, typos pragmaticos, sanctorúmque Patrum & Synodorum canones ipsos atque decreta, iuxta haberent metueréntque.

Imperatoribus Græcis prouinciis sacras mutare licuit.

Neceſſe autem erat reipſa non nomine tenus Prouinciæ ciuilem immutari adminiſtrationem, vt eam Eccleſiaſtica conſequeretur immutatio. Si enim Imperator inuiolata ciuili adminiſtratione Metropolitæ honorem Epiſcopo deferebat, Epiſcopus ille nudo Metropolitæ honore & conſeſſu gaudebat, nullámque ex eo iuriſdictionis autoritatem ſibi comparabat, hoc eſt, Collegas omnes in Prouincia ſua anteibat, ſecundúſque erat à Metropolita, non ſecus tamen ac Collegæ Metropolitæ ſubditus. Itaque hac diſtinctione ἀντινομία quæ hærere videtur inter canonem 17. Chalced. quem attulimus, & duodecimum quem afferimus, facilè conciliatur. Deinde Imperatorem oportebat, ſponte ſua, non Epiſcopi ſuaſu aliquo, ambitu aut circumuentione, Prouincias ſcindere & multiplicare: Epiſcopus enim huius ambitus reus gradu excidebat. Hæc duo dilucidè explicat canon. 12. Chalced. qui ni adhibeatur cautela præmiſſa, 17. eiuſdem Concilij canoni oppoſitus videtur.

Quando Epiſcopus reipſa, quando nomine tenus Metropolita creabatur.

Perueniт ad nos, quòd quidam cùm præter ritus Eccleſiaſticos ad potentatus acceſſiſſent, per pragmaticas vnam prouinciam in duas diuiſerunt, vt ex eo duo eſſent Metropolitani in eadem prouincia. Statuit ergo ſacra Synodus, ne Epiſcopus deinceps tale quid audeat, quoniam is qui hoc aggreditur, à ſuo gradu excidit. Quæcumque autem ciuitates per literas Imperiales, Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, & qui eius Eccleſiam adminiſtrat Epiſcopus, ſeruato ſcilicet veræ Metropoli ſuo iure.

Ἀντινομία in Concilio Chalcedonenſi conciliata.

Hæc Prouinciarum Eccleſiaſticarum perturbatio in Occidente longè minùs vſitata fuit: Latini populi

Græcis & Asiaticis antiqui moris tenaciores sunt. Imperatoribus enim omnia iura sacra resoluentibus, susque deque ferentibus, fortissimè semper & constantissimè restiterunt Romani Pontifices, disciplinámq; Ecclesiasticam vel leuissimè labefactari, ægrè semper tulerunt. Hac pietate commotus Leo I. decreto Concil. Chalced. de euehendo in secundam Sedem Episcopatu Byzantino, Marcianóque Imperatori qui illud procurauerat, fortiter contradixit. *Priuilegia Ecclesiarum*, inquit ad Marcianum scribens, *sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari*, &c. *priora perdit, qui aliena concupiscit*, &c. *Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem nec vllo speret modo quod per aliorum possit offensiones augeri.* Similia repetit ad Pulcheriam Augustam, & Anatolium, qui decretum illud fraudulenter impetrauerat; tandémque obtinuit Leo, ait Gelasius I. Pontifex, ad Episcopos Dardaniæ, vt Martiano principe fidem & constantiam eius laudante, dignitatem suam eiuraret Anatolius. Flocci enim semper fecerunt Pontifices ab amplitudine vrbis, throníque imperialis translatione petitum argumentum. Audi quid respondeat Gelasius Pontifex epistola eâdem Græcis hanc crambem sæpiùs obtrudentibus: *Risimus autem quòd prærogatiuam volunt Acacio comparari quia Episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacer-*

Mutationibus Ecclesiasticarum Prouinc. sese opposuerũt Pontifices.

dotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus vsurparunt? Et in commonitorio ad Faustum Magistrum, *Quòd si dicunt, Imperator hoc fecit: hoc ipsum, quibus canonibus quibusve regulis est praeceptum?* Ante hos Pontifices Innocentius I. epist. 18. Alexandro Antiocheno Episcopo sciscitanti, *Vtrum diuisis imperiali iudicio prouinciis, vt duae Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari*, sic respondit: *Non verè visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honorésque & diuisiones perpeti quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*: Ista Pontificum in tuenda antiqua παραδόσει iurisdictione constantia & tenacitas, Occidentem innouationibus & finium perturbationibus Oriente fecit longè minùs obnoxium: Quotiesque hoc accidit, non caeco Principum impetu, sed ferè semper Conciliorum & Pontificum praematuro Concilio, & legitima autoritate innouatum & constitutum est.

Quando apud Latinos Prouincia sacra mutata sunt.

Saepe tamen accidit, vt quemadmodum religionis Christianae conditores, vrbes principes elegerunt, quibus fidei principatum deferrent, & autoritatis apicem efferrent; ita eorum Posteri immutato Reipublicae ciuitatúmque ordine & regimine, Christianam quoque disciplinam immutatum irent. Quod in quaestione, cuius cardo nunc vertitur, in Occidente similiter, vt in Oriente, meâ quidem sententiâ factitatum est; neque hoc modò aduersùs Pontificum decreta, aut Conciliorum canones praeuaricatum est: Cùm enim Pontifices, ne Prouinciarum ordinem ciuilem,

ciuilem, & diuiſionem, Eccleſiaſticarum ordo conſequeretur, tantopere prohibuerunt, Prouinciarum ciuilium ordinem generalem, qui totum orbem peruaſerit, nequaquam intellexerunt; ſed Prouinciarum particularium mutationes; quas Imperatores vel pro inſtanti rerum ſuarum neceſſitate, vel praua comparandæ ſibi gloriolæ libidine ex vrbium ſibi ἐπωνύμων vanitate; vel Magnatum aut Epiſcoporum ipſorum ambitu & circumuentione, vel aliis eiuſmodi de cauſis in rempublicam ſolo imperij nutu inuexerunt. Non enim ignorabant Pontifices, Apoſtolos, prædeceſſoréſque ſuos, iuxta ciuilem vrbium dignitatem, dignitatis quoque & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fines & limites delineaſſe & aſſignaſſe: quod euidentius eſt quàm vt probatione indigeat. Non ignorabant præterea, cùm iuriſdictionum illæ innouationes communi conſenſu & vſu confirmatæ ſunt, iuriſdictionum quoque Eccleſiaſticarum innouationem priori parallelam, vtiliſſimam eſſe: Neceſſariò enim minores ciuitates ad maiores propter quotidianam negotiorum neceſſitatem confluunt: itaque Metropolis ope & miniſterio minoribus ciuitatibus & oppidulis inter ſe & cum Metropoli commercium eſt, & officiorum mutua communicatio. Cùm igitur Epiſcopatibus & Parœciis oppidanis & vicanis cum Metropoli maxima intercedat neceſſitudo, atque de omnibus magni momenti negotiis Eccleſiaſticis Metropolita conſulatur & interpelletur, rei Eccleſiaſticæ aliquando intereſt, vt vbi Metropoles rerum ciuilium eriguntur, ibi

rerum quoque Ecclesiasticarum Metropoles constituantur, vt Episcopis, Parœcis, Clericis laïcísque omnibus facilior pateat ad Metropolitam accessus. Atque hæ causæ sunt ob quas Pontifices non tam de Episcopo Byzantino ad Patriarchalem dignitatem euecto conquesti sunt, quàm de eodem Patriarchis Apostolicísque Sedibus contra Nicænos canones prælato. Si Imperator, Patrésque Chalcedonenses, ea de re Pontificem consuluissent, atque, vt ipsius sententiæ contradicerent, præfractè in animum suum non induxissent, res ea faciliùs & secundùm canones transigi potuisset. Sed sanè iniquum erat legem à Concilio vniuersali consentiente Pontifice rogatam, in altero Concilio dissentiente Pontifice abrogatam esse. Constantiniana autem Prouinciarum Romanarum diuisio generalis fuit, statímque totum orbem peruagata est. Ex vetusta igitur Ecclesiarum consuetudine, néve ciuilibus Ecclesiastica nimiùm repugnarent, ciuilem secularis reipublicæ formam Ecclesiastica legitimè & canonicè imitari & exprimere potuit.

EXERCITATIO XIX.

Primatum & Exarchorum Origo & Epoche.

Primatum cum Vicariis imperij conformitas. Quando de Primatibus & Diœcesibus prima mentio.

HIs rationibus accedit altera, Constantini Magni memoria apud omnes Christianos charissima & honorificentissima. Si enim Apostoli, Apostolicique viri, typum quem Reipublicæ suæ Imperatores Ethnici impresserunt, in Christi republica expresserunt, quantò magis Episcopos decuit, eum quem Imperator Christianus & sanctus refinxit, seu potiùs reipublicæ adfinxit, effingere, atque antiquis iurisdictionis ordinibus nouum recentémque intertexere? Quis tandem, inquies, ille iurisdictionis gradus propter quem exnubilandum huc vsque tam multa? Quæ illa dignitas Ecclesiastica, quæ Constantinianam subsecuta est Prouinciarum diuisionem? Primatum seu Exarchorum ea est dignitas, quæ ex nouo Reipublicæ Romanæ statu originem duxit. Huius rei multæ sunt coniecturæ. Apostoli, quique eos secuti sunt Pontifices, Prouinciis creauerunt Archiepiscopos, ciuitatibus Episcopos: Cùm igitur Diœceses constitutæ sunt; quarum vna- *Primatum cum Vicariis Imperij conformitas.*

quæque plures Prouincias continet, æquum sanè fuit vnicuique Diœcesi Episcopum præfici, qui plures regeret Archiepiscopos, vt Archiepiscopus plures Episcopos. Deinde religionis Christianæ conditores, vbi erant Præsides, Consulares, Correctores, præfecerunt Metropolitas. Postquam ergo creati sunt Vicarij qui Prouinciarum moderatoribus præessent, instituti sunt Primates qui ipsis Metropolitis & Prouinciarum Rectoribus antistarent. Præterea similitudo inter Vicarios & Primates tanta est quanta inter dignitatem quamlibet Ecclesiasticam & secularem alia nulla est. Vicarius multis præest prouinciis, sic Primas: Vicarij ditio, Diœcesis dicitur, ita Primatis seu Exarchi. A Consularibus & Præsidibus Prouinciarum ad Vicarios ius erat appellationis; à Metropolitis quoque ad Exarchos & Primates ratæ sunt appellationes. A Vicariorum iudiciis ad Præfectos Prætorio prouocabatur: ita à Primatibus & Exarchis ad Patriarchas.

Primatũ & imperij Vicariorũ idem temporis initium.

Denique ab imitatione Vicariorum, Primates originem duxisse hæc potissimùm demonstrant. Ante Constantinum Imperatorem huius Vicariorum imperij Iurisdictionis, Diœceseon limitationis & definitionis, nulla sunt testimonia, nulla vestigia: Sic Primatum, Exarchorum, Diœcesium, vt à nobis hæc explicata sunt, apud autores Ecclesiasticos ante Constantini tempora nulla nota, nulla mentio. Acta omnia historica, Concilia, ipsum Concilium Nicænum præter Romanum Pontificem Alexandrinum & Antiochenum, & Hierosolymitanum nudo dun-

taxat honoris consessu, supra Metropolitas nullos agnouerunt Episcopos; supra Prouincias, nullas Diœceses; supra Concilia prouincialia, nulla Diœcesana. Statim verò post Vicariorum institutionum & Diœcesum à Prouinciis distinctionem, Exarchorum, Primatum, Diœceseωn & Conciliorum Diœcesanorum apud autores Ecclesiasticos mentio fuit frequentissima, vt ex iis quæ dicta sunt, euidenter colligitur. Adeò vt Concilium primum Constantinopolitanum de iis loquatur & decernat can. 2. & 6. & ad Damasum Pontificem scribat apud Theodor. histor. l. 5. c. 9. velut iam constitutis & confirmatis: Ita Concil. Ephesinum can. 8. & quæ illud subsecuta sunt. Alterum huiusce originis vestigium expressissimum in Primatibus Occidentis sequenti obseruatione elucebit.

EXERCITATIO XX.

De antiquis Romanorum Pontificum Vicariis & Legatis.

Vicarij Papæ sextuplices. Ante Concilium Generale Papa Diœcesanum aut Patriarchale cogebat. Duplices legatos ad Concilium generale mittebat. Qualis Legatus Hosius in Concil. Nic. Quid à latere legari.

Responsalium seu Nuntiorum Pontificis iurisdictio. Vicarij Pontificis in Orientem missi, Patriarcharum officio functuri.

PRIMATVM in Occidente alia ratio fuit quàm in Oriente. Primates enim cùm primùm in Occidente innotuerunt, eo nomine non insigniebantur, sed Vicariorum Pontificis. Quemadmodum Imperator Vicarios creauit qui Præsidibus, Consularibus, & Correctoribus prouinciarum præessent; ita Pontifex Romanus vices suas Episcopis quibusdam præcipuis delegauit, vt de Metropolitis, prouincialiúmque Synodorum sententiis vice suâ iudicarent, quos ideo Vicarios eodem cum Imperatoris nomine appellauit. Vicariorum sex generibus antiquitus Pontifices vsi sunt: illud tamen quod est nobis præ manibus, & de quo sub nominibus Primatum & Exarchorum huc vsque disseruimus, præcipuè Vicarij nomen gerebat; cæteri quanquam vices Pontificis gererent, aliis tamen nominibus, vt plurimùm insigniti sunt: ideo opinor quòd quinque priorum Legatio extraordinaria & arbitraria esset, postremi verò ordinaria, & certæ cuidam Sedi addicta: Deinde quòd illorum potestas definitis quibusdam & paucis functionibus constringeretur, huius verò in tota Diœcesi esset amplissima. Antequam postremum genus explicare aggrediar, priores omnes breuissimè enarrare non erit inutile: de iis fusiùs agendi aliàs sese offeret occasio.

Quare inter Vicarios, Primates præcipuè sic dicti.

Primum Vicariorum Pontificiorum genus, eorum est quos Pontifex nomine suo & Cleri Romani ad Concilia siue generalia siue particularia, vt iis adessent & præessent, delegabat. Ij vt plurimùm Presbyteri erant & Diaconi, è clero Romano selecti: quorum potestati & arbitrio potissimùm credita erat Pontificis de rebus in Concilio controuersis sententia & instructio. Hos vocat Leo epist. 14. ad Faustum & Archimandritas Constantinopolitanos, Legatos à latere, *Cùm propter causam fidei quam Eutyches perturbare tentauit, de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisterent.* Secundum, eorum est qui non tantùm à Pontifice mittebantur, sed etiam à Concilio quod Pontifex collegerat, vel vt Primas, vel vt Patriarcha. Quod vt clariùs intelligatur, quædam scitu dignissima euulganda sunt. Quandiu Roma potiti sunt Græci Imperatores, atque etiam paulò post eorum Româ maiorique Italiæ parte à Francis expulsionem, omnia Concilia generalia in Oriente celebrata sunt; Ideo Episcoporum Conciliis præsentium maxima pars erat Græcorum & Asiaticorum: Propter itinerum molestias & pericula eò pauci confluebant Europæi. Ne igitur suffragiis ad vniuersalem Dei Ecclesiam repræsentandam necessariis destitueretur Patrum Orientalium congregatio, indicto generali Concilio, statim Papa Episcopis vbique per Patriarchatum suum dispersis, vt Romam sese conferrent; vel, si hoc commodè fieri non posset, Vicariis suis, hoc est, Primatibus, vt Episcoporum Diœcesis suæ Concilium cogerent, sententiámque suam

Primum Pontificiæ Vicariorũ genus.

Vicariorũ secundum genus.

per legatos significarent, literis suis edicebat. Ipse interea totius Italiæ Episcoporum Concilium cogebat, quibus negotia in Concilio generali tractanda communicabat, atque ex eorum consensu Legatos ad Synodum mittebat, qui non tantùm Pontificis sed etiam omnium Occidentalium nomine Concilio intererant, & sententiam ferebant. Legati isti duplices erant, vt lib. 1. c. 35. eruditissimi illius operis aduersùs Regem Angliæ, notauit æternum Galliæ nostræ decus, & hæresiarchis toties ab eo triumphatis terribilis mastix, illustrissimus Cardinalis Perronius. Vel enim erant cum Pontificis Legatis coniuncti, id est, vnam cum Legatis, quos iam explicauimus, Legationem constituebant, atque tum Legatos à latere Pontificis & Clero Romano præcedebant: caput enim Legationis à Pontifice Concilio præsidente ex Episcoporum conuocatorum numero vnus eligebatur, aliquando plures: Vel Legati isti à Concilio Pontificis Diœcesano aut Patriarchali separatim ac diuisim à Legatis Pontificis, ad Synodum generalem destinabantur, ita vt duæ essent Legationes: Prior & potior, Pontificis; Posterior, Concilij Occidentalis. Atque tum Legati Pontificis, quanquam meri essent Presbyteri & Diaconi, Legatis posterioribus longè anteibant. Priores Concilio generali præsunt, primi sedent aut subscribunt: Posteriores nec præsunt, nec primi sedent, aut primi subscribunt: sed post Patriarchas, nonnunquam post ordinarios Pontificis Vicarios. Ea quæ diximus eiusmodi sunt quæ studiosam & diligentem mereantur argumentorum congeriem:

pauca

pauca tamen adnotabimus. Πάρεργα enim ne tædio ſint, ἀπεξειέργως elaboranda.

Tria ſuppoſuimus quæ nobis breuiter probanda ſunt. Primum eſt, Pontificem indicto vniuerſali Concilio, vniuerſos Patriarchatus ſui Epiſcopos ea de re admonuiſſe, atque, vt ad eum properarent, aut ſaltem per ſe Concilium cogerent, Legatóſque deliberata relaturos mitterent, præcepiſſe; aut ſi id fieri commodè non poterat, Italiæ Epiſcopos conuocaſſe. Hoc ἐπιγραφὴ Epiſtolæ Concilij Conſtantinopolitani ad Damaſum Pontificem, cæteróſque cum eo conuocatos Epiſcopos, quam refert Theodor. hiſtor. l. 5. c. 9. euidenter demonſtrat. *Dominis honoratiſsimis, & cùm primis reuerendiſsimis fratribus ac Collegis, Damaſo, Ambroſio, Brittoni, &c. & cæteris ſanctis Epiſcopis in celebri vrbe Roma conuocatis.* Generali indicto Concilio, Damaſus Romam totius Occidentis Epiſcopos euocauit. Cùm autem multitudinem Epiſcoporum maximam, Romam confluxiſſe videret, Legatos qui in Oriente præſiderent, non miſit, ſed omnibus conſultum viſum eſt, Orientales, ne quid Reſpublica Chriſtiana detrimenti caperet, viſuros, Romam accerſere: Illi verò multa humillimè prætexentes, ratione priùs omnium à ſe in Concilio geſtorum Pontifici redditâ, ſeſe excuſant. *Jam verò, quoniam vos quo fraternam veſtram erga nos charitatem declararetis, Concilio, voluntate ac nutu Dei Romæ coacto, nos velut membra propria per Deo amantiſsimi Imperatoris literas accerſiuiſtis*, &c. Et paulo poſt, *Eſt certè in optatis, ſi poſſet fieri, Eccleſiis penitus relictis, veſtro de-*

Ante Cõcilium Generale Põtifex Patriarchale in Occidẽte cogebat.

S

ſiderio, aut neceſſario potius Eccleſiæ negotio inſeruire. Quis enim nobis dabit pennas ſicut Columbæ, & volabimus & requieſcemus apud vos? Itaque hoc Concilium ſine Pontificis Legatis, atque vllo Occidentis Epiſcopo, vno Hiſpano excepto, qui fortè fortuna Conſtantinopoli diuerſabatur, celebratum fuiſſe accepimus: Generale tamen ab omnibus ſemper iudicatum eſt, eò quòd Pontifex cum Concilio ſuo Patriarchali eorum excuſationes iuſtas ratus, quæ decreuerant, confirmauerit.

Concilium CP. etſi nullus Occidentis Epiſcopus adeſſet, quare generale habitum.

Idem præſtitit Pontifex, cùm tertium generale Concilium celebratum eſt, vt refertur in relatione de Epiſcopis & Legatis qui ab vrbe Roma venerunt ad Imperatores: Concil. Epheſ. parte 2. act. 3. *Licèt maximum itineris ſpatium*, aiunt Patres Epheſini de Occidentalibus, *vniuerſam illam ſanctiſſimorum Epiſcoporum multitudinem ad nos peruenire prohibuerit: attamen illis in locis ſimul congregati, Cæleſtino ſanctiſſimo piiſſimóque magnæ Romæ, etiam præſente*, &c. Et poſt pauca. *Quia ergo viri iſti qui venerunt, totius Occidentalis ſanctæ Synodi ſententiam noſtræ huic Synodo per literas expoſuerunt*, &c. Similia, act. 5. in relatione ad Imperatores, de Orientalibus. De quarta Synodo, manifeſtæ ſunt Epiſcoporum Galliæ ad Leonem & Leonis ad eoſdem Epiſcopos literæ, quibus hæreſin in Oriente natam illis exponit, atque, vt Concilio coacto de ea condemnanda deliberent, eadémque acta relaturos Epiſcopos mittant, præcipit. Iuſſi Galli Epiſcopi 44. conueniunt, mandata exequuntur, longioríſque dilationis cauſas exponunt, veniámque efflagitant.

Det ergo Apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit, &c. Quamobrem autem hæc Concilia indicerent Pontifices, Legatos ad Concilium generale in Orientem missuri, Leo ipse explicat. *Optassemus quidem fraternitati vestræ literas eo tempore quo promiseratis, accipere, vt profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostra pro Catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio iungeretur.* Et paucis interiectis, *Meritò nos cognoscimus fratribus & Coëpiscopis nostris Orientalibus intimasse quòd secundùm Euangelicam Apostolicámque traditionem de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi vna esset omnium nostrûm & indiscreta confessio*, &c. Quanquam autem Pontifex aliarum Diœcesum Concilia iustis de causis Romam non accersiuerit, Diœcesis tamen propriæ Synodum coëgit; è qua præter Presbyterum è suo latere, duos Episcopos elegit; vnum prouinciæ Romanę, Lucentium Asculanum Episcopum; alterum Diœceseos, Paschasinum Lilybæum: vt præter horum Episcoporum delegationem, testatur Epistola Eusebij Mediolanensis ad Leonem. Ad sextam Synodum celebrandam conuocauit Agatho Pontifex 125. Episcopos, quorum Concilio & Legatos elegit, & eos mandatis necessariis instruxit. Huic autem Concilio adfuerunt non tantùm ex vniuersis prorsus Italiæ Prouinciis, atque ad Italiam pertinentibus Episcopi, sed etiam ex Galliarum Concilio Legati, Episcopi duo, & Diaconus vnus; ex Britanniæ verò, Legatus vnus, Episcopus Eboracensis. Ea

Cur Pontif. ad generale Cõcil. missuri Concilia celebrarit.

omnia constant ex Concil. 6. act. 4. epist. Agath. ad Imperatores sæpius, atque ex eius subscriptionibus. Epistolæ verò inscriptio est eiusmodi: *Piissimis dominis, &c. Agatho Episcopus seruus seruorum Dei cum vniuersis Synodis subiacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Idem obseruatum esse in octaua Synodo fidem facit huius Concilij actio sexta, in qua præter alia huius generis hæc verba habentur: *Sancta Romana Ecclesia, cum tota Occidentis Synodo, indictione vndecima, damnauit, anathemati subiecit, & eiecit Photium.* Sed de hoc capite multa satis: Antequam tamen finem dicendi faciam, hinc colligas velim manifestissimam iuris Exarchici & Patriarchici à Pontificio & vniuersali distinctionem. Exarchica cogit Concilia Pontifex & Patriarchica: Exarchica, Italiæ; Patriarchica, totius Occidentis. Alia est igitur Pontifici Diœcesis, alia tractus terræ Patriarchicus. Aliud igitur ius in Diœcesin, aliud in Patriarchatum.

Legatos duplices ad Concilium mittere solebat Pontifex.

Secundum est, Legationes Pontificis & Concilij sui aliquando & sæpiùs in vnam coaluisse, aliquando verò disiunctas fuisse. Vna erat & Pontificis & Concilij ad Concilium Ephesinum Legatio & deputatio. Sic enim Cælestinus Pontifex scribit ad Synodum, Conc. Ephes. parte 2. act. 2. *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros vnanimes nobis & probatissimos viros, Arcadium & Proiectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum qui iis quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur.* Eadem scribit ad Theodosium Imperatorem, & de se testantur Legati eâdem Concilij parte

initio, act. 3. Ideo sic loquitur Proiectus, Nestorium deponens: *Propterea & ego quoque auctoritate Legationis Apostolicæ Sedis, unà cum fratribus sententiæ executor existens, definio, memoratum Nestorium veritatis inimicum*, &c. Sanctus verò Cyrillus trium Legatorum sententiam eodem loco resumens, sic loquitur: *Deposuerunt enim supplentes locum Sedis Apostolicæ, totiúsque Synodi sanctißimorum, Deóque dilectißimorum Occidentalium Episcoporum:* non enim tantùm Pontifex sed etiam Synodus illos mittere dicebatur. *Piißimus magnæ vestræ Romæ Archiepiscopus, & uniuersa Occidentalis Synodus, per sanctißimos Episcopos quos ad nos ipsa misit*, &c. ibid. part. 2. relat. ad Imper. missa, inter epistolas Catholicorum. Aliquando in Concil. Ephesino hic ordo inuertitur, & Legati presbyteri Legatis Episcopis præponuntur, sed hoc Amanuensium incuriâ accidisse crediderim: quanquam si de industria factum affirmetur, id in maiorem Pontificis gloriam cedat, cùm Legati de latere & Clero suo missi cæteris præferantur. Per omnia similis fuit Legatio Chalcedonem missa. In sexto verò Concilio distincta fuit & separata Legatio: atque ideo non sunt ἀμέσως συγγραφαί. *Conueniente quoque sancta & uniuersali Synodo, quæ secundùm imperialem sanctionem congregata est, in hac à Deo conseruanda regia urbe, id est, Theodoro & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Ioanne venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ, & Georgio venerabili & sanctißimo Archiepiscopo Magnæ Constantinopoleos nouæ Romæ, & Petro Deo amabili*

Presbytero & Monacho, & locum seruante Sedis magnæ ciuitatis Alexandriæ; & Macario venerabili Archiepiscopo Theopoleos Antiochiæ, & Georgio Religioso Presbytero Monacho, & Apocrisiario Theodori venerabilis Vicarij Sedis Hierosolymorum: Ioanne Episcopo Portuensi, Abundantio Episcopo ciuitatis Paternensis, Ioanne Episcopo ciuitatis Rhegitanæ; locum præsentantibus 125. Episcoporum, venerabilium Episcoporum sancti Concilij antiquæ Romæ. Singulis huius Concilij actionibus hæc subscriptio eodem ordine refertur, nisi quòd actionibus 16. & decima octaua sæpiùs Synodi Occidentalis Legati Episcopis, Thessalonicēsi, Gortynensi & Corinthio, Vicariis Sedis Apostolicæ ordinariis modò postponuntur, modò interseruntur: Priores verò Legati Sedem suam & principatum ante omnes Patriarchas immotum & inuiolatum conseruant.

Legati qui personam Pontificis sustinent, Legationis sēper principes.

Hinc tertium euidenter demonstratur, Priores scilicet Legatos, qui Pontificis personam & dignitatem repræsentabant, Conciliorum semper principes fuisse, Posteriores verò secùs, Patriarchis aliisque Episcopis nonnunquam posthabitos. Ex iis quæ dicta sunt, duo præterea consequuntur: Prius, Concilium Romanum secundum sub S. Syluestro, etsi fœdissimè corruptum sit, vel potiùs suppositiitium, reuera tamen Syluestrum paulò ante Concilium Nicænum ex Occidentalibus Prouinciis Concilium coëgisse: Posterius, Osium Cordubensem Episcopum, Syluestri Conciliique Occidentalis Legationem sustinuisse, atque eo nomine cum Legatis è latere Cleróque Romano, Nicæno Concilio præfuisse. Rem

Osius nomine Pontificis Cōcilio Nicæno præfuit.

ita se habuisse ex ipsissimis Eusebij verbis refert Gelasius Cyzicenus in actis Concilij Nicæni, & ex Gelasio Cyziceno in Bibliotheca sua Photius: quanquam Eusebij textus, qui nunc omnium manibus teritur, & à Socrate repetitur; de Osij Legatione, Pontificis nomine suscepta, ne verbulum quidem sonet. Verùm in Eusebij textu fœdam esse lacunam, quę sit ex Gelasio Cyziceno explenda & restituenda, si nobis in scriptione nostra liceret esse tam vagis & desultoriis, multis argumentis facile esset euincere. Sed hæc iam æquo longiùs diduximus; cætera igitur breuissimè tantùm notabimus, vt ad Primates nostros quamprimùm redeamus.

Tertium Vicariorũ genus. Tertium Vicariorum genus, eorum est, quos Pontifex retractandis & recognoscendis Episcoporum & Conciliorum sententiis pro data occasione committebat: hos ab officio Cognitores, ἐπιγνώμονας, vocat Concil. Sardic. c. 3. delegabat autem ad hoc munus Pontifex, vel Episcopos vicinos Prouinciæ in qua causa cognita fuerat, vel *è suo latere Presbyteros*, ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ, vt eodem Concilio, canone 5. refertur. E quo testimonio euincitur, Legatos à latere antiquitus Presbyteros dici, qui è latere Pontificis, hoc est, è Clero Romano, vicem Pontificis gesturi mittebantur. *Quid Legatum esse à latere.* E latere enim mitti, est velut è familia, ex Officialibus & Procuratoribus domesticis in opus aliquod eligi & deputari: ita Possidonius in vita S. Augustini de Iudice Afris ab Honorio Imperatore dato, *Propter quod perficiendum etiam de suo latere Tribunum & Notarium Marcellinum ad Africam iudicem*

miserat. Eiusmodi Legatos Photius & Balsamon ἐκ τοῦ προσώπου vocant: quanquam ij qui Sardicenses & Carthaginenses canones verterunt, ἐκ τοῦ πλαγίου verterint. *Vicariorũ quartum genus.* Quartum genus est eorum qui *Responsales* dicebantur: quorum mentio frequens est apud S. Gregorium in Epistolis, aliósque eiusdem sæculi & sequentium autores: iidem à Græcis & nonnunquam à Latinis Ἀποκρισιάριοι, Apocrisiarij vocantur. Legati erant à Pontifice ad Imperatorem missi, qui res Ecclesiasticas & proprias eius vice procurarent; quibus simillimos nunc Nuntios Apostolicos appellamus. Ij *Responsalium seu Nuntiorũ iurisdictio.* nonnunquam causas Episcoporum minores, nedum Presbyterorum, non modò in Patriarchatu Romano, sed in alienis Patriarchatibus, atque adeò in ipsa Constantinopoli, vice Pontificis cognoscebant, vt eum morem nos docet S. Gregorius, l. 2. epistol. 7. *Secundùm scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersùs præfatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos qui nostri sunt, vel fuerint in vrbe regia Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur: vel hûc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur.*

Vicariorũ quintum genus. Quintum est Legatorum qui, nunc κατ' ἐξοχὴν Legati à latere dicuntur: quorum autoritas esse solet amplissima, ita vt toto Legationis tempore non secus ac Pontifex ipse, & honorentur, & in vniuersas ad quas mittuntur Prouincias, potestate gaudeant. Aliquot ante tempora nostra seculis his Legatis vsus est Pontifex frequentissimè, nunc vtitur multò rariùs, primis verò Ecclesiæ sæculis illis vtebatur rarissimè.

ſimè. Iis tamen per vniuerſum Orientem vſus eſt Liberius Pontifex: eò enim miſit Legatos ſuos cum ampliſſima & Pontificali dignitate, Euſebium Vercellenſem Epiſcopum & Luciferum Caralitanum; quorum poſterior Paulinum creauit Antiochiæ Patriarcham. Quo verò iure niſi à Pontifice mutuato, è Sardinia, Occidentali inſula, in Orientem profectus nullius nominis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ totiúſque Orientis Pontificem iuit ordinatum? Vſus eſt S. Innocentius Chryſoſtomo Conſtantinopolitano Epiſcopo per Aſianam & Ponticam Legato, vt ſuprà demonſtratum eſt. Vſus eſt præterea Felix III. Acacio ſimiliter Epiſcopo Conſtantinopolitano, in Patriarchatum Alexandrinum & Antiochenum: qua Vicariatus autoritate abutens Acacius Ioannem Sede Alexandrina, Calendionem Antiochenâ iniquè expulit, & Catholicis Hæreticos ſuffecit. Cuius rei teſtis eſt Gelaſius I. epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ. *Cur*, inquit, *tanto tempore, cùm iſta gererentur, vel gerenda cognoſceret* (Acacius,) *non ad Sedem Apoſtolicam, à qua ſibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre maturauit?* Vſus eſt denique Martinus Papa primus, vt ipſe in Epiſtolis ſuis ſæpiùs teſtatur. Cùm enim Monothelitarum hæreſibus Oriens ſæpiùs concuſſum grauiſſimè laboraret, ipſique Orientales Patriarchæ hac peſte capti eſſent, Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum eò Legatum & Vicarium ſuum deſtinat, qui ſumma poteſtate Orientem adminiſtraret, atque in vtroque Patriarchatu Patriarchæ officio fungeretur. *Charitatem tuam exhortamur, religio-*

ſiſsime frater, noſtram iſthic vicem implere, id eſt, in Orientis partibus, in omnibus Eccleſiaſticis functionibus, atque officiis, vt in hoc maximè, ſicut oportet, ſuſcites gratiam Dei, &c. *vt ſic proſperans in Domino, ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per omnem ciuitatem, earum quæ Sedi tum Hieroſolymitanæ tum Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apoſtolica autoritate*, &c. Hæc Martinus Pontifex epiſt. 3. ad Ioannem Epiſc. Philadelphiæ, quæ ſequentibus Epiſtolis ſæpiùs repetit, ſicut & illud Philadelphiæ Epiſcopum à ſe fuiſſe Vicarium canonicè deſignatum.

Sextum Vicariorũ genus, Sextum eſt Primatum, qui omnes in Occidente Vicarij Pontificis dicebantur, de quibus longior ſermo nobis habendus eſt. Horum ſex generum ambitu contineri non videtur Iulianus Coënſis Epiſcopus: de quo mentio frequens in Chalcedonenſi Concilio. Vbique enim & vocatur & ſeipſum vocat Sedis Apoſtolicæ Legatum & Vicarium; ipſius tamen ὑπογραφὴ, cum promiſcua Epiſcoporum multitudine confunditur. Huius rei ratio eſt in promptu. Iulianus in quarta Synodo non erat ampliùs Pontificis Vicarius. Ad Synodum Epheſinam II. quæ λῃστρικὴ dicta eſt, à S. Leone, vt ex eius epiſt. 5. 18. 19. aliiſque conſtat, cum Renato Preſbytero & Hilario Diacono miſſus quidem eſt, vt ei cum Collegis præeſſet: ſed Synodo iſta infauſtum exitum nanciſcente, ad Synodum Chalcedonenſem ab eodem Leone Legati alij miſſi ſunt, Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Preſbyter. Iulianus tamen cùm

huic Synodo rursus adesset, titulum, quem paulò antè re & merito vsurpauerat, eum, vt honorificum & suspiciendum, iterum suscipiendum & sibi conseruandum esse credidit.

EXERCITATIO XXI.

De Vicariatu seu Primatu Archiepiscoporum Thessalonicensium & Corinthiorum.

Vicariatus istius amplitudo & antiquitas. Propter Vicariatum honor. Gelasius Cyzicenus explicatus. Quando desiit Vicariatus ille. Nouellæ vndecimæ ἀὐςορησία καὶ ἀναχερονισμός. *Corinthius pallio vtebatur.*


ICARIORVM & Primatum in Patriarchatu Romani Pontificis primus occurrit Archiepiscopus Thessalonicensis : cuius Vicariatus per Græciam & Illyricum longè latéque patebat. Diœceses enim integras Macedonicam & Dacicam autoritate sua primùm regebat. Prouincias illas singillatim enumerat Nicolaus I. ad Michaëlem Imperatorem epist. 2. *Oportet vestrum imperiale decus,* Imperatorem alloquitur Pontifex, *quod in omnibus*

Vicariatus Thessalonicẽsis amplitudo.

Ecclesiasticis vtilitatibus vigere audiuimus, vt antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini: quatenus vicem, quam nostra Sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ Sedis vicem per Epirum veterem Epirúmque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaïam, Daciam, Riperensem, aliis Ripensem, *Daciámque Mediterraneam, Mysiam, Dardaniam & Præualim, Beato Petro Apostolorum Principi contradicere nullus præsumat.* Sic ferè Guilielmus Bibliothecarius in Adriano II. Thessalonica ciuitas Præfecti Prætorio Illyrici Sedes erat: Hinc cùm per se ampla esset ciuitas, Præfecturæ maiestate longè amplior effecta est: de illius amplitudine testis est vnus è multis, Theodor. l. histor. 5. c. 17. Hinc Aëtij Episcopi in Synodo Sardicensi, c. 16. *Non ignoratis, qualis quantáque sit Thessalonicensium Metropolis.* Ideo Pontifices Vicariatum & Primatum in maximam harum Diœceseωn partem huius vrbis Metropolitæ detulerunt, vt autor est S. Leo, epist. 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem. Neque Leo Pontificum primus hanc dignitatem Thessalonicensi Episcopo attribuit: prædecessorum suorum, inquit, exempla secutus est. *Sicut præcessores mei Præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegaui: vt curam, quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus, adiuuares, & longinquis ab Apostolica Sede prouinciis præsentiam quodammodo nostræ vi-*

Vicariatus Thessalonic. antiquitas.

ſitationis impenderes. Qui autem fuerint Leonis prædeceſſores, qui vices ſuas Epiſcopis Theſſalon. delegarunt, recenſet Nicolaus Pontifex eâ quam citauimus epiſtolâ, Sixtum, Cæleſtinum, Bonifacium, Innocentium, Siricium, Damaſum, atque in Damaſo ſiſtitur enumeratio: pergit verò, *Quorum inſtitutiones ab eis illis in partibus deſtinatas, per noſtros miſſos, vt rei veritatem cognoſcere queatis, veſtræ auguſtali potentiæ dirigere curauimus.* Qua autem autoritate in Epiſcopos & Metropolitas vteretur Vicarius ille, ex eadem S. Leonis epiſtola nunc tibi colligere licet, id explicabimus.

Tanto autem honore propter Pontificis Vicariatum affectus eſt Theſſalonicenſis in conſeſſibus Synodalibus, vt Patriarchas immediatè ſequeretur, Aſiaticos & Orientales Primates omnes præcederet. Ita in Concilio Epheſino Flauianus Philippenſium Epiſcopus, eo quòd Rufi Theſſalonicenſium Archiepiſcopi Legatus eſſet, hunc honorem eſt conſecutus, vt exprimitur Epheſ. Conc. parte 2. act. 1. quanquam ibi Memnonem Epheſiorum Epiſcopum & Primatem, in ſua ſcilicet Prouincia, ſubſequatur. Eâdem actione cùm Neſtorij dogmata examinari incipiunt, Flauianus Rufum Patrem vocat, atque ipſe Rufi Legatus omnium Illyrij Epiſcoporum ſe ſententiam perſonámque ſuſtinere affirmat. In quarta Synodo, in fine, act 3. Sextæ verò initio, medio; Act. 7. iterum initio: Octauâ denique & decimâ ſeptimâ, Quintillus Epiſcopus Heracleæ Macedoniæ, Anaſtaſij Theſſalonicenſis Epiſcopi Legatus, omnes Epi-

Honor propter Vicariatum Theſſalon. Archiepiſcopo delatus.

ſcopos & Primates poſt Patriarchas præcedit. Ita Benignus Epiſcopus Heracleæ Pelagoniæ eaſdem vices ſuſtinens, omnibus præfertur, Synodi quintæ collatione ſecunda & ſeptima. Sexti pariter Concilij ſubſcriptionibus, vt act. 16. & 18. Ioannis Theſſalonicenſis Sedes poſt Patriarchas ante omnes Epiſcopos collocatur. Ipſe verò his verbis, actione 18. Concilio bis ſubſcribit. *Ioannes miſericordia Dei Epiſcopus Theſſalonicenſis, ciuitatis & Apoſtolicæ Sedis Romæ Vicarius & Legatus definiens ſubſcripſi.* Alia fuit in Concilio primo & ſecundo generali Subſcriptionum ratio: quanquam à ſecundo abfuiſſe videtur Archiepiſcopus Theſſalonicenſis; primi verò tempore ad eam dignitatem nondum erat euectus.

x Gelaſio Cyziceno nodus enodatus. Nobis tamen contradicere videtur Gelaſius Cyzicenus, noſtræque ſententiæ plurimùm officere, l. 2. c. 27. actorum Nicæni Concilij. Eo enim capite Alexandri Theſſalonicenſis ſubſcriptio ſic refertur: *Alexander Theſſalonicæ, per eos qui ſub ipſo cenſentur, Eccleſiis, in Macedonia prima & ſecunda, cum iis quæ in Græcia & Europa tota, in vtraque Scythia & omnibus denique in Illyrico, Theſſalia & Achaïa.* Nunquid omnes hæ prouinciæ tum temporis Archiepiſcopo Theſſalonicenſi ſubiectæ erant? Hoc autem ſi datum fuerit, quî conſtabit id quod diximus, Nicæni Concilij tempore ad eam dignitatem nondum fuiſſe euectum? Imò quod hactenus operosè contendimus, Primates ea tempeſtate prorsùs incognitos? Sed facilis ſolutio. In his ὑπογραφαῖς non enarrantur Prouinciæ Epiſcopis ſubditæ, ſed Prouinciæ quibus

Concilij decreta mittere & significare Episcopi iubentur. Hanc interpretationem tria potissimùm testantur. Primùm, ipse subscriptionis stylus, vt legenti cuique iudicare peruium est. Deinde Prouinciæ ipsæ quibus Concilij decreta intimare Episcopis mandatur, hoc ipsum testantur : Plures enim citra controuersiam in Episcoporum illorum potestate nunquam fuerunt. Denique hoc ipsum testatur Gelasius Cyzicenus. *Hi omnes sancti atque Apostolici viri omnibus sub cœlo sanctis Dei Ecclesiis, quæ in Nicæna sancta magna & generali Synodo decreta sunt, transmittentes, vbique tradiderunt*: ad calcem verò libri, clarissimè, vbi hæ siue ὑπογραφαὶ, siue ἐπιγραφαὶ eodem modo repetuntur. *Illud solum hîc addere necessarium existimaui, eorum Episcoporum nomina, qui ex communi omnium Episcoporum consensu in prouincias vbique terrarum missi sunt, per quos quæ à Synodo fuerant iudicata, per Synodicas Epistolas & laudatissimi Regis literas, ad omnes sanctas sub cœlo Dei Ecclesias sunt transmissa.* Nihil igitur aliud ea verba sibi volunt, quàm Archiepiscopo Thessalonicensi mandatum esse, vt tum per se tum per Episcopos Prouinciæ suæ, Prouinciis quæ ibidem enumerantur, Concilij decreta innotescant.

Thessalonicensis Primatus quando desiit.

Amplissima illa Thessalonicensis Episcopi autoritas, quam Vicariatus sui virtute possidebat, ad Imperatores vsque Iconomachos illi conseruata est; hoc est, quandiu Diœceses, Macedonica & Dacica, è Pontificis nostri Patriarchatu tyrannicè & impiè auulsæ non fuerunt. Postea enim inter Metropolitas vul-

gares recensitus est. Leo Imperator Sapiens dictus, in expositione Episcopatuum throno Constantinopolitano subiectorum inter Metropolitas Thessalonicensem decimum sextum recenset: Andronicus verò Palæologus senior ante 350. annos in vndecimum locum illum euexit, eò quod fortasse in Synodo octaua eandem Sedem retinuisse audiuisset. Ante quidem Iconomachorum furores, Iustiniano scilicet Imperatore, cum bona Vigilij Pontificis venia Acridon suum natale solum in Primatum erigente, magna ditionis suæ parte mutilata est hæc Sedes: Dacica enim Diœcesis illi erepta est & Iustinianeæ primæ attributa, vt refertur Nouellâ vndecimâ, & paulo post fusiùs enarrabimus: honor tamen idem, potestásque in plures Metropolitas illi superfuit.

Nouella vndecima ἀνιστορησία & ἀναχρονισμός.

Antequam huic lucubratiunculæ finem imponamus quæ de Sede Thessalonicensi eâ nouellâ Imperatori suggesta sunt, in iudicium vocemus. Quædam enim sunt à quibus ἀνιστορησίας καὶ ἀναχρονισμοῦ labes abstergi nullomodo potest. Hic adest nouellæ textus, noua certè & antiquis contraria recensens. *Cùm in antiquis temporibus Firmi Præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium, tam in ciuilibus quàm in Episcopalibus causis, postea autem Attilanis temporibus, eiusdem locis deuastatis Apennius Præfectus P. de Firmitana ciuitate Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam Præfecturam & Sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non sua autoritate, sed sub vmbra Præfecturæ meruit aliquam Præfecturam.* Hæc [omn]ia falsa sunt: Pauca tantùm, quæ ex iis quæ diximus,

mus, conſequuntur, notabimus. Falſum eſt, honorem Eccleſiaſticum Attilanis temporibus Theſſalonicam eſſe adeptam. Leo enim Pontifex Attilæ temporibus vixit, eúmque ab vrbis incendio continuit; At teſtatur Leo, Epiſtolâ citatâ, Epiſcopo Theſſalonicenſi ex Pontificum prædeceſſorum ſuorum conſtitutione Primatûs dignitatem olim delatam fuiſſe. Falſum eſt præterea, ciuilis adminiſtrationis apicem eo tempore Theſſalonicæ collatum: Eo enim ornata erat Theodoſij Magni tempore, vt teſtis eſt, & de hoc, & de ſuo tempore Theodoretus, hiſt. l. 5. c. 17. *Theſſalonica ciuitas eſt ampliſſima, & multis hominibus frequentata, quæ pertinet quidem ad Macedonum gentem, imperat verò Theſſaliæ & Achaïæ, aliiſque plurimis gentibus quas regit Illyrici Præfectus.* Ab interpretatione Chriſtophorſoni diſceſſimus, eo quòd verborum emphaſin nobis non ſatis exprimere videbatur. Ad Conſtantini igitur & filiorum tempora neceſſariò aſcendendum eſt, cùm Sirmij, ſic enim loco Firmi, legendum, Imperatores ſæpiùs commorati ſunt. Neque hoc ſatis tutum: Ampliſſimam enim huius vrbis poteſtatem circa illa tempora cœpiſſe teſtantur cùm canon 16. Sardic. tum apud Gelaſium Concilij Nicæni ſubſcriptiones. Falſum eſt *aliquam Præfecturam meruiſſe*: ampliſſimam enim, vt vidimus, obtinuit. Falſum denique eſſe, ob Præfecturam ciuilem præcipuè, dignitatem illam obtinuiſſe, omnia quæ hactenus demonſtrauimus, comprobant.

Alios Vicarios quidam Balſamonis autoritate freti, in Trull. Concil. initium, enumerant, Sardanenſem,

Heracleanum, Gortynensem & Corinthium, sed ab iis quos hîc explicamus, plurimùm differunt: Ordinarij enim non fuerunt sed extraordinarij ad Concilium missi, quales innumeri recenseri possunt. Corinthius Metropolita solus est de quo suspicio quædam suboriri possit, non ob ea quæ refert Balsamon, sed eò quòd S. Gregorius l. 4. epist. 55. pallium more maiorum ei concedere dicat, atque Helladis Episcopos epist. 56. ei subiiciat: *Pallium Ioanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite: cui vos magnopere conuenit obedire, præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona eius quibus ipsi testimonium perhibetis, inuitent.* Duæ igitur Prouinciæ illi suberant; Peloponnesus, cuius ἰδίως erat Metropolita; & Hellas seu Helladia, cuius Metropolita erat Atheniensis: quæ Prouincia postea in duas diuisa est, primam & secundam. Tres itaque Prouinciæ illi obnoxiæ erant. Sardanensem verò & Heracleanum Vicarios Pontificis aliquando fuisse, nullo vestigio ne dicam argumento demonstratur; nec tanti facienda est Balsamonis autoritas, vt illi sine teste credi debeat. Dicitur quidem Gortynensis in Concilio sexto Synodi Romanæ Legatus, sed nunquam Pontificis: ideo ibidem longè post Pontificis Vicarios & subscribit & reponitur; in quarto verò & quinto Concilio, vt nullius notæ Metropolita, inter Gregarios vix discernitur.

Corinthi Metropolita pallio vtebatur.

EXERCITATIO XXII.

De Arelatenſis Epiſcopi in vniuerſam Galliam Vicariatu ſeu Primatu.

SS. Gregorius, Pelagius, Vigilius, Symmachus, Zoſimus, Pontifices, Arelatenſem Epiſcopum Vicarium ſuum per Gallias conſtituunt. Galliæ variæ diuiſiones. Ammiani error. Septemplicis Galliæ diuiſionis argumenta. Eccleſia Gallicana antiquas Prouinciarum ſortes non mutauit. De Galliæ diuiſione, in Gallias & quinque, poſtea ſeptem Prouincias. Quæ ſunt ſeptem Prouinciæ. Quare Arelas dicta eſt matrimonium Galliarum. Contentio Arelatenſis cum Viennenſi. Contentionis ἀναχρονισμὸς *exploditur. In deferendo Primatu quid Pontifices ſpectarunt. Propter Sedis antiquitatem* προεδρία *conceditur non iuriſdictio.*

SECVNDVS in Occidente Primas & Pontificis Vicarius fuit Arelatenſis Archiepiſcopus, cui præ cæteris, illuſtribus teſtimoniis antiquitas patrocinatur. Illius autoritas in vniuerſam Galliam aut Galliæ longè maximam partem inſignis fuit. Eam pluribus deſcribit S. Gregorius,

l. 4. epist. 50. 52. Sic epistol. 52. loquitur. *Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium cùm fuerit vnus ad quem posit recurri, Præpositus: Iccirco opportunum esse perspeximus, in Ecclesiis quæ sub regno præcellentißimi filij nostri Childeberti Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo, vices nostras tribuere: quatenus & Catholicæ fidei integritas, id est, sanctorum quatuor Synodorum, Deo protegente, solicita deuotione seruetur: Et si inter fratres consacerdotésque nostros aliqua euenerit forte contentio, autoritatis suæ vigore, viribus nempe Sedis Apostolicæ, functus, discreta moderatione compescat.* Iura alia huius Primatis in vniuersas Galliæ Prouincias refert ibidem S. Gregorius: quæ postea nobis enarranda erunt. Ante S. Gregorium Pelagius I. Papa Sapaudo Episcopo Arelatensi vices suas delegauit, ad eum his verbis scribens: *Maiorum nostrorum operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigiis, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari; charitati tuæ, per vniuersam Galliam, sanctæ Sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus,* &c. *Hinc est quòd & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus, vt Sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrûm in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quidquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiasticam gerendum est, seruatis Patrum regulis & Sedis Apostolicæ constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talémque te in custodiendis canonibus sancta conuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.* Epistolam integram cum nonnullis aliis edidit ex codice

Arelatensi, illustrissimus annalium conditor gesta anni 556. referens. Sincerum autem & genuinum esse hunc codicem hoc in primis probat, quod Nicolaus primus Pontifex epist. 8. ad Michaëlem Imp. Epistolam ad Childebertum Regem in collectione Conciliorum ordine vndecimam ex hoc codice excerptam integram refert. Alia nonnulla ex iisdem Epistolis in eandem sententiam excerpi possunt: sed nobis hæc satis. Ante Pelagium Vigilius Pontifex eandem autoritatem Arelatensi Episcopo sese detulisse testatur, ad Aurelianum Arelatensem scribens. Extat hæc epistola Synodi 5. collat. 7. *Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ Sedis per nos constat esse Vicarium, vniuersis Episcopis innotescat*, &c. Et ad finem epistolæ, *Festina ergo, frater charissime, vt in sanctæ fidei sinceritate persistens, Ecclesiarum pacem quæ vel à Deo per meritum Sacerdotij tibi commissa est, vel à nobis per Apostolicam autoritatem Vicaria potestate mandatur, competenti solicitudine, Deo propitiante, custodias, & Vicarium te Sedis nostræ dignis Deo manifestes operibus.* Data est hæc Epistola, Iustiniani anno 24. post consulatum Basilij, anno nono, cui parallelus est Christi annus 550. Rem eandem aliis verbis effert Iustinianus Imperator, epistola ad Episcopos, quæ refertur in Synodo 5. collat. prima. *Sed etiam Valentiniano Episcopo Scythiæ, & Aureliano Arelati, quæ est prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum, scripsit* (Vigilius) *& manifestauit de condemnatione istorum Capitulorum.*

Epist. Pelagij, Pontificis antiquitas asseritur.

Ante Vigilium Pontificem annos circiter 50. idem innuit Symmachus ad Cæsarium Arelatensem scri-

bens, epiſtola ſexta, in poſtrema Conciliorum collectione, *Charitati tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi pallij conceſſimus facultatem:* in fine verò epiſtolæ, poſt nonnulla decreta quæ Epiſcopos & Metropolitas ſpectant, hæc ſubdit Pontifex quæ ampliſſimam in vniuerſas Gallias Arelatenſis Epiſcopi autoritatem aſſerunt. *Hæc omnia vltione diſtrictionis veſtræ fieri prohibete: quatenus & in Eccleſia veſtra, & in ſupradicta Prouincia diſciplina bonis actibus amica ſeruetur.* Nec te terreant hæc verba, *in ſupradicta Prouincia:* vniuerſam enim Galliam complectuntur, quam eodem modo paulò antè enuntiauerat: *In Galliæ ſiquidem Prouincia ab aliquibus perſonis Eccleſiaſtica prædia diuerſis titulis alienantur.* Eandem autoritatem confirmat, epiſt. 11. *Manentibus ſiquidem his quæ Patrum conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus, vt circa hæc quæ in Galliæ Prouinciis de cauſa religionis emerſerunt, ſolertia tuæ fraternitatis inuigilet. Et ſi ratio popoſcerit præſentiam Sacerdotum, ſeruata conſuetudine, vnuſquiſque tuæ dilectionis admonitus autoritate conueniat.* In fine autem Epiſtolæ, Galliarum Clericos omnes peregrinantes ab Arelatenſi Archiepiſcopo literas formatas & communicatorias deferre iubet. Hoc decreuerat annis ante Symmachum fere centum Zoſimus Pontifex, in Epiſtolis quæ extant apud Baron. ann. 417. ex antiquo codice Arelatenſi, & in poſtremam Conciliorum collectionem relatæ ſunt. *Placuit Apoſtolicæ Sedi, vt ſi quis ex qualibet Galliarum parte, ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire diſponit, non aliter proficiſca-*

tur nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit. Et paulò post, *Iußimus autem, præcipuam, sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensium ciuitatis, in ordinandis Sacerdotibus teneat autoritatem: Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam Prouincias, ad Pontificium suum reuocet,* &c. quæ sequuntur eandem autoritatem non minùs euidenter comprobant: longè plura sequentibus epistolis extant in eandem sententiam, quæ hûc congerere molestum nimis.

Notabis autem, cùm Pontifex tres Prouincias Viennensem & Narbonenses duas in Arelatensis Episcopi potestatem redire iubet, non inde sequi, cæteras Galliæ Prouincias eidem non fuisse subiectas: contrarium enim euincunt quæ hactenus citauimus testimonia: sed is autor maximè cuius autoritas nobis opponitur. Vt autem funditus intelligatur, sermo noster à rei capite arcessendus est. Plures feruntur Galliæ diuisiones; In transalpinam diuiditur & Cisalpinam: Cisalpina sic Italis & Vltramontanis dicta nihil nunc ad nos. Transalpinam tripertitam nobis describit Iulius Cæsar, Celticam, Belgicam & Aquitanicam. Augustus verò Transalpinæ quatuor partes seu Prouincias enumerat, quas scilicet autoritate sua distinxerat & constituerat, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem & Belgicam, vt autor est Strabo. Ammianus totidem enumerat l. 15. sed Lugdunensem perperam cum Narbonensi confundit, & eâ subductâ Germanicam inducit. Post Augustum, sed ante Constantinũ, his quatuor Prouin-

Galliæ variæ diuisiones enumerantur.

Ammiani Marcellini error.

ciis tres accreuerunt: quo autore mihi eſt incognitum. Itaque eo tempore ſeptem Galliæ fuerunt Prouinciæ, Narbonenſis, Alpina, Viennenſis, Aquitanica, Lugdunenſis, Belgica, & Germanica. Huius diuiſionis duo mihi ſunt præcipua argumenta. Prius eſt, Notitiæ imperij Romani fides, quæ Gallias & ſeptem Prouincias veluti Synonymωs non ſemel vſurpat: Enumeratura enim Prouincias quæ à Galliarum Vicario regebantur, enumerationi hunc titulum adſcribit: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis, Vicarij ſeptem Prouinciarum:* & rurſus enarrans Vicarios, Præfectis Prætorio Italiæ, & Pr. Galliarum ſubiectos, Galliam non alio nomine vocat quàm ſeptem Prouinciarum, *Vicarii ſex, Vrbis Romæ, Italiæ, Africæ, Hiſpaniarum, ſeptem Prouinciarum, Britanniarum.* Similiter Diœceſes Præfecto Prætorio Galliarum aſſignatas deſcribens, *Sub diſpoſitione*, inquit, *viri illuſtris Præfecti Prætorio Galliarum: Diœceſes infra ſcriptæ: Hiſpaniæ, ſeptem Prouinciæ, Britanniæ.* Hoc teſtantur præterea nonnullæ veteres inſcriptiones.

Septẽplicis Galliæ diuiſionis argumẽta.

Argumentum huiuſce rei alterum eſt, cùm Galliæ in plures ſeptem Prouincias diuiſæ ſunt, nullum nouum nomen alicui Prouinciæ inditum fuiſſe, ſed aliquam ex his ſeptem in plures eſſe diſſectam, matricis nomen retinentes. Verbi cauſa, Lugdunenſis in quinque Prouincias diuiſa eſt; Omnes illæ Prouinciæ matricis nomen conſeruarunt, & vocatæ ſunt, Lugdunenſis prima, ſecunda, tertia, &c. Itaque cùm Galliæ in ſeptemdecim Prouincias partitæ ſunt, originalis Prouinciæ vnaquæque nomenclaturam repræſen-

præſentauit; Lugdunenſes enim quinque factæ ſunt, Aquitaniæ tres, Narbonenſes duæ, Alpes duæ, Belgicæ duæ, Germanicæ duæ, Viennenſis vnica: Alij aliter eas enumerant, eâdem tamen origine & argumento. Eôdem reſpexit Imperij Notitia: quanquam enim Gallias, vt vidimus, ſeptem Prouinciarum nomine ſæpiùs appellet, vbique tamen Prouincias illas ſigillatim explicans, ſeptemdecim enumerat. Neceſſariò igitur ſeptuplex illa Galliarum diuiſio Conſtantinianam præceſſit, quum Conſtantiniana illam ſupponat & exprimat. Notandum obiter, Conſtantinianam Prouinciarum Romanarum diſtributionem in Eccleſiaſticis Galliæ Prouinciis etiam nunc expreſſiſſimâ hærere, quanquam vbique terrarum adeò interpolata ſit, vt vix vlla veſtigia ſuperſint. Archiepiſcopatus enim Galliæ cum Prouinciarum Notitia, & Epiſcopatus cum vrbibus ab itinerario antiquo notatis, ἀπαρτιλογίᾳ & ſumma quadrante ferè conſentiunt. Pauca tantùm immutata ſunt: nuper diuiſa eſt Prouincia Senonenſis: Belgica ſecunda, anno ſalutis 1559. Cameracenſium ciuitate in Metropolim erectâ: Et ante trecentos annos à Ioanne XXII. Narbonenſis, Toloſâ Archiepiſcopàtu donatâ: cui addenda eſt Viennenſis: è qua Auenio diſtracta eſt, ciuitate à Pontificibus inibi commorantibus Metropolitico iure honoratâ. Sed ſummam quadrantem in diuiſionibus noſtris quum ſubducere ſatagimus, in orationem excurrentem imprudentes incurrimus. Ad ſe igitur redeat oratio.

Eccleſia Gallicana antiquitas Prouinc. ſortes non mutauit.

Galliæ Prouincias quatuordecim tantùm recenſet

Sextus Rufus, quibus addens Britanniæ quatuor Prouincias, octodecim componit. Eiusmodi est istarum Prouinciarum apud Rufum ordo. *Sunt in Gallia cum Aquitania & Britanniis Prouinciæ octodecim, Alpes maritimæ, Prouincia Narbonensis, Viennensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Lugdunenses duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ. In Britannia, Maxima Cæsariensis, Flauia* (similiter Cæsariensis) *Britannia prima, Britannia secunda.* Galliæ Rufus quatuordecim tantùm Prouincias, Britanniæ verò quatuor numerat, cùm Notitia, Galliæ septemdecim, Britanniæ verò quinque recenseat. Antiquissima fuit alia Galliæ diuisio, quæ institutum nostrum propiùs respicit, posterioresque duas supponit, quum eis inserta sit, & veluti inoculata. Gallia in septemdecim, vel, si mauis, in quatuordecim Prouincias diuisa, rursus bipertitur, In Gallias, & septem Prouincias. Hanc distinctionem ob oculos habuit Zosimus Pontifex, de cuius testimonio nunc agimus, & qui ei successit Bonifacius primus. Sic enim Epistolam quintam inscribit: *Zosimus vniuersis Episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis*: & sequentem, *Zosimus Aurelio, & vniuersis Episcopis per Africam constitutis, Vniuersis Episcopis per Galliam & septem Prouincias constitutis, vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis à Pari.* Secundam verò suam Bonifacius, eodem modo, *Bonifacius Episcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuerio, Valerio, Iuliano, Dastorio, Leontio, Constantino Ioanni, Montano Marino, Mauricio, & cæteris Episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis.*

De Postrema Galliæ diuisione in duas partes.

Hanc Galliarum distinctionem commemorant & Constitutione sua confirmant Imperatores Honorius & Theodosius, cùm septem Prouinciarum quotannis Arelatem confluentium commercium Constantini cuiusdam tyrannide interruptum, instaurandum esse sanciunt. Data est ea Constitutio ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Coss. Septem illas Prouincias enumerat, & totum hoc negotium dilucidè explicat Hincmarus, epist. 5. c. 17. *Temporibus Theodosij & Honorij Imperatorum, & Zosimi Pontificis, per septem Prouincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & Nouempopulanam & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his Prouinciis, honorati vel possessores, Iudices, & Episcopi præfatarum Prouinciarum ab Idibus Augusti quibuscumque mediis diebus in Idus Septembris, in vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad Concilium Forense vel Ecclesiasticum conuenirent: Ita vt de Nouempopulana, & secunda Aquitanica, quæ Prouinciæ longiùs constitutæ sunt, si eorum Iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, Legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in Edicto præfatorum Imperatorum, & in Epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum inuenitur.* Quæ sint septē Prouinciæ. Vides igitur quæ sint septem illæ Prouinciæ, quando & quamobrem conuentus ille celebraretur, Episcopos politicam hanc Congregationem imitatos fuisse. Earum denique Prouinciarum quæ longiùs aberant, Iudices & Episcopos, si per Legatos adessent, rescripto satisfecisse. Tantæ autem fuit ille Conuentus au-

toritatis, vt quidquid in eo decernebatur, per vniuersam Galliam, vim legísque virtutem obtineret. Sic enim iubet Constitutio, *Quidquid tractatum fuerit, & discußis ratiociniis constitutum, nec latêre potiores Prouincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam Iustitiaque seruari.* Quamobrem verò Arelate Conuentus ille celebraretur, monent Imperatores: *Cùm ergo huic seruat ciuitati quidquid habet terra præcipuum; ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quidquid singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cùm in ea ciuitate (Arelatensi) præcipiamus esse conuentum, in qua diuino quodammodo munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstetur.* Hinc facile est colligere qua de causa Arelas matrimonium Galliarum nonnumquam appelletur.

Quare Arelas dicta est matrimoniũ Galliarũ.

Ante hanc Constitutionem Gallias alio modo diuisas fuisse ex Concilio Taurinatensi, Symmacho & nonnullis aliis, coniicere licet. Episcopis enim Galliæ sic scribit Taurinatense Concilium, *Fratribus dilectißimis per Gallias & quinque Prouincias constitutis:* & Symmachus, l. 4. epist. 30. *Tu non iisdem Sedibus immoraris, dum aut Treuiros ciuica religione, aut quinque Prouincias otij voluptate commutas.* Ita Maximus Tyrannus ad Siricium Pontificem scribens, tom. 1. Concil. Philastrius in Catalogo hæres. c. 60. & Inscriptio legis 15. Cod. Theod. de Pag. sac. & templ. *Arcad. & Honor. AA. Macrobio, PP, Hispaniarum & Procliano Vic. quinque Prouinciarum.* Honorij igitur Constitutione, vel paucis ante illam annis consuetudine qua-

Gallia diuisio in Gallias & quinque Prouincias.

dam, quinque Prouinciis additæ ſunt duæ, Nouempopulana ſcilicet & Aquitania ſecunda, id eſt, Burdegalenſium & Auſciorum Metropoles; quæ antea propter diſtantiam maximam ad Conuentus illos annuos celebrandos cæteris non adnumerabantur, quarúmque ideo poſt adſcriptionem, vt ait Hincmarus, Iudices per ſe Conuentui adeſſe non tenebantur.

Quæ de variis Galliæ diſtinctionibus, quàm potuimus breuiſſimè diſſeruimus, non eſſe ἐξαγώνια καὶ πόῤῥω τοῦ πράγματος, ſed ἐναγώνια, & in ſcopum noſtrum ad amuſſim tendere, nunc ſodes animaduerte lector. Conſtat itaque ex iis quæ diximus, Zoſimum Pontificem ſeptemdecim Galliæ Prouincias probè cognitas habuiſſe, nec Gallias & ſeptem Prouincias Synonymως vſurpaſſe, cùm Galliarum & ſeptem Prouinciarum diſtinctio eo tempore iam vbique inualuiſſet. Cùm igitur Zoſimus ex ordinaria ſui temporis conſuetudine Gallias diuidat, ea diuiſione quæ Prouincias ſeptemdecim neceſſariò ſecum infert, omnibus præterea Galliæ ſic diſtinctæ Epiſcopis reſcribat, quum denique adeò ſæpe vniuerſam Galliam, & *quaslibet Galliæ partes* Arelatenſis Epiſcopi regimini committat; Vniuerſam ſanè Galliam, non tantùm ſeptem Prouincias aut ſingulares quaſuis alias eum intellexiſſe prorſus neceſſe eſt. Quomodo autem & quibus gradibus à tanta autoritate exciderit Arelatenſis Epiſcopus, ſanctíque Gregorij & Hormiſdæ teſtimonia cum Zoſimo conciliari debeant, ſequenti Exercitatione docebimus.

Si ita eſt, vniuerſam Galliam, decreto Pontificis;

Arelatensi Episcopo, vt Primati & Vicario commissam esse, Quare, (non immeritò quæres,) de trium tantum Prouinciarum ad Pontificium Arelatense reuocatione à Zosimo mentio facta est? Ratio est in promptu; Patroclo Arelatensi Episcopo de Narbonensi tantùm secunda cum Proculo Massiliensi Episcopo lis erat, & de Viennensi cum Simplicio Viennensi Archiepiscopo. Litis autem diiudicatione de eo tantùm debuit pronuntiare Iudex, de quo inter Reum & Actorem lis contestata fuerat. Apud Zosimum igitur causâ prorsus cadunt Massiliensis & Viennensis, ita vt duorum Episcoporum ordinationes à Massiliensi sine Arelatensis consensu factas Zosimus irritauerit, neque his satisfactus ei vices suas rursus delegauerit: ep. 11. *Quippe cùm & tibi nostrum delegatum nosses officium, & illum scires esse damnatum*, &c. Hoc verò concedamus quod est falsissimum, Arelatensem Episcopum, præter suam tribus tantùm ex hoc decreto præfuisse Prouinciis; quod tamen præcipuè contendimus, esset in vado: Archiepiscopum enim pluribus Prouinciis Præfectum obtineremus. Vtraque contentio ante Zosimi diiudicationem à Concilio Taurinatensi repressa fuerat, sed non extincta, vt ex canone primo colligitur. Quod ad controuersiam Viennensis cum Arelatensi, sic ibi definitum est, *Vt qui ex eis comprobauerit suam ciuitatem esse Metropolim, is totius Prouinciæ honorem Primatûs obtineat, & ipse iuxta præceptum canonum, ordinationum habeat potestatem.* Interim vtrique Episcopo fiduciariè consulunt Patres, pacis conciliandæ

Contentio Arelat. cũ Viennensi in Conc. Taurinat. agitata.

causa, *vt si placet memoratarum vrbium Episcopis, vnaquæque de his, viciniores sibi inter Prouincias vendicet ciuitates, atque eas Ecclesias visitet:* quibus verbis vtrique Metropolitano in plures Prouincias autoritas asseritur. Celebratum esse hoc Concilium paulò post Beati Ambrosij mortem, cuius literæ in eodem Concilio lectæ sunt, ex canone quinto colligitur, hoc est, vt supputat Seuerinus Binius, anno Christi 397. 10. Cal. Octobres. Hinc refellitur eorum sententia qui amplitudinem potestatis Arelatensis Episcopi à Constantino Tyranno repetunt; qui tyrannidis suæ Sedem è Britanniis Arelatem transtulit. Rebellare autem cœpit Constantinus, Basso & Philippo Coss. vt autor Prosper in Chronico, & Zosimus, l. 5. horum autem Consulatus in annum Christi incidit 408. Præcessit igitur Constantini tyrannidem vndecim annis hæc de Primatu Arelatensi contentio. Itaque illius origo, tyrannis ista esse non potuit. Sed ad hanc temporis emendationem, & numerorum expunctionem, vt Primatûs istius antiquitas asseratur, non opus est cõfugere, cùm Zosimus Pontifex, quem habemus præ manibus, longè ante tempora sua illius originem sæpiùs arcessat. Vnico testimonio lectori satisfiet: cùm alterum euidentissimũ iamiam simus allaturi & explicaturi. *Quid illud*, inquit, ep. 6. *quòd prætermisso fratre nostro Patroclo Metropolitano Episcopo Arelatensium ciuitatis, sine cuius autoritate, iuxta Majorum canones, nulla penitus potuit ordinatio celebrari, tumultuosè & turbidè indebitis Sacerdotia impinguntur?* Ante denique Zosimum & Concilium Taurinatense,

Primatus Arelatēsis antiquitas.

idem non ineuidenter innuit Concil. Arelat. 2. c. 18. *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium*, inquiunt Patres, *Synodum congregandam: ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub S. Maurini tempore, legimus celebratum fuisse Concilium atque conuentum.* Cùm indefinitè loquuntur Patres, concilia Galliæ generalia, ad arbitrium Arelatensis Episcopi esse conuocanda definire videntur.

In hac antiquitate eruenda, abundantiâ quâdam opprimi videmur, atque, vt dicitur, copiâ ipsâ quodammodo egeni. Originem enim huius Primatus ducere videtur Zosimus Pontifex à sancto Trophimo, qui à Sede Apostolica Arelatem missus, fidem Christianam ab Arelate in vniuersas Gallias propagauerit: quæ sententia iis quæ contendimus, è diametro repugnat. Hoc enim concesso, & Primates Concilium Nicænum antecessisse, & Pontificis perperam dici Vicarios, statim consequetur. Sæpius hoc innuit Zosimus, sed epistolâ octauâ clarissimè. *Satis constitit Arelatensis Ecclesiæ Sacerdoti Prisca id institutione concessum, vt non solùm in Prouincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses, Episcopos faciat: Nam sanctæ memoriæ Trophimus Sacerdos, quondam Arelatensi vrbi ab Apostolica Sede transmissus, ad illas regiones tanti nominis reuerentiam primus exhibuit, & in alias non immeritò ea quam acceperat autoritate transfudit: atque hanc ordinandi consuetudinem, & Pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus & iustus, custoditum vsque in proximum tempus, gestis apud nos habitis, multorum Consacerdotum testimoniis approbatur.* Nodum hunc nullius

nullius prope eſt negotij diſſoluere, vnicum notatione digniſſimum modò obſeruaueris. Verum quidem eſt, Pontifices, in ſignandis & diuidendis Primatuum finibus, vrbium religionis Chriſtianæ matricium rationem nonnunquam habuiſſe. Conſentaneum enim fuit, vt cùm Prouinciæ ab Imperatoribus multiplicatæ ſunt, vnáque in plures diuiſa fuit, qui integræ præerat, partibus quoque in Prouinciarum formam redactis ſimiliter præeſſet. Hinc factum eſt multiplicatis mirum in modum à Conſtantino Romanis Prouinciis, vt qui vnam anteà regebant Metropolitæ, eâ à Conſtantino aut aliis Imperatoribus in tres, quatuor aut plures diuisâ & diſtractâ, eas omnes, ſed ex conceſſu & priuilegio Pontificum, ſub Vicariorum & Primatum nomine iidem Metropolitæ regerent, & adminiſtrarent. Ex conceſſu & priuilegio Pontificum nominatim dico; quia neque ex traditione Apoſtolica, neque ex conſtitutione Eccleſiaſtica, niſi ſuppoſito Pontificio aliquo priuilegio, Ius habet & autoritatem Metropolita in Metropolitam, cùm eiuſdem ſint ordinis & dignitatis, párque in parem non habeat poteſtatem. Quando igitur vna Prouincia in plures diſtincta fuit, & vnicuique parti Conciliorum aut Pontificum autoritate Metropolita creatus, noui iſti Metropolitæ ex natura & virtute creationis & dignitatis ſuæ, antiquo Metropolitano naſcuntur æquales & ὁμότιμοι. Morem hunc ſæpius inualuiſſe non negauerim, vt propter antiquitatem, ſedíſque originem, πρωτοκαθεδρία quædam & honoris conſeſſus

Obiectionis propoſitæ ſolutio.

Propter Sedis antiquitatem

Id. i prærogatiua concessa.

antiquo Metropolitæ concessus fuerit, adeò vt Græcorum more Diœcesis Πρωτόθρονος dici potuerit. Inde verò iurisdictionem in nouos Metropolitas nullam consequebatur, nisi Sedi suæ Pontificis Vicaria autoritas accederet. Antiquitatis istius & fidei originis, in Primatum forte iacienda, rationem Pontifices nonnunquam habuisse, sæpe etiam post habuisse, variis exemplis, quorum nonnulla in sequentibus examinanda sunt, demonstrari potest.

Sed rem cominus aggrediamur. Omnia hæc, in eo, qui nobis est præ manibus, Primatu contigerunt. Ante enim Constantinum Gallia ab Augusto Cæsare, vt modò retulimus, in quatuor Prouincias secta est, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, & Belgicam. Explodenda enim est Scaligeri sententia qui in notis ad Notitiam Galliarum, Constantinianam in septemdecim Prouincias Galliæ diuisionem, Augusto Cæsari acceptam refert. Narbonensis Galliæ vrbs præcipua, Italiæque magis vicina fuit Arelas: In ea sedit Trophimus, atque ex ea in vniuersam Narbonensem fides Christiana disseminata est. Ante igitur Constantinum totius Narbonensis duplici nomine Metropolita fuit Arelatensis Episcopus. Et quòd Arelas, vt cum Tertulliano loquar, matrix esset & primordialis & originalis fidei in toto illo Galliæ tractu; Et quòd Narbonensis vna esset Galliæ Prouincia: Vni enim Prouinciæ vnum præfici Metropolitam omnis iubet antiquitas. Cùm igitur à Constantino & Successoribus Narbonensis Gallia in plures Narbonenses, pluresque Viennenses di-

Scaligeri de Gallia diuisione error.

uiſa eſt, eſſe de re Chriſtiana iudicarunt Pontifices, in nouas illas Prouincias Arelatenſi Epiſcopo vices ſuas committere, & in vniuerſos illos Metropolitas autoritatem & imperium deferre; à qua autoritate & imperio, noua Prouinciarum diuiſione, & canonica Metropoleωn erectione Arelatenſis exciderat. Neque in Narbonenſes tantùm aut Viennenſes ius hoc illi collatum, ſed longè latéque per vniuerſam Galliam à Pontificibus amplificatum eſt. Ratione igitur iſta originis fidei & autoritatis priſtinæ maturè penſiculata, Eccleſiæ Gallicanæ conſultum fore exiſtimarunt Pontifices, ſi eam quam Arelatenſis Epiſcopus, vt Metropolita poſſederat, in Eccleſias Narbonenſes ordinationis autoritatẽ eidẽ vt Primati non tantùm conſeruarent ſed amplificarent. Originem autem fidei, & Trophimi ſanctitatem erectionis huius Primatus cauſam præcipuam non fuiſſe, ſed eá tantùm ad id præſtandum commotos & perſuaſos fuiſſe Pontifices, teſtis ſit ipſe Zoſimus, ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum ſcribens, qui paucis verbis totum hoc negotium adeò euidenter explicat, vt iis aliquid addere nihil ſit opus. *Neque æſtimes*, Hilarium alloquitur, *tibi vlteriùs Pontificatum de ordinandis Sacerdotibus vendicandum, cùm hoc videas Arelatenſis Epiſcopo ciuitatis, & per Apoſtolicam Sedem, & per ſancti Trophimi reuerentiam, & per veterem conſuetudinem & noſtra recenti euidentiſſima definitione deferri.*

EXERCITATIO XXIII.

De Iuris Exarchici à Metropolitico distinctione, duplicísque inde obiectionis enodatione.

Bonifacij sententia obscura explicatur. Primates alienæ Prouinciæ Episcopos confirmant, non consecrant: neque Metropolitarum officia vsurpant. Pontifex Patriarcharum solus in vniuerso suo Patriarchatu ius obtinet Exarchicum ordinarium. Hilarius Arelatensis Vicariatu à Pontifice abdicatur. Successoribus restitutus est. Pœnitentiam egit Hilarius, atque in sanctorum numerum relatus est. Nouellâ Valentiniani, Pontificis autoritas asseritur. Aduersus Primatum Arelat. oppositiones. Quando diuisus; quando extinctus.

DVPLEX hîc ex Epistolis Pontificum suboritur difficultas: Prior ex Zosimi Epistola ad Simplicium Viennensem Archiepiscopum, quam refert Baronius ad annum 417. n. 52. ex Bibliotheca Floriacensi. In ea conqueri videtur Pontifex se à Patroclo circumuentum, Taurinatensis Concilij decretum ignorauisse: Interim verò dum controuersia iterum ventilata diligentiùs elucidetur,

ſententiam ſuam reuocare, atque decernere, vt Viennenſis Epiſcopus: *Sicut in Taurinenſi grauiſſimorum Epiſcoporum Synodo, pacis Concilio decretum eſt, viciniores ſibi intra Prouinciam ciuitates vendicet, donec plenius rei ordinem charitas Apoſtolica proſequatur:* Sententia autem huius litis peremptoria, Viennenſi Epiſcopo Primatus dignitatem tandem adiudicaſſe videtur. Hoc enim diſertè innuit S. Leo, epiſt. 89. ad Vien. Epiſcopos. *Quid ſibi Hilarius quærit in aliena Prouincia, & id quod nullus deceſſorum ipſius, aut Patroclus habuerit, cur vſurpat, cùm & ipſum quod Patroclo à Sede Apoſtolica temporaliter videbatur eſſe conceſſum, poſtmodum ſit ſententia meliore ſublatum?* Deinde Bonifacius I. in Pontificatu Zoſimi ſucceſſor, Epiſtolâ tertiâ, Patroclo Arelatenſi Epiſcopo, quòd Lutubenſi Eccleſiæ primæ Narbonenſis Epiſcopum inconſulto Metropolitâ ordinaſſet, grauiter ſuccenſet; autoritatem verò ordinationem illam irritandi, aliúmque ſufficiendi, Narbonenſi defert Archiepiſcopo. Iudicium videtur non leue iuriſdictionis Arelatenſi Epiſcopo denegatæ. Quantum ad nos attinet, minimè impedita eſt ad priorem Epiſtolam reſponſio. Noſtra enim non intereſt, Primas fuerit Viennenſis aut Arelatenſis. Vniuerſaliter enim contendimus, Primates aliquos in Eccleſia antiquitus conſtitutos, id eſt, Metropolitas aliis Metropolitis Præfectos: Viennenſis igitur aut Arelatenſis vterlibet fuerit, nobis perinde eſt. Non noſtrum inter eos tantas componere lites. Ea tamen omnia quæ in hanc rem teſtimonia digeſſimus, Arelatenſem primas ſemper tuliſſe euidenter

Prioris obiectionis enodatio.

comprobant: quanquam inficiari nolim, Arelatensem aliquantulo tempore Primatu abdicatum fuisse. Præter enim rationes quas hûc retulisse nobis necesse fuit, id euidenter testatur Hincmarus, epist. 6. c. 17. *Deinde*, inquit, *hic Primatus per præfatas Prouincias Viennensi ciuitati commissus est: indéque hanc sollicitudinem Episcopus Arelatensis recepit.* Sed in hæc diligentiùs inquirere nec vacat nec libet. Impeditior est ad Bonifacij Epistolam responsio: illius enim verba id quod hactenus adstruximus, nullo negotio destruere videntur. *Nulli videtur incognita Synodi constitutio Nicæna, quæ ita præcipit (vt eadem propriè verba ponamus) per vnamquamque Prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas.* Si nemini duæ Prouinciæ subiici possunt, cur Primatibus & Exarchis tanta contentione plures attributum imus? Lucem his tenebris aliquam effundet hæc distinctio.

Sententia Bonifacij I. Pontificis explicatio. Tria hæc longè inter se differunt, Episcopos vbilibet pro arbitrio ordinare: Episcopos cum consensu Comprouincialium ordinare, & Episcopos in ordinationem electos confirmare. Primum, canonum est præuaricatio: Nulli enim licet neque Primati in variis Prouinciis, neque Metropolitæ in sua, ordinationes pro animi impetu, conferre, sed iuxta leges ab Ecclesia constitutas. Secundum, est Metropolitarum qui ad hunc modum in ordinationibus sese gerere tenentur. Tertium, est Primatum & Pontificis Vicariorum, vt infrà ex Pontificum monumentis eruemus. Primum, est quod tentauerat Patroclus, & post eum

Hilarius, vt iam iam referemus. De Patroclo hoc testatur Bonifacius eadem Epistola, *dicentes, Coëpiscopum nostrum Patroclum, sua petitione cessante, in locum decedentis Episcopi, nescio quem, in alia Prouincia, prætermisso Metropolitano, contra Patrum regulas ordinasse.* Iniquum igitur fuit Patrocli facinus, & meritò reprimendum, cùm Vicariæ potestatis limites transilierit, & priuilegium Metropolitis à canonibus attributum violauerit. Cùm igitur additur, *Nec cuiquam duas Prouincias posse esse subiectas*, id ita intelligendum est, Neminem duabus Prouinciis ita præesse, vt in alia quàm sua quæ sunt propria Metropolitę munia exerceat. Cùm enim Pontifices, Primates aliquos instituunt, Metropolitarum iura inuiolata & illibata conseruari præcipiunt: quod nunc, ne quæstionis propositæ enodationem diutiùs differamus, duobus testimoniis confirmasse sufficiet. Hanc exceptionem disertè notat Hormisda Pontifex, Remigio vices suas committens, epist. 1. *Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Ludouici, &c. saluis priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti autoritate committimus.* Et S. Gregorius eundem honorem, Arelatensi Episcopo deferens: *Fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filij nostri Childeberti, iuxta antiquum morem Deo autore committimus: singulis siquidem Metropolitis secundùm priscam consuetudinem proprio honore seruato.*

Primates creantur inuiolato Metropolitarũ iure.

Quanquam verò ea doctrina nullâ autoritate niteretur, ex ipsa tamen rei natura euidenter demonstraretur. Si enim Primas in Prouincia Metropolitæ sibi

Primates Metropolitarum officia non vsurpant, nec Metropolita Episcoporum.

subditi, Metropolitæ proprio officio fungeretur, quid opus esset Metropolitâ? Similiter, si Metropolita in Parœcia Episcopi sui, Episcopali officio fungeretur, quid opus esset Episcopo? Quemadmodum igitur Parœcia certo modo subdita est Episcopo, quo non est Metropolitæ subdita, si casus visitationis & appellationis alióſque à iure notatos excipias, alioquin nullus esset Episcopus, omnes Episcopi Metropolitarum essent Vicarij: sed vt ait S. Cyprianus, vnus est Episcopatus, cuius in solidum omnes sunt participes: ita Prouincia certo modo Metropolitæ subdita est, quo non est Primati, nisi in casibus similiter à iure expressis: hoc est, quæcunque Metropolita in Prouincia sua iure agere potest, Primati non licet, alioquin Metropolitæ ampliùs nulli essent, omnes essent Primatum Vicarij. Idem dicendum est de Patriarchis respectu Primatum. Aliud est ius Patriarchicum, aliud Exarchicum, aliud Metropoliticum, aliud Episcopale: Alter alterius iura inuadere sine crimine non potest. Patriarcha in Parœcia propria iure Episcopali vtitur, vicanas Parœcias visitat, iis Rectores assignat, Confirmationis Sacramentum quando vult, elargitur, statis diebus, si libuerit, chrisma conficit, & ordines confert, aliáque permulta quæ hîc enarrare frustra esset. Hæc singula Patriarcha, Primas & Metropolita in propriis Parœciis præstare possunt; in alienis minimè. Patriarcha rursus in propria Prouincia iure Metropolitico vtitur, non Episcopali: In Diœcesi, iure Exarchico non Metropolitico aut Episcopali: In Patriarchatu suo, iure Patriarchico

chico non Exarchico, Metropolitico aut Episcopali. Solus Romanus Pontifex, præter amplissimam, & αὐτοκρατορικὴν autoritatem, quam iure Pontificatus in vniuersam Ecclesiá obtinet, dignitate Patriarchatus sui in vniuersum Occidentem, ius obtinet Exarchicum ordinarium. Ideo omnes qui in Occidente fuerunt antiquitus Primates, propriè καὶ καθ' ἑαυτοὺς Primates & Exarchi non fuerunt, sed Pontificis in ea autoritate Vicarij; cuius beneficij Occidentis Primates non immemores dignitatem suam Vicariatus nomine insignem semper prædicauerunt. Huius autem diuersitatis ratio ea videtur esse, quòd cùm Primatum dignitas recens esset à Conciliis excogitata, Apostolicisque ordinibus superinducta, eam Pontifices antiquis moribus mordicus adhærentes, non per modum statæ & permanentis dignitatis, sed Vicariatus & fideicommissi, contulerunt, ne antiquis Patrum constitutionibus præiudicium aliquod crearent.

Patriarc. solus Põtifex ius obtinet Exarchicũ ordinarium.

Nunc igitur, vt vnde orsa est, redeat oratio, duplicis criminis reus agitur Patroclus Arelatensis Primas; in iura scilicet Metropolitica Narbonensis Episcopi, & in Episcopalia Ecclesię Lutubensis inuolasse. In iura Metropolitica inuolauerat, cùm Metropolitâ prætermisso Episcopum ordinauit: In iura verò Episcopalia, cùm sine Cleri electione & suffragiis defuncto Episcopo alium suffecit. Prius facinus à Synodo Nicæna disertè vindicatur, quanquam non iisdem verbis quæ refert Bonifacius, etsi ipsissima sese relaturum spondeat: vnde euincitur, præter canones Nicænos vulgares, alios præ manibus Patres habuisse.

Duplicis criminis reus erat Patroclus.

Canonis sexti περιοχὴ hæc est. *Illud autem generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere.* Facinus autem secundum pluribus canonibus prohibetur. Hoc fusè sanctus Leo præcipit, epist.89. ad Episcopos Viennenses. *Per pacem & quietem Sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur: Teneatur subscriptio Clericorum, Honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Ordinationem igitur illam irritando, Pontifex iura Cleri & Metropolitæ conseruauit, Primatus verò illibata dimisit. Quemadmodum autem Patroclus in iura Episcopatus & Archiepiscopatus ἀχθωονίσως inuolauit; ita ex eo quòd eius temeritas à Pontifice castigata est, ei omnem in Metropolitas autoritatem abrogare, esset in iura Primatus imprudenter inuolare.

Secundæ difficultatis enodatio. Secunda difficultas prioris partus est, ideo ab ea pendet eius enodatio. Quod Patroclus temerè tentauerat, eius successores effrænatiùs persecuti sunt. Ea de re Viennenses Episcopos admonuit Cælestinus Bonifacij successor, Epistolæ ad eos scriptæ capite quarto & quinto. In iis vtrumque præuaricationis caput castigat. *Nec vsurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur iniuriam: Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus: alter in alterius Prouincia nihil præsumat.* & capite quinto. *Nullus inuitis detur Episcopus: Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur.* Sed eò temeritatis & insolentiæ erupit Hilarius, vt omnia iura Episcopalia & Metropolitica susque

deque ferret, canones Ecclesiasticos nihili pendens, omnia pro animi libidine ageret, Vicariatúmque à Pontifice concessum in tyrannidem conuerteret. Quibus grauiter commotus sanctus Leo, tertius à Cœlestino Pontifex, ad Viennenses Episcopos, apud quos hærebat mali labes, Epistolam rescribit, qua Hilarij proiectam audaciam coërcet, acta omnia rescindit, néve id in posterum audeat, Vicariatus dignitate spoliat. Accusationis in ea Epistola quatuor potissimùm capita recensentur. Quòd Celidonium, efficto crimine, veluti viduæ Maritum Episcopatu deiecisset, aliúmque intrusisset: Quòd Proiecto adhuc viuenti Episcopum, vt loquitur S. Leo, superordinasset: Quòd ea omnia pro animi libidine ausus fuisset, omisso Metropolitano, inconsulto Clero, inuitâ plebe; Quòd armatâ manu sibi morem gerere Clerum Ecclesiásque cogeret, omnium verò maximum nefas, quòd Diotrephi similis ipsum Pontificem *recipere* detrectaret. Verba S. Leonis P. nonnulla referam, quæ non solùm ea quæ diximus, testantur, sed etiam distinctionem quam suprà attulimus, quæque huc referenda est, euidenter comprobant. Distinguenda scilicet Exarchica iura à Metropoliticis, Hilarium Exarchicis non contentum, Metropolitica & Episcopalia inuasisse: coërceri autem à Pontifice, quòd Metropolitica & Episcopalia iura in omnem Galliam sibi vindicaret, & quòd Exarchicis priuilegiis insolenter & effrænatè abuteretur. *Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit, ita suæ vos cupiens sub-*

dere potestati, vt se beato Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum ius transferens dignitatem. Vmbram igitur, vt ait Tertullianus, sine lumine colorat, qui ex interdictis Pontificiis, quæ in ea Epistola pronuntiantur, Hilario Arelatensi in Galliæ Metropolitas autoritatem nullam fuisse colligit: Imò ex vmbra lumen effundit, qui ex eiusmodi interdictis Arelatensis Episcopi in vniuersos Galliæ Metropolitas autoritatem diffundit. Cùm enim illi iure Episcopali & Metropolitico in alienas Prouincias interdicitur, ius Primatus quod aliis supereminet, non abrogatur, sed potiùs irrogatur; alioquin liceret ipsi Pontifici eodem interdicto ius αὐτοχειροτονικὴν denegare, cùm ipse iura Metropolitarum inuiolata permanere velit. *Quam solicitudo nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitus datam, nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat.* Et cap. 7. *Non enim nobis ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus, quod potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis per vestram solicitudinem vindicamus.*

Pontifex iura Metropolitarū nō violat.

Quas demum temeritatis suæ pœnas luit Hilarius? Præter omnium quæ iniquè egerat, rescissionem, rerúmque in pristinum statum restitutionem, Vicaria autoritate à Leone videtur abdicatus. Sententiæ Pontificis hæc sunt verba, epist. c. 6. *Suis vnaquaque Prouincia sit contenta Conciliis, nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini iu-*

Hilarius. Primatu à S. Leone abdicatur.

dicia, se interferendo, turbare: qui non tantùm nouerit, se ab alieno iure depulsum, sed etiam Viennensis Prouinciæ, quam malè vsurpauerat, potestate priuatum. Dignum est enim, fratres, antiquitatis statuta reparari, cùm is qui sibi ordinationem Prouinciæ indebitè vindicabat, talis in præsenti etiam probatus fuerit, vt cùm ipse frequentiùs temerariis & insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret, suæ tantùm ciuitatis illi Sacerdotium, pro Sedis Apostolicæ pietate, præceptio nostra seruauerit. Dignitas autem illa ab Arelatensi sede ablata in Viennensem collata est, vt alia Epistola S. Leo decernit, quam ex Bibliotheca Floriacensi edidit Baronius, annalium anno 445. n. 14. Ad vsque Valentinianum Imperatorem delatæ sunt querelæ; ea præcipuè quæ Hilarium de rebellione aduersus Pontificem accusabat: quam Imperator indignissimè ferens, memorabilem illam Nouellam, pro autoritate Romani Episcopi & Hilarij repressione, edidit, quæ extat, De Episcop. ordin. Cod. Theod. cuius pauca verba huc referemus. *Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis quàm aliarum Prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ autoritate tentare: sed illis omnibus pro lege sit, quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ Sedis autoritas: Ita vt quisquis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per Moderatorem eiusdem Prouinciæ adesse cogatur.* *Theodosij Nouella in gratiam Pontificis.*

Autoritatem paulo post tempore Arelatenses Episcopos recuperasse testis est Symmachus, à nobis antè citatus, atque indulgentia Pontificum ante

ipſius Hilarij obitum hoc factum fuiſſe credibile eſt: criminis enim ſui ſeriam egit Pœnitentiam Hilarius, adeo vt defunctus ab Eccleſia Romana in ſanctorum numerú relatus fuerit. Eius natalis in Romano Martyrologio colitur, die Maij quinto: Eum maximis efferunt laudibus, Gennadius, de Scriptoribus Eccleſiaſticis; S. Eucherius ad ipſum ſcribens de laudibus Eremi, & Conſtantius in vita S. Germani. Autoritas tandem illa Arelatenſis Epiſcopi in vniuerſam Galliam euanuit; quando & quibus gradibus, è denſiſſimis tenebris paucis eſt nobis eruendum. A morte Zoſimi, ad initium Pontificatus Symmachi, interceſſerunt anni octoginta, quorum ſpatio ter grauiter concuſſus eſt Primatus Arelatenſis. Viennenſis enim Epiſcopus eo quòd primæ Metropolis eſſet Metropolita, in omnes Viennenſes imperium ſemper ambiuit, eâq; de cauſa negotium Arelatenſi perpetuò faceſſere auſus eſt. Sententiam igitur à Zoſimo in gratiam Arelatenſis latam, vt retractaretur, obtinuit: qua retractatione ita videtur pronuntiatum, vt neutri diſertè Primatus fuerit attributus. Deinde ſedente Leone, ſalutis anno 445. quum autoritate ſua abuteretur Hilarius, non ſolùm in ordinem eſt coactus, ſed etiam Exarchicâ dignitate ſpoliatus. Hæc ex præcedentibus conſtant. Recruduit denique contentio anno Chriſti 497. inter Eccleſiam Viennenſem & Arelatenſem, ſedente Anaſtaſio II. Pontifice: Cauſâ tum planè cecidit Arelatenſis. Sed Symmacho in Anaſtaſij locũ ſuffecto cauſâ longè ſuperior euaſit Arelatẽſis, vt ex variis Symmachi Epiſtolis colligitur.

Ter grauiter concuſſus Primatus Arelatenſis.

Obiter tamen notandum, Symmachũ, cùm refert Epiſtolâ primâ contentionis illius coram Anaſtaſio deceſſore ſuo exagitationem, aſſerere contra veterem conſuetudinem Primatum ab Anaſtaſio, Viennenſi Epiſcopo adiudicatum fuiſſe: Vnde euidenter conſtat, Hilarium Arelatenſem poſt Primatus abdicationem, aut ſaltem Hilarij ſucceſſorem, Primatum ſtatim recuperaſſe. A Symmachi tempore Primatu pacificè, quantum per Francorum, Romanorum, Burgundionum, & Gothorum bella licitum fuit, vſi ſunt Arelatenſes Epiſcopi. Paulò poſt tamen ab Hormiſda Pontifice bipertitus fuit ille Primatus: Et pars altera, quæ ſcilicet Clodouei Regis imperio continebatur, Rhemenſi Epiſcopo attributa; de quo nobis infra ſpeciatim ſermo habendus eſt: Altera ei conſeruata eſt, & à Gregorio I. longo pòſt tempore confirmata. Childeberti enim regnum in quod Primatus honorem Virgilio Arelatenſi Epiſcopo contulit S. Gregorius, iiſdem ferè finibus coërcebatur quibus Gallia, quæ ante Alaricum deuictum à Clodouei imperio immunis erat; niſi quòd paulò longiùs Childeberti regnum per Germaniam protendebatur. Nam cùm Primatus Arelatenſis à S. Gregorio Virgilio confirmatus fuit, iam regnum Burgundionum, Aquitaniáque vniuerſa, Childeberti imperio, defuncto Guntranno Patruo ſuo, acceſſerat. Sed quo tandem tempore, inquies, hæc diſperiit autoritas?

Arelatẽſis Primatûs Diœceſis bipertita.

Gregorio ſeptimo Eccleſiam regente, planè extinctus erat Primatus Arelatenſis, vt ipſe teſtatur, l. 6. epiſt 2. *Arelatenſis Eccleſia non ſolum à B. Gregorio*

doctore dulcifluo, sed etiam à pluribus eius Antecessoribus, cùm haberet vicem Sedis Apostolicæ, vt omnes Episcopos totius regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium conuocaret, eosque in iudicio constringeret (sine cuius licentia nullis ex supradictis Episcopis longè à suo Episcopatu fas erat abire) post aliqua tempora pro quibusdam causis prædicta potestas & autoritas cessauit, & suam vicem aliis quibus placuit, Sedes Apostolica concessit. Ducentis præterea ante Gregorium VII. annis, Nicolao scilicet primo sedente, non vtebatur illa autoritate Arelatensis Episcopus, vt colligere est ex Epistola ad Rotlandum Arelatensem Episcopum, quæ est decima in epistolarum istius Pontificis appendice. Quando igitur Primatum illum desiisse nobis erit compertum? Desiit procul dubio & euanuit Primatus ille, inclinante & per continua & plusquam ciuilia bella fatiscente Merouingiorum Regum imperio. Ciuilis autem illa perturbatio, & regni Francici confusio, Galliam peruadere cœpit circa annum salutis 670. postquam Ebroinus Maior domûs seu Aulæ comes, nomine regio tanquam laruâ & simulachro primus abutens, autoritatem omnem sibi vendicauit. Carolo denique Martello regnum Francicum administrante, cùm magis ac magis ciuiles perturbationes inualescerent, Gregorius Secundus vices suas per Galliam & Germaniam Bonifacio commisit: quibus cùm ritè & vtiliter fungeretur, eundem honorem à Gregorij Secundi successoribus cõsecutus est. Cùm igitur propter cruentissima bella quibus Gallia omnis miserrimè infestabatur, vix vlla extaret Arelatensis

Quando Primatus Arelatẽsis euanuit.

in Gal-

in Galliam autoritas, eam in vnum Bonifacium contulit Apostolica Sedes, à qua in Moguntinenses Episcopos deriuata est. Hæc contigerunt anno partæ salutis 719. & sequentibus. Sed de his plura cùm de Moguntinensi Primatu verba faciemus.

EXERCITATIO XXIV.

De antiquo iure Primatum.

Jus Primatum ad quinque capita reuocatur. Vnumquodque caput sigillatim demonstratur. Antiquitas Epistolarum Zosimi P. asserta. Scaligeri audax αἰϊστορησία.

PRÆROGATIVARVM quibus gaudent Primates, caput vnum, quantum scilicet difficultati enodandæ satis erat, præcedenti exercitatione leuiter attigimus: Sed cùm quæstionis huius illustratio, & scitu sit dignissima, & instituto nostro apprimè vtilis, atque etiam (audaculus dicam) non sit omnibus & vbique obuia, occasione datâ eam vlteriùs non differre operæpretium esse duximus. Primatum & Exarchorum prærogatiuæ omnes & priuilegia ad quinque summa capita reuocari possunt, quæ tamen non sunt eiusmodi, ne lector fallaris imprudens, vt omnia omnibus Primatibus & semper concessa fuisse con-

tendam: Satis nobis fuit, tibique, ni fallor, erit, si ea omnia Primates aliquando, aut pleraque semper legitimè vsurpauerint. Priuilegiorum istorum primum in Occidente est bipertitum; non enim Episcopos tantùm respicit, sed etiam Metropolitas. Ius est; &
Primum Primatum priuilegiū. priuilegium Primatum, Episcopos & Metropolitas canonicè electos, antequam consecrentur, approbare & confirmare. Priuilegium hoc frustra verbis nostris explicabitur, cùm adeo dilucidè à S. Leone enarretur, epistol. 84. ad Anastasium Thessalonic. capite sexto, quod ideo integrum hîc attexere non pigebit: *De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri plebísque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quódque in Prouincia bene placuit, scire te faciat, vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet autoritas: Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura Pastorum. Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius, alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium Clericorum, atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis optimus eligatur, de cuius nomine, ad tuam notitiam Prouinciales referant Sacerdotes, impleturi vota præsentium, cùm quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus, te ignorante, præsumi.* Idem priuilegium, ante Leonem, Arelatensi Episcopo in vniuersam Galliam detulit Zosimus Pontifex, ad eum scribens Epistolâ sextâ: *Quisquis posthac contra Aposto-*

licæ Sedis ſtatuta, & præcepta Majorum, omiſſo Metropolitano Epiſcopo, in Prouinciis ſupradictis quemquam ordinare præſumpſerit, vel is qui ordinari ſe illicitè ſciuerit, vterque Sacerdotio ſe carere cognoſcat.

Secundum eſt, de rebus in Prouinciali Synodo iudicatis recognitio & iudicium: A Conciliis enim Prouincialibus ad Primates legitimæ erant appellationes. Ita S. Leo ad eundem Epiſcopum Theſſalonicenſem, poſtquam de Conciliorum celebratione verba fecit: *At ſi fortè inter ipſos qui præſunt, de Majoribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcatur, quæ Prouinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit inſtruere; &, ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quidquid illud eſt, transferatur.* Sequens priuilegium huius eſt firmiſſimum argumentum. *Secundum priuilegiũ.*

Tertium eſt Conciliorum Diœceſanorum, hoc eſt, è multis Prouinciis & Metropolitis coactorum, celebratio. Primatibus enim licebat, cùm ita Eccleſiis ſibi commiſſis vtile iudicabant, ex omnibus ſibi ſubiectis Prouinciis Synodos conuocare. Ita S. Leo. *In euocandis ad te Epiſcopis moderatiſſimum eſſe te volumus, ne per majoris diligentiæ ſpeciem fraternis videaris gloriari iniuriis. Vnde ſi cauſa aliqua maior extiterit, ob quam rationabile ac neceſſarium ſit, fraternum aduocare conuentum, binos de ſingulis Prouinciis Epiſcopos, quos Metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat.* Hormiſdas epiſt. 1. S. Remigio Rhemorum Epiſcopo vices ſuas committens, eum pari armat autoritate. *Quotiens vniuerſale poſcit religionis cauſa* *Tertium priuilegiũ.*

Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant. Et si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacrâ lege determinando certamina. S. Gregor. I. l. 4. epist. 52. *Quoniam necesse est, vt ad eum cui nostras vices iniunximus, quotiens oportere perspexerit, pro facienda collatione, aptis debeant Episcopi temporibus conuenire: hortamur vt nullus inobediens esse præsumat, nec communi Congregationi interesse postponat.* Eiusdem autoritatis testis est Gregorius VII. epist. 2. l. 6. Hæc priuilegia, secundum & tertium, & primum quod ad Episcopos attinet, supra pluribus demonstrata sunt, quæ hîc repetere esset superuacaneum.

Quartum priuilegiū. Quartum est, eos veluti in speculis custodes, καὶ ἐπισκόπους in tota Diœcesi nomine Patriarchæ constitutos esse, qui explorent, An disciplina Ecclesiastica ab Episcopis & Metropolitis diligenter obseruetur; vt si labascat, labascenti occurrant & succurrant: si vulnus inflictum, hianti vulneri cicatricem autoritate suâ non obducant modò sed deleant. Si temporum iniuriâ & hæreticorum astutiâ corrupta est & pessundata, autoritate sua eam in integrum restituant, pristinúmque nitorem & splendorem inducant. Ideo ius habent Primates non tantùm diuersarum Prouinciarum concilia conuocandi, sed nonnunquam negotiis magni momenti vrgentibus certos quosdam è diuersis Prouinciis Episcopos ad se euocandi, secum de negotiis illis deliberaturos & iudicaturos. Hoc priuilegium ex antiqua consuetudine Arelatensi Episcopo confirmat S. Gregorius l. 4. epist. 52. *Opportu-*

num esse perspeximus in Ecclesiis, quæ sub regno præcellentissimi filij nostri Childeberti Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo, vices nostras tribuere: quatenus & Catholicæ fidei integritas, id est, sanctorum quatuor Synodorum, Deo protegente, sollicita deuotione seruetur. Et si inter fratres, consacerdotésque nostros aliqua euenerit forte contentio, autoritatis suæ vigore, viribus nempe Sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Ante S. Gregorium annis ferè centum, eandem prærogatiuam Cæsario Arelatensi aduersus Viennensem Episcopum, in hoc Primatu Corriualẽ, asseruit Symmachus. Postquam enim varia decreta Ecclesiæ Gallicanæ, aut noua constituit, aut antiquata innouauit, Arelatensem Episcopum alloquens, subdit, *Hortamur itaque, vt pro Catholicæ religionis intuitu, & Ecclesiarum pace, hæc vniuersi fideles deuotâ mente custodiant: Quia non est dubium Præuaricatores interdictorum talium, iuxta venerandos canones propriæ communionis subire iacturam.* Sequenti epistolâ ad eundem euidentiùs: Similia enim multa cùm decreuit, Epistolam sic concludit. *Hæc omnia vltione districtionis vestræ fieri prohibete; quatenus & in Ecclesia vestra & in supradicta Prouincia, disciplina bonis actibus amica seruetur.* Quid per *supradictam Prouinciam* sit intelligendum, suprà explicauimus. Eadem Vigilius epist. ad Aurelianum Episc. Arelatensem Synodi 5. collat. 7. Pelagius Epistolâ sextâ, Hormisda ad Remigium epist. primâ. Autoritatem autem certos quosdam Episcopos ad se euocandi, de rebus majoris momenti secum iudica-

turos, quæ inde consequi videtur, Primatibus præterea eodem loco attribuit, & vendicat S. Gregorius. *Cui etiam*, inquit, *injunximus, vt si quarundam causarum tale fuerit exortum certamen, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus & Coëpiscopis nostris, salubriter hoc seruata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat.* Competentem illum Episcoporum numerum duodenarium definit S. Gregorius eiusdem libri epist. 50.

Quintum priuilegiũ. Quintum & postremum quod annotabimus, est, literas formatas vniuersis Clericis, Metropolitis etiam & Episcopis Romam vel extra Diœcesim seu Primatis vniuersalem districtum proficiscentibus, quarum virtute apud exteras nationes communione Ecclesiasticâ donabantur, concedendi ius & autoritas. Πρνόμιον hoc, sanè honorificum Arelatensi Episcopo indulget Zosimus, epist. 5. 9 & 11. *Placuit Apostolicæ Sedi, vt si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium suum, vel locum Ecclesiasticum quem habet, scriptorum eius adstipulatione perdoceat.* Zosimi vestigia non modò sequens sed spectans idem priuilegium eidem Episcopo confirmat Pelagius epist. 6. *Vsum quoque pallij tibi alacriter affectuoséque concedimus; pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decorêris, sciturus omnibus Ecclesiastici gradus hominibus nullam haberi licentiam sine formata tuæ charitatis, ex quacumque Galliarum parte*

longiores petere regiones; ne prohibita præſumentes, ipſi ſe proprio priuare videantur officio. Et S. Gregorius deceſſorum ſuorum exemplo commotus, aliis priuilegiis quæ retulimus, hoc annectit. *Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, vt nullus veſtrum ad longinquiora loca ſine præfati fratris & Coëpiſcopi noſtri Virgilij autoritate tentet aliquo modo proficiſci, ſcientes quia & Prædeceſſorum noſtrorum, qui vices ſuas eius Prædeceſſoribus commiſerunt, ſic procul dubio mandata definiunt.* Non ſolùm igitur Zoſimus autoritatem hanc Primatibus detulit, ſed tot & tanti, qui eum ſecuti ſunt, Pontifices. In meridie itaque cæcutit Ioſephus Scaliger, quum in Epiſtolis poſthumis alto ſupercilio & velut è tripode has Zoſimi Epiſtolas pronuntiat commentitias & ridiculas, multáque alia de Arelatenſi Epiſcopatu prorſus ἀϊστορήτως effutit. Vt enim omittam Nicolaum I. Pontificem, & Hincmarum, illas & quæ in eis decernuntur, diſertiſſimè citantem, commentitiúmne dici poteſt id cui SS. Pontifices Gregorius, Pelagius, Vigilius, Symmachus, Bonifacius, Synodus ipſa vniuerſalis quinta luculentum teſtimonium perhibent? ridiculum, quod approbant & autoritate ſua confirmant? Sed hoc vitio Polyhiſtores plerumque laborant, vt quos nodos ratione duce diſſoluere non poſſunt, Alexandrum imitati negationis enſe diſſecare ſoleant.

Scaligeri audax ἀϊστορησία.

EXERCITATIO XXV.

De Remensis Episcopi per Galliam Vicariatu seu Primatu.

S. Remigio vices suas Hormisda P. commisit. Primatus Remensis quanta fuerit amplitudo. An ad Posteros transmissus fuerit. Treuirensis Metropolita Primas reipsa nunquam fuit. Remensi olim subditus erat.

QVVM Arelatensis Metropolitæ Primatus in Gallias maximè conspicuus esset, ei Collega adscitus est ab Hormisda Pontifice S. Remigius Remorum Archiepiscopus. Creationis istius instrumentum publicum prostat in Hormisdæ ad Remigium Epistola, quæ inter Epistolas huius Pontificis prima occurrit. Instrumenti tenor est eiusmodi: *Vices nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Ludouici, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti autoritate committimus: augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias.* Huius Epistolæ atque autoritatis commissæ meminit

S. Remigio vices suas commisit Hormisda Pontifex.

meminit Flodoardus, histor. Ecclesiæ Remensis, l. 1. c. 15. Praxis verò & executionis Sanctus ipse Remigius in testamento suo quod refert idem Flodoardus eodem loco c. 18. Ita enim animam agens Successores suos officij & muneris admonet. *Si aliquando genus illud regium per benedictionem meam totiens Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei peruasor, destructor, depopulator, grauis aut contrarius existere voluerit, conuocatis Remorum Diœceseos Episcopis, primùm moneatur: Et deinde Ecclesia Remensis præfata, adiunctâ sibi sorore, Ecclesiâ scilicet Treuirensi, iterùm conueniat: Tertiò verò, Archiepiscopis tantummodò Galliarum tribus aut quatuor conuocatis, Princeps ille quicunque fuerit, moneatur.*

Remensis Primatus quãta amplitudo.

Quàm latè per Gallias sese diffuderit S. Remigij Vicariatus, definit Pontifex, *Per omne regnum Ludouici.* Ludouicus ille est quem historiæ Francicæ autores Clodoueum vocant, qui Regum Francorum primus nomen Christo dedit. Imperij igitur Clodouei limites, terminósque ex historiis effodiamus, vt hinc patens nobis fiat & conspicua Remensis Primatus amplitudo. Id præstare ex Gregorio Turonensi, Aimonio Monacho, aliísque autoribus non erit difficile. Præter Regulos quosdam Clodouei Consanguineos, qui apud Neruios, Mænapios, finitimósque Belgicæ populos imperitabant, quos tandem internecione deleuit Clodoueus, Tres erant Reges, eo tempore, Romanis ipsis formidabiles, Alaricus VVisigothorum Rex, cuius imperium præter Hispaniam vniuersam longè latéque per Galliam grass-

ſabatur : Tres enim Aquitaniæ, Narbonenſíſque primæ maxima pars Alarico parebat, ita vt illius imperium ab Hiſpania ad Ligerim vſque pertineret. Secundus, erat Gundebaldus Burgundionum Rex:cuius imperio Lugdunenſis prima, Narbonenſis ſecunda, Viennenſéſque fere omnes ſubiiciebantur: Cæteras fere vniuerſas, ſi Lugdunenſis tertiæ maximam partem excipias, regebat Clodoueus, quibus addendæ ſunt vtriuſque Germanicæ plurimæ Prouinciæ. Ingenti quidem prælio in Pictonum campis Alaricum fudit Clodoueus, atque de eo ſpolia opima reportauit, Aquitaniáſque profligatis & expulſis Gothis, in ditionem recepit. Sed hæc quinto ante obitum Clodouei anno contigerunt. Primati igitur Remenſi clientelares erant Prouinciæ præter Belgicam ſecundam cuius erat ſpecialis Metropolita, Belgica prima, Germanica ſaltem ſecunda, Lugdunenſis ſecunda, quarta & quinta, hoc eſt, Metropolitæ, Treuirenſis, Agrippinenſis ſeu Colonienſis, Rothomagenſis, Senonenſis, & Veſuntinus.

Regni Clodouei amplitudo.

Huic interpretationi aſſentitur Hincmarus Hormiſdæ teſtimonio & autoritate Primatum S. Remigio aſſerens: Sic enim rem hanc explicat Epiſtolæ ſextæ c. 18. *In regno Clodouei nuper cum integra gente ad fidem conuerſi per ſanctam prædicationem B. Remigij, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, B. Hormiſdas, vices ſuas eidem S. Remigio Remorum Durocortorum antiquæ Metropolis Epiſcopo,* &c. *per Belgicas & quaſdam Prouincias Gallicanas commiſit, vt Dei Eccleſias quas Franci adhuc Pagani deuaſtauerunt,*

& incenderunt vniuersa prædantes, & quacunque perperàm gesta fuerant ad debitum statum reduceret, manente priuilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitùs delegatis Prouinciis. Tantùm autem abest, vt priuilegia Arelatensis Ecclesiæ hac concessione abrogata fuerint, vt nihil iis, sicut disertè affirmat Hincmarus, fuerit derogatum. Nihil iuris in Prouincias Rhemensi Episcopo attributas tum sibi vendicabat Arelatensis Primas, cùm propter nimiam ab Arelate distantiam, tum maximè propter quotidiana bella, indefessásque Barbarorum excursiones & deprædationes, quæ illius autoritatem in has regiones diu intermortuam tandem extinxerant. Integram igitur illibatámque sibi retinuit Diœcesim suam Arelatensis, vt contendit Hincmarus, & ex titulo Epistolæ tricesimæ Hormisdæ Pontificis ad Cæsarium Arelatensem colligitur. Cæsarius enim à Pontifice Sedis Apostolicæ in Galliis Vicarius salutatur. Quàm autem ampla fuerit S.Remigij potestas, eâdem Epistolâ Remigium ipsum paucis docet Pontifex: *Quotiens vniuersale poscit religionis causa Concilium te cuncti fratres euocante conueniant: Et si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacrâ lege determinando certamina.* Potiores hæ fuerunt Primatum prærogatiuæ, quæ cum Remensi concessæ fuerint, cæteras illi denegatas fuisse quis affirmabit?

An diu Primatus ille penes Episcopos Remenses permanserit, An verò priuilegium fuerit personale in gratiam S. Remigij concessum, diiudicare non est facile. Ad Posteros priuilegium illud non manasse, *An Remensis Primatus ad posteros trãsierit.*

nonnullæ ſunt coniecturæ. Hoc enim non affirmat Hincmarus Remenſis ipſe Archiepiſcopus, cùm dignitatem illam Remigio collatam teſtatur: quod certè ſi præſtitum fuiſſet, non videtur omiſſurus fuiſſe vir dignitatis Eccleſiæ ſuæ propugnator tenaciſſimus. Deinde à Primate liberatam fuiſſe Eccleſiam ſuam teſtis eſt Hincmarus, vt ſuprà in Exercitatione de Primatus homonymia ex ipſo Hincmaro, nonnulliſque aliis teſtimoniis demonſtrauimus: Antea igitur Primati ſubdebatur Remenſis Metropolita. Sed quid rationibus ad id euincendum opus eſt, cùm hoc adeo euidenter teſtetur Gregorius VII. lib. 6. epiſt. 2. ad Manaſſen Remenſem Epiſcopum. *Remenſis*, inquit Gregorius, *cui præſides Eccleſia quodam tempore Primati ſubiacuit; & ei vt Magiſtro, poſt Romanum Pontificem obediuit.* Quæſtionis cardo in eo vertitur, An Primati, defuncto S. Remigio, ſubditus fuerit Remenſis Epiſcopus. Ante enim S. Remigium eandem cum cæteris Galliæ Metropolitis ſortem ſubiiſſe, quis ibit inficias? Si ſtatim à S. Remigij morte ſub Primatis iugum miſſus eſt, Primatus ab Hormiſda in S. Remigium collatus non manauit in Poſteros. Rem autem ita ſe habuiſſe probabile eſt; omnes enim manumiſſionis Remenſium Metropolitarum è poteſtate Primatum chartæ & tabulæ, Remigio longè ſunt poſteriores. Statim igitur à Remigij morte in Primatis poteſtatem relapſi videntur Remenſes Epiſcopi, à qua tamen paulò poſt vindicati ſunt, & Prouinciæ ſuæ Pontificum decreto capita creati, ſoli Pontifici ſubiecti, atque, vt Græci loquuntur,

Remenſes Epiſcopi Prouinciæ ſuæ capita fuerũt & αὐτοκέφαλοι.

αὐτοκέφαλοι, secundíque generis Primates renuntiati, Libertatem illam antiquissimam esse, præter ea quæ iam diximus, testatur Adrianus I. Pontifex ad Tilpinum Remensem Archiepiscopum scribens apud Flodoardum, l. 2. c. 17. *Confirmamus atque solidamus Remensem Ecclesiam, sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansuram, & primam suæ Diœceseos Sedem esse; & te qui in eadem Sede, cooperante Deo, ordinatus es, Primatem ipsius Diœcesis esse, cùm omnibus ciuitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi Metropoli Ecclesiæ subiectæ fuerunt.* Et paulò post: *Sed in sola subiectione Romani Pontificis permanens, Diœcesim & Parochiam Remensem*, &c. *ita certes & studeas gubernare, vt illam desiderabilem vocem Domini nostri Iesu Christi valeas cum electis eius audire: Euge serue bone*, &c. Vicariatus igitur priuilegium personale fuisse videtur, & S. Remigio non Sedi Remensi collatum: quo mortuo Remenses Episcopi ad pristinam conditionem redacti sunt, à qua tamen Pontificum indulgentiâ, ita tandem liberati sunt, vt Primatu in varias Prouincias obliterato, Prouinciæ suæ αὐθεντίαν & supremam sub Pontifice autoritatem conseruarent.

Longè tamen probabilius est, Primatum illum, & Pontificiæ autoritatis Vicariatum Sedi Remensi delatum & in S. Remigij successores Sedis Apostolicæ beneficio transmissum fuisse: Cui sententiæ vt accedam, tribus coniecturis adducor. Prima est, S. Gregorij in confirmando Arelatensi Primatu consilium. Cùm enim eius decessores Arelatensi Primati in vniuersas Gallias imperium deferre solerent, in Childe- *Primatus S. Remigio collatus ad Successores manauit.*

berti regnum nominatim detulit Gregorius: reliqua autem Galliæ pars quæ à Childeberti potestate libera erat, & Clotario Fredegundis filio parebat, eadem omnino fuit cum ea cui imperabat Clodoueus, cùm in illius regnum S. Remigio à Pontifice Primatûs autoritas delata est. Quamobrem verò Arelatensem Primatum intra regni Childeberti Regis fines cohibuisset, nisi Primatus Remensis fines inuiolatos conseruare apud se constituisset? Deinde verba testamenti S. Remigij quæ modò retulimus, idem sonant. Successoribus enim suis Treuirensis Ecclesiæ Episcopos, necnon tres aut quatuor Archiepiscopos ad Synodum aliquando conuocare consulit: Quis verò Metropolitas ad Synodum conuocandi autoritatem nactus est, nisi Metropolitarum Primas. Denique refert Flodoardus, l. 2. c. 5. Sonnatium Remensem Episcopum qui eòdem cum Brunechilde & Childeberto tempore vixit, quadraginta Episcoporum Synodum celebrasse: quod certè facinus in Metropolitam non cadit. De Primatûs istius extinctione idem necessariò dicendum est, quod de Arelatensi supra diximus, idque fortè potiori longè de causa. Cùm enim Francorum arderent bella ciuilia, miserrimus ferè omnium fuit Ecclesiæ Remensis status, vt ad Tilpinum scribens conqueritur Adrianus Pontifex. *Remensis Ecclesia per multa tempora, & per multos annos sine Episcopo fuit, & res Ecclesiæ de illo Episcopatu sunt ablatæ, & per laicos diuisæ sunt & de aliis Episcopatibus, maximè autem de Remensi Metropolitana ciuitate.*

Primatûs Remensis quando & qua ratione extinctus.

Ex iis quæ hactenus enarrauimus vnicuique con-

iicere peruium eſt, Treuirenſem Epiſcopum Belgicæ primæ Metropolitam, Primatum honorificum & ſecundi tantum gradus conſecutum fuiſſe. Primatem ex quorundam ſententia eum vocat Otto Friſingenſis Chronici, lib. 6. c. 30. Nonnulli, inquit Otto Galliam *Tranſalpinam ſeu Comatam, in tres, id eſt, Belgicam, Lugdunenſem, Celticam, Aquitaniam Celticæ partem facientes, diuiſere*, &c. *Vnde tribus his Galliis tres Primates eſſe volunt, Belgicæ Treuerenſem, Aquitaniæ Bituricenſem, tertiæ Lugdunenſem.* Solâ vrbis dignitate, quæ Belgicæ prima erat Metropolis, vt hoc afferent perſuaſi videntur fuiſſe Scriptores illi quos commemorat Friſingenſis: hoc autem argumentum quum eſt vnicum, quàm leue ſit, fluxum & caducum demonſtrabimus. Ante Ottonem Friſingenſem trecentis annis Primatis Belgicæ nomine decoratus eſt Theutgaudus Treuirenſis Epiſcopus in Concilio Romano tertio, cùm à Nicolao primo & Concilio multis de nominibus excommunicaretur, quàm ſententiam in decretum ſuum retulit Gratianus 11. q. 3. c. Teugualdum, & in annum 863. Annalium ſuorum Francicorum incertus autor à Pithœo viro clariſſimo luce donatus. Sed titulum hunc honorificum tantùm fuiſſe, autoritatem verò nullam in Treuirenſem Epiſcopum tranſtuliſſe facile eſt euincere. Nullum enim tempus aſſignari poteſt, quo Primatu & in Metropolitas autoritate vſus fuerit. In vniuerſas Gallias, quarum nomine Germania, quæ Romanis parebat, continebatur, autoritatem in Arelatenſem Epiſcopum ab ipſis Primatum incunabulis collatam

Primatus Treuirēſis honorificus tantum fuit.

fuisse demonstrauimus. Gelasio I. sedente, qui Pontificatum iniit anno salutis 492. nullam eiusmodi autoritatem & dignitatem sibi ambiebat Treuirensis, vt testis est ipse Gelasius ad Episcopos Dardaniæ scribens. *Risimus autem quod prærogatiuam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treuiros multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium Sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus vsurparunt?* Tertius à Gelasio Pontifex fuit Hormisda; hic, vt diximus, Primatum Remensi Episcopo in vniuersum Clodouei regnum concessit; ad Regnum autem Clodouei Treuirorum territorium pertinuit. Deinde Hincmarus Remigio Remensi Episcopo nominatim Belgicas Prouincias commissas esse testatur. Præterea in Childeberti regnum vices suas Arelatensi Episcopo delegauit Gregorius Magnus; Childebertus autem Francorum Austrasiorum quorum ditioni Treuirenses adscribebantur, Rex fuit. Denique vtrique Primati extincto successit Moguntinus, Moguntinum excepit Senonensis. Treuirensis igitur Metropolita Primatus autoritatem nunquam vsurpauit. Sed regeret aliquis, ita sit, tanta autoritate nunquam potitus fuerit, primæ tamen Sedis fuit Episcopus, cùm Belgicæ primæ fuerit Metropolita & hoc nomine προεδρία quædam, & honos consessûs ei delatus est. Sed hoc concesso, hæc dignitas Remensem tantum Episcopum spectauit, qui Belgicæ secundæ fuit Archiepiscopus: Quanquam nec hoc

hoc concedat Hincmarus apud Aimonium, l. 5. c. 21. coram Suffraganeis Treuirensis Prouinciæ de hac re differens: *Remensis*, inquit, *& Treuirensis Ecclesia, in hac regione Belgica, cùm sibi commissis Ecclesiis Sorores & Comprouinciales habentur, sicut autoritas Ecclesiastica & antiquissima demonstrat consuetudo: ac per hoc vnanimi consensu & Synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis Patribus constituta sunt, debent concorditer custodire: hac priuilegij conditione seruatâ, vt qui Prior de Remensi & Treuirensi Episcopo fuerit ordinatus, Prior etiam habeatur.*

EXERCITATIO XXVI.

De Primatu seu Vicariatu Moguntinensi.

Primatûs Moguntinensis occasio. Origo & Epoche. Gallia lugubris status. Mogunt. Primatis autoritas in Galliam. Senonenses & Rothomagenses Episcopi quando pallio honorati. Moguntinensis Primatus quando desiit.

PRIMATIBVS Arelatensi & Remensi extinctis successit eâdem Pontificum autoritate Moguntinus Episcopus. Successionis huius hæc fuit occasio. Ab *Primatus Moguntinensis occasio.*

Ebroino Majore seu Comite Palatij Regum Francorum vsque ad Pipini Regis inaugurationem, Gallia vniuersa bellis ciuilibus & domesticis miserè vastata & dilaniata est: Hanc Reip. vastationem, effrænis quoque & lugubris disciplinæ Ecclesiasticæ corruptela consecuta est. Miserandum illum statum paucis describit S. Bonifacius ad Zachariam Pontificem scribens: *Franci, inquit, vt Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica iura alicubi fundabant, vel renouabant. Modò autem maxima ex parte per ciuitates Episcopales Sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus & publicanis seculariter ad perfruendum.* Galliâ Caroli Martelli virtute & triumphis à bellicis tumultibus paululùm respirante, Bonifacium primò Presbyterum, deinde sine titulo Episcopum, in vniuersam Galliam & Germaniam Vicarium suum miserunt Pontifices, qui disciplinam Ecclesiasticam temporum injuriâ collapsam restitueret, omniáque in pristinum statum reuocaret. Diligentissimam & vtilissimam operam huic negotio viginti quinque annorum spatio nauauit Bonifacius, vt ex Epistolis trium Pontificum Gregorij II. Gregorij III. & Zachariæ I. quæ frequentes ad ipsum dantur, facilè colligitur. Tandem Francorum precibus, & ipsius Bonifacij desiderio annuens Zacharias, Cardinalem Ecclesiam & Sedem statam Bonifacio erexit, cuius speciatim Metropolita fuit. Sedes illa fuit Moguntina ciuitas, cui præter hos Episcopatus, Tungren-

Rerũ Ecclesiasticarũ in Gallia perturbatio.

ſem, Colonienſem, VVormatienſem, Spirenſem, & Vltrajectenſem, omnes Germaniæ populos ſubiecit, atque in eos vices ſuas illi commiſit. Epiſtola illa quæ eſt inter Epiſtolas huius Pontificis decima tertia, data eſt prid. Nonas Nou. Conſtantini anno 11. indictione quinta; hic annus eſt Chriſti 752. Habes igitur Primatûs Moguntinenſis originem & Epochen, cui adſtipulatur autor vitæ S. Bonifacij c. 44. *Decreuerunt iidem Principes* (Carolomannus & Pipinus) *Eccleſiam Moguntiacenſem, quæ priùs alteri ſubiecta erat, Metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere, móxque legatione factâ illud à Præſule Apoſtolico impetrauere.* Enucleatiùs rem totam explicat Hincmarus his verbis, epiſt. 6. c. 19. *Tempore Caroli Principis, quando propter diſcordiam & contentionem de principatu inter eum & Raganfredum, & frequentia ac ciuilia, imò pluſquam ciuilia bella,* &c. *Gregorius à primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius, VVinfrid, cognomento Bonifacium, Legatum Apoſtolicæ Sedis ad reformandam Chriſtianitatis religionem, primò Presbyterum, poſteà vero Epiſcopum ordinatum direxerunt; Cui per annos 25. in eadem prædicatione ſine Sede Cardinali laboranti, præfatorum Succeſſor Zacharias Papa inter cætera in priuilegio ſibi directo, ſcripſit atque formauit ad locum.* Rem eandem memoriæ prodidit l. 3. Marianus Scotus, cauſam Primatus de genio ſuo commentatus. *Pipinus*, inquit, *in ciuitate Sueßionum à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo in Regem vnctus, regni honore ſublimatus eſt; & deinde ob id poſt Papam ſecundus habetur Moguntinus Archiepiſcopus vſque in hodiernum diem.*

Primatus Moguntinenſis origo & Epoche.

Moguntinensis Metropolitæ autoritas in Gallia.

Bonifacio non tantùm in Germaniam, sed etiam in Galliam autoritas à Pontifice concessa est, vt loco citato affirmat Hincmarus, multísque aliis argumentis elicitur. Concilia enim Episcoporum non in Germania modò, sed etiam in Gallia sæpiùs coëgit: hanc autoritatem à Zacharia Pontifice impetrauerat, vt ex Epistolis 1. 2. 9. constat, neque impetrauerat modò Bonifacius, sed, vt hoc quotannis præstaret, iusserat Pontifex. Conciliorum istorum acta nonnulla adhuc extant, quæ in tertium Conciliorum tomum relata sunt à Collectoribus, & in Capitularia Caroli Magni à Benedicto Leuita. Quodnam verò autoritatis & iurisdictionis euidentius argumentum esse potest, quàm Metropolitarum ordinationibus præesse? Tres Galliarum Metropolitas ordinauit Bonifacius, vt ex Epistolis Zachariæ refert Frodoardus histor. Ecclesiæ Remensis, l. 2. c. 16. *Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rothomagus: Secundum verò Abel in ciuitate quæ dicitur Remorum; tertium denique Hartbertum in ciuitate quæ dicitur Senonis.* Neque tantùm hos Episcopos consecrauit Bonifacius, sed consecrationis istius confirmationem à Pontifice obtinuit Epistolâ primâ: & præterea pallium omnibus impetrauit, Epistolis 4. & 5. Data est Epistola quarta x. Calend. Iul. Artauasdi & Nicephori Imperatorum anno tertio Indictione 10. hic est annus Christi 742. Eodem anno Rothomagenses & Senonenses Archiepiscopi Pallij honorem consecuti sunt, atque ab eo tempore Primates meritò sese inscripserunt: cùm ipsâ Pallij prærogatiuâ ex vsu & praxi illius temporis, ab omni Primatis iugo

Rothomagenses & Senonenses Episcopi quando Pallio honorati.

& autoritate exempti & liberati fuerint. Duplices enim Metropolitas Primates iure dici supra ex Hincmaro docuimus, & Metropolitas qui pluribus præerant Metropolitis, & qui, si nullis Metropolitis præerant, nullis saltem suberant. Remensis quoque eodem anno Pallij honorem quem antea bellorum tumultibus & negligentiâ suâ amiserat, recuperauit.

Longè tamen aliâ ratione Moguntinensis Archiepiscopus, Galliarũ Primas fuit quàm Germaniarum: Galliis enim præfuit extraordinariâ Legatione, Germaniis verò ordinariâ. Primatûs enim autoritas in Germaniam Sedi Moguntinensi concessa est, in Galliam verò Bonifacio: Itaque in Bonifacij Successores Primatus in Galliam transmissus non est: In Bonifacio, quantum ad Galliam attinet, stitit se & defecit Primatus. Priuilegij istius limitationem sic præscripsit & definiuit Primatus ipse autor Zacharias Epistolâ quintâ ad Bonifacium. *Nos denique auxiliante Deo, ea quæ tibi largitus est decessor & Prædecessor noster, non minuimus sed augemus: Et non solùm Boiariam, sed & omnem Galliarum Prouinciam, donec te diuina iusserit superesse Majestas. Nostrâ vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Christianam religionem, vel canonum instituta, spiritaliter studeas normam rectitudinis reformare.* Transiit tandem à Moguntinensi Episcopo in Magdeburgensem Exarchica illa autoritas: translationis autor fuit Innocentius II. qui anno salutis 1135. fauente & procurante Lothario Imperatore S. Norbertum Præmonstratensium Monachorum conditorem, Magdeburgensem tum Archiepisco-

Primatus Mogunt. in Gallias temporarius fuit & Personalis

Quo tempore desiit Moguntinensis Primatus.

pum in vniuersam Germaniam Primatus autoritate honorauit. Negotium hoc explicat manuscriptus liber apud Serarium Moguntiacarum rerum lib. 5. in Archiepiscopo 25. *Asserunt,* ait MSL. *hac ætate Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, ab Innocentio II. Primatum Germaniæ obtinuisse pro se & successoribus, cùm esset Romæ cum Lothario Imperatore anno 1135. Antea verò Moguntinus cæteris in Germania Præsidibus prælatus fuit, vt supra in Hattone & alibi apparet.* Translationem tamen illam annis 160. antiquiorem esse coniicit idem manuscriptus liber, cuius hæc verba sunt. *Videmus tamen in Epistola Benedicti quinti ad Episcopos Germaniæ scripta, in qua etiam mentio fit Ruperti Moguntini VVilligisi antecessoris, Magdeburgensem vocari Patriarcham Germaniæ.* Benedictus ille quintus, aliis est sextus qui Ruperto Moguntinensi coætaneus fuit. Priori tamen sententiæ, ex Mariani Scoti autoritate potiùs innitendum videtur.

EXERCITATIO XXVII.

De Iustinianæ primæ Archiepiscopi Vicariatu seu Primatu.

Vrbes duodecim Iustinianæ dictæ sunt. Iustinianæ primæ Episcopus Primas esse non po-

tuit, nisi Pontificis vices agens. A Prouinciæ Episcopis ordinatus à Patriarcha confirmatur. Primas & Patriarcha in Occidente Synonyma. Αὐτοκέφαλοι *& Primates Græcorum à iurisdictione Patriarchæ non erant immunes..*

MOGVNTINENSEM tempore præcessit Iustinianæ in Illyrico Primatus, sed Remensem secutus est. Moguntinensis verò cum Arelatensi & Remensi tanta fuit connexio, vt hunc illi præmittere æquum nobis visum fuerit. Primatus istius creatio in amorem quo patriam suam prosecutus est Iustinianus Imperator, referenda est. Nullus hominum, ne Ægyptij quidem, tanto ædificiorum & vrbium extruendarum æstu & impetu correptus & agitatus est, quàm Romanorum Imperator Iustinianus: Nullus nomen suum æternitate donandi hac inani gloriolâ tantoperè cruciatus est: Nunquá, quod de eiusmodi ventosissima ambitione ait Seneca, *Misera illum subiit cogitatio, se in titulum tantùm sepulchri laborare*, nominis immortalitatem hostium ludibrio perituris lapidibus commendare. Vrbes plurimas vel ornauit, vel à fundamentis refecit, quibus de suo nomine, nomen fecit. Duodecim notaui, qui diligentiùs in hæc inquirent, plures notabunt. Quæ prima vocata est, vt omnium præcipua, fuit Acridus Cedreno & Zonaræ dicta, aliísque quàm

Vrbes duodecim Iustiniana dicta.

plurimis; Procopio, l. 4. de ædificiis Iustiniani Tauresium; Balsamoni in c. 2. Concil. 2. Bulgaria. Dardanorum Europæorum hæc vrbs fuit, Imperatorísque patria, quàm ideo præ cæteris splendidissimis & magnificentissimis ædificiis extruxit. Aliam apud eosdem Dardanos Vlpianam nomine ædificiis ornauit, vt refert Procopius, Iustinianámque secundam appellauit. Carthagini præterea nomen suum imposuit Iustinianus, vt ex Nouella 131. colligitur. Carthaginem Iustinianam tertiam dictam fuisse, autor est Curopalates. Præter has tres Iustinianeas vrbes aliarum septem mentio fit in Conciliis quinto & sexto generalibus. In subscriptionibus enim hi recensentur Episcopi. Theodosius Episcopus Iustinianopolitanus secundæ Cappodociæ. Georgius Episcopus Iustinianæ Cypselitanorum: Gregorius Episcopus Iustinianopolis Armeniæ: Basilius Episcopus Iustinianopolitanus Camulianorum: Macedonius Episcopus Iustinianopolitanus Bithyniæ: Theodorus Episcopus Iustinianopolis Gordi. Theopemptus Episcopus Iustinianopolis Mocyssi. Hæc fuit Metropolitico iure à Iustiniano donata, vt refert Procopius l. 5. de ædificiis Iustin. Atque sic tandem Cappadocia, cuius ciuitas fuit Mucissus, in tres Prouincias diuisa fuit. De hac diuisione doctè differentem lege Berterium Diatribæ 2. c. 6. Vndecima fuit Constantia Cypri Metropolis de qua mentio fit can 39. Concilij in Trullo quàm Curopalates Iustinianam secundam dictam esse autumat, eò quòd fortè Theodoræ Iustiniani conjugis natale solum esset: Sicut

quæ

quæ Iustinianum tulit ciuitas, Iustiniana primà dicta fuit, ita quæ Iustiniani vxorem aluit Iustinianam secundam dici consentaneum esse existimauit. Postrema fuit in Hellesponto Iustinianæ Cypriæ colonia. Sedem enim Constantiensem propter barbaricas incursiones è Cypro Hellespontum transtulit Ioannes quidam Episcopus, atque vrbem in quam migrauit, de matricis nomine appellauit, vt refert Concilij Trullani canon. 39. & in eum canonem Zonaras & Balsamon. Nisi commodè restituatur hic canon dat sine mente sonum, & ridicula nescio quæ de priuilegiis Iustinianæ Cypriæ pronuntiat, quæ Zonaram & Balsamonem fefellerunt. Sed hac emendatione nunc omissa, Acridum nostram & Iustinianam primam repetamus.

Vrbem sibi cognominem amplificasse & augustissimis ædificiis ornasse non contentus Imperator, vtraque autoritate, & Ecclesiastica & seculari eam celeberrimam effecit. In eam enim Præfecti Prætorio Illyrici Sedem Thessalonicâ transtulit, atque à Thessalonicensi Primatu seu Vicariatu Dacicam Diœcesin, consentiente Vigilio Pontifice, integram auulsit, sedíque Acridensi subiecit, eiúsque Archiepiscopum ab omni prorsus Thessalonicensis Episcopi iurisdictione exemit. Quod spectans Procopius libro siue oratione quarta de ædificiis Iustiniani de hac vrbe verba faciens ait: *Magna planè vrbs est, & totius regionis Illyricorum Metropolis, Archiepiscopum sortita; aliis vrbibus ipsi, tanquam magnitudine præstanti, cedentibus.* Prouinciæ huic nouo Primati, Pontificio

Dd

decreto, & imperiali reſcripto attributæ, hæ ſunt. *Primæ Iuſtinianæ patriæ noſtræ, pro tempore Sacroſanctus Antiſtes, non ſolùm Metropolitanus ſed etiam Archiepiſcopus fiat: & certæ prouinciæ ſub eius ſint autoritate, id eſt, tam ipſa Mediterranea Dacia, quàm Dacia Ripenſis: nec non Myſia ſecunda, Dardania & Præualitana Prouincia, & ſecunda Macedonia: & pars ſecundæ etiam Pannoniæ, quæ in Bacenſi eſt ciuitate.* Hæc Nouell. 11.

Quæ Prouintiæ Iuſtinianenſi attributa.

Adeò autem verum eſt Patriarchatus Occidentalis Primates omnes Pontificis Vicarios fuiſſe, vt cùm Iuſtinianus vrbem ſibi cognominem quantis fieri poterat priuilegiis donare vellet, Vicariatus dignitatem & iuriſdictionem autoritate ſummi Pontificis ei detulerit, vt ipſe Imperator teſtis eſt locuples Nouell. 131. c. 3. *Ipſum verò* (Archiepiſcopum Iuſtinianæ primæ) *à proprio ordinari Concilio & in ſubiectis ſibi Prouinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.* In Patriarchatu Pontificis ſecundum Patriarcham erigere, patriæque ſuæ iura Patriarchalia conferre non auſus eſt Imperator. Illi ſatis ſuperque fuit ſi Vicariatus procuratione eum Metropolitis ſuperiorem conſtitueret: Ideò ſæpiùs hoc tantum contendit, ne Iuſtinianæus Epiſcopus Theſſalonicenſi ampliùs ſubiiciatur, ſed quam Theſſalonicenſis in Dacicam Diœceſin hactenus obtinuerat poteſtatem, eandem ipſe in poſterum exerceat; Sitque non ἁπλῶς, ſed reſpectu Theſſalonicenſis Epiſcopi αὐτοκέφαλος. Superiorem autem Vigilij decreto cæteris Vicariis non fuiſſe præter Imperatoris Nouellas demonſtrat

Primas eſſe non potuit niſi vices Pontificis agens.

S. Gregor. l. 4. ep. 7. ad vniuerſos Illyrici Epiſcopos ſcribens. Quatuor in ea Epiſtola præſtat quæ Iuſtinianæ Epiſcopum infra Patriarchas longè demittunt. Sed Pontificis verba audiamus. *Iuxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum in eo in quo eſt Sacerdotij ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus autoritate firmamus: ratámque nos eius conſecrationem habere, dirigentes pallium indicamus. Cui quoniam iuxta morem noſtras vices commiſimus peragendas, ideò fraternitatem veſtram neceſſariò præuidimus adhortandam, quatenus ei in his quæ ad ordinem Eccleſiaſticum pertinent*, &c. *parere nullo modo differatis*. Eadem repetit ad Ioannem ipſum ſcribens epiſtolâ ſequenti: & l. 2. ep. 6. eundem occaſione Vicariatus ſui multa illicita; præſumentem corripit eiuſque ſententiam in Thebanum Epiſcopũ Sacerdotio exutum à Lariſſeno Archiepiſcopo non tantùm reſcindit, ſed ipſum Ioannem Iuſtinianæ Epiſcopum, *triginta dierum ſpatio ſacra communione priuat*.

Ex ſancti Gregorij verbis manifeſtum eſt, Nouellas Iuſtiniani quæ Acridenſi Archiepiſcopo, vt à proprio Metropolitanorum Concilio ordinetur priuilegium conferunt, neque illius confirmationem Pontifici ademiſſe, neque ſummam de illius perſona, actionibus & adminiſtatione Eccleſiaſtica iudicandi poteſtatem abrogaſſe. Ius enim eſt καὶ προνόμιον Patriarchicum, Metropolitanos & Primates à Patriarcha aut ordinari aut confirmari. Si Sedi Patriarchali vicini ſunt, ab ipſo Patriarcha ordinari; ſi longiùs abſunt, confirmari. Siue autem à Patriarcha ordinen-

Ab Epiſcopis ordinatus, à Pontifice confirmatur.

tur, siue confirmentur tantùm, ordinationem & confirmationem debet præcedere Cleri & nonnunquam plebis electio. Clero enim & ciuitatibus inuitis non intrudebantur Pontifices. Cùm igitur Iustinianæ primæ Episcopus à Roma longè dissitas prouincias regeret, Romámque proficisci ordinationis causa non semper tutum esset, cùm propter itinerum molestias & pericula, tum maxime ne diutiùs æquo contra sanctiones canonicas Pastore viduaretur Ecclesia, ab Episcopis Prouinciæ suæ consecrabatur, confirmationem posteà & pallium à Pontifice petiturus, & cùm pallio in throno sedendi, solemnésque alias ceremonias celebrandi licentiam impetraturus. Rem autem ita se habere præter Nouellam 131. qua Pontificis Vicarius Iustinianæ Episcopus constituitur, sanctíque Gregorij euidentissima testimonia, sanctissimus & doctissimus Pontifex Nicolaus Primus ad consulta Bulgarorum respondens manifestè demonstrat, & quo ordine negotium istud transigi debeat, aperit. Nicolai c. 73. hæc verba sunt. *A quo autem sit Patriarcha ordinandus interrogatis: & idcirco scitote, quia in loco vbi nunquam Patriarcha vel Archiepiscopus constitutus est, à maiori est primitùs instituendus: Deinde vero acceptâ licentiâ, & pallij vsu ordinat ipse sibi deinceps Episcopos, qui successorem suum valeant ordinare*, &c. *Hic est ordo seruandus, vt videlicet à Sedis Apostolicæ præsule sit nunc vobis Episcopus consecrandus, qui si Christi plebs, ipso præstante, crescit, Archiepiscopatus priuilegia per nos accipiat; & ita demum Episcopos sibi constituat qui ei decedendi successorem eligant, & propter*

longitudinem itineris, non iam hûc consecrandus qui electus est, veniat: Sed hunc Episcopi, qui ab obeunte Archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant. Sanè interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium à Sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, & Germaniæ & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur. Agebatur autem cum Nicolao de ipso Iustinianæ Episcopo, Prouinciisque illi attributis, quas Bulgari, gens antea Ethnicorum Idololatriæ dedita, Græcis eripuerant. Postquam autem ad fidem conuersi sunt, hanc aliásque eiusmodi quæstiones ad Pontificem detulerunt.

Nec tibi negotium facessat interrogationis titulus, *A quo sit Patriarcha ordinandus.* Apud Latinos enim eò quod nullus sit præter Pontificem Patriarcha, cùm de Primatibus Occidentis sermo est, Primas & Patriarcha eadem potestate vsurpantur. Quod euidentius quàm ex ipso Nicolao nunquam discitur. Bulgaris enim ordinandum Archiepiscopum Patriarcham hîc vocat: sed eiusdem tractatus c.92. ab iisdem Bulgaris interrogatus, quot essent veraciter Patriarchæ, Tres tantùm veraciter esse Patriarchas respondet, Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, quibus deinde addit Constantinopolitanum & Hierosolymitanum. Cùm igitur Bulgarorum Archiepiscopum Patriarcham vocat, veraciter & de cæterorum numero Patriarcham non intelligit. Eodem modo intelligenda sunt eiusdem Nicolai verba ex Epistola ad Rudolphum Bituricensem Archiepisco-

Primas & Patriarcha in Occidente Synonyma.

pum à Gratiano relata 9. q. 3. C. Conquestus quibus Bituricensem vocat Patriarcham, Primatésque & Patriarchas eodem iure & nomine censet. Ne autem argumenta longè petamus, ipsa quæ citantur Nicolai verba, eorúmque hypothesis id significant. Quamuis enim Archiepiscopum istum Patriarcham appellasset, Galliæ tamen & Germaniæ Primatibus æquat, priuilegiáque illi concedenda ex eorum priuilegiis metitur. *Sicuti Galliarum omnes & Germaniæ & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Quis autem Galliæ, Germaniæ, cæterarúmque regionum Occidentalium Primates καὶ αὐτοκεφάλους Metropolitas, Patriarchis Alexandrino Antiocheno & Constantinopolitano, potestate & dignitate æquabit, nisi omnibus ridendum se & sibilandum propinare magnopere velit.

Αὐτοκέφαλοι & Primates Episcopi à Patriarcharũ iurisdictione non erant immunes.

Nicolai denique respondentis & Bulgarorum interrogantium hypothesis eandem sententiam confirmat. Contentio enim maxima de qua iam monuimus, inter Constantinopolitanum Patriarcham & Pontificem orta erat, ad cuiusnam Patriarchatum Bulgari pertinerent, atque vter amborum primum illis Archiepiscopum consecraret? Cùm igitur in cuius Patriarchæ potestate futurus sit Bulgarorum Archiepiscopus controuertatur, Patriarchæ autoritas, quanquam nomen honorificè tribuatur, illi nullomodo asseritur; neque vnquam asserta est. Postquam enim Diœceses Dacica & Macedonica Iconomachorum impietate è Patriarchatu Romano ereptæ sunt, in Potestatem Patriarchæ Constantinopo-

litani transiit Iustinianæ primæ Archiepiscopus. Diuiso præterea hoc Archiepiscopatu, nonnullísque Prouinciis Tornouiensi Primati attributis, matricis naturam conseruauit noua hæc Diœcesis, atque in potestate Patriarchæ Byzantini perseuerauit, atque etiam nunc perseuerat Tornouiensis Primas. Nullus enim Græcorum αὐτοκέφαλος Episcopus ab omni Patriarchæ iurisdictione liber erat. Αὐτοκεφαλία ista & à Patriarchæ iugo libertas, non omnes iurisdictionis species amplectebatur, vt vel ex hoc Balsamonis testimonio liquet in canon. 18. Trull. *Si Episcopus tale quid fecerit, à Metropolitano excommunicabitur: Similiter & si Metropolitanus canonem contempserit, à Patriarcha punietur. Si verò αὐτοκέφαλος Αρχιεπίσκοπος, Archiepiscopus, qui est Primas & caput, vel Patriarcha,&c. quod canonem transgressus sit, conuincitur, à quo excommunicabitur? Existimo ergo, quod à Majore Pontifice.* Supra demonstratū est euidentissimè ex ipso Balsamone Patriarcha Antiocheno, Patriarchæ sententiam ab alio Patriarcha non retractari. Αὐτοκέφαλος igitur ille Episcopus non erat autoritate Patriarcha, sed nomine tenus, cùm à majore Pontifice iudicaretur: Neque per *majorem Pontificem* ex mente Balsamonis intelligi potest Romanus Pontifex, cùm Balsamon Patriarcha fuerit Schismaticus, & Schismati addictissimus. Major igitur ille Pontifex qui αὐτοκέφαλον illum Episcopum seu Primatem excommunicandi autoritate potitur, Patriarcha est in cuius Patriarchatu degit ille Primas; Antiochenus, si in Antiocheno Patriarchatu; Constantinopolitanus si in Constantinopoli-

tano. Idem docet Balſamon in can. 2. Concil. Conſtant. Sedes tres refert αὐτοκεφάλους: tertiam enarrans ſic ait, *dicitur quod tempore ſanctiſſimi Patriarchæ magnæ Antiochiæ, Domini Petri, fuit Synodica ordinatio, qua ſtatutum eſt liberam eſſe ac principalem, & per ſe caput, Eccleſiam Iberiæ, ſed tamen Antiocheno Patriarchæ ſubiectam.* Idem de Iuſtinianenſi de qua ibidem verba facit, ex eius mente dicendum, ſicut & de Cypria ſi cum Cedreno Balſamon conferatur. Ex attenta rerum iſtarum conſideratione, in quo αὐτοκεφαλίας natura conſiſtat, facile eſſet explicare. Sed de vtraque quæſtione aliàs plura. Huius diſtinctionis potiſſima ratio è iuris Patriarchici natura & dignitate pendet, ad quam ſæpius lectores ablegauimus. Nunc de iure iſto quantum duntaxat Epiſcoporum conſecrationes ſpectat, obſeruantiunculam hîc attexere lubet.

EXERCITATIO XXVIII.

De Iure Patriarcharum in Epiſcoporum Conſecrationes.

Legis Iuſtinianeæ de Patriarchis explicatio. Ius Patriarchæ in Prouinciam aliud à iure in Diœceſin. Omnibus Patriarchis non eſt ius idem in Patriarchatum. Pontifex Romanus nunquam

nunquam non ordinauit aut confirmauit omnes & ſingulos Occidentis Epiſcopos & Metropolitas. Ius illud Patriarchicum Nicæno Concilio antiquius. Siricij ſententia explicata. Patr. Alexandrini ius in vniuerſos Epiſcopos.

IVs eſt & priuilegium omnibus Patriarchis natiuum, τὸ κῦρος πατριαρχικὸν, Patriarchatûs Metropolitas omnes ordinare, aut confirmare: vicinos quidem ordinare, longè verò poſitos confirmare. Ius hoc vniuerſale ſpeciales differentias ſub ſe, velut priuilegia quædam, complectitur. Nam præter Metropolitas & Primates ordinabat CP. Epiſcopus Epiſcopos in barbarico ſitos. *Ponticæ & Aſianæ & Thracicæ Diæceſis Metropolitani ſoli, præterea & Epiſcopi prædictarum Diæceſum quæ ſunt inter Barbaros, à prædicto Throno ſanctiſſimæ CP. Eccleſiæ ordinentur.* c. 18. Chalced. Ius illud labente tempore amplificatum eſt. Cùm primùm enim Archiepiſcopi à Metropolitis diſtingui cœperunt, gradúſque medius Archiepiſcopatus inter Metropolitam & Epiſcopum conſtitutus eſt, perſeuerabat quidem Archiepiſcopus ille in Metropolitani poteſtate, vt decernit c. 12. Chalced. ſed tandem Archiepiſcopi illi Græci à Metropolita exempti, à Patriarcha ordinati ſunt, vt autor eſt Balſam. in can. 38. Trull. & Notitia Metropoleon & Archiepiſcopatuum ſub CP. Patriarcha, quæ extat ad calcem l. 3. iuris Orientalis. Poſtquam Conſtantinopolis ſub

Ius Patriarcha CP. in Epiſcoporũ conſecrationes.

Ee

Latinorum iugum missa est, idem ius Patriarchæ concessit Innocentius III. vt ex eius ad Patriarcham Epistola refert Philippus Berterius diatrib. 2. c. 3.

Ius Patriarchæ Antioch. in Episcoporum ordinationes.

Antiocheno Patriarchæ potestas amplior attributa videtur: Non solùm enim Metropolitas Patriarchatus sui consecrasse innuit Innocentius I. epist. 18. c. 1. sed etiam singulos Episcopos aut ordinandi aut confirmandi autoritatem consecutum esse. Illius verba hæc sunt. *Itaque arbitramur, frater charissime, vt sicut Metropolitanos autoritate ordinas singulari, sic & cæteros, non sine permissu conscientiáque tua sinas Episcopos procreari.* Ne autem quæ de Episcopis habet, de Suffraganeis tantùm intelligas, quæ sequuntur repugnant. *In quibus hunc modum rectè seruabis: vt longè positos, literis datis ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu. Vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire.* Huius obseruantiæ exemplum nobis suppeditat actio 14. Concilij Chalced. in qua acta referuntur Synodi cuiusdam Antiochenæ, quibus Athanasius Pari Episcopus deponitur. Depositionis sententiam his verbis postremus dicit Domnus Antiochenus Patriarcha. *Confirmo hoc etiam ego, & in his quæ omnibus placuerunt concors existo, iudicans eum alienum esse à Pontificatu. Et præcipio Deo amantissimo Episcopo Ioanni, & ipsis Prouinciæ religiosissimis Episcopis, alium pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ Episcopum ordinare.* Ioannes autem ille erat Hierapolis Metropolita ad quam pertinebat Paros. Secundum hanc clarissimam Patriarchæ sententiam, quorundam Episcoporum in ea-

dem Synodo sententia explicanda est, quâ definiunt, *Deposito Athanasio regulariter à Metropolita & Coëpiscopus alium esse ordinandum*, Regulariter, hoc est cum permissu & consensu Patriarchæ.

Duplex hoc Patriarchale δίκαιον innuit Iustinianus l. 29. C. de Episcop. Audientia. *Quoniam verò quidam sunt sanctissimi Patriarchæ, qui in Prouinciis, in quibus existunt, Metropolitanorum officium gerunt; alij per totam Diœcesin, Episcoporum, Metropolitanorum atque aliorum, qui sub eis sunt, ordinationes faciunt.* Locus est diligenter eum perpendenti, rerúmque istarum mediocriter callenti subobscurus. Posteriores Patriarchas à prioribus distinguit, quod Posteriores ordinationes faciant Episcoporum per totam Diœcesin, Priores igitur id iuris sibi non attribuunt, qualis erat atque etiam nunc est Constantinopolitanus. Si ita est, quamobrem priores ait Metropolitarum officium gerere? Nodum istum meo quidem iudicio dissoluunt hæc Imperatoris verba, *in Prouinciis in quibus existunt*, Quæ vt dilucidiùs intelligantur repetendum est, quod iam sæpiùs docuimus; quémque Primatem & Patriarcham propriam Prouinciam sortiri; respectu cuius ἰδίως καὶ κυρίως sit Metropolita; ad quem Prouinciæ istius Episcopos consecrare pertinet; apud quem si Clericus ab Episcopo suo se læsum conqueratur, litis contestatio & ἔνστασις primùm institui debet, cuique cætera iuris Metropolitici munia obire fas est, vt Episcopalia, in propria Metropoli: cuius denique Prouinciæ Episcopi nullum alium Metropolitam agnoscunt, non secus ac propria Me-

Legis Iustinianea de Patriarchis expli- catio.

tropolis nullum alium Episcopum. Huiusmodi Episcopi sub Patriarcha Constant. à nonnullis sex enumerantur, qui Prouinciã Constantinopolitanã conflabant, Selybriensis, Naturensis, Spigacensis, Dorcensis, Panadensis, Chalcedonensis. Postremus tamen Archiepiscopus factus est, deinde Metropolita. Sub Antiocheno quinque, Gabulensis, Laodicensis, Anteradensis, Tripolitanus, Bibliensis. Sub Hierosolymitano tres, Ebronensis, Liddensis, & Bethlehemitanus. Sub Romano Pontifice, præter Episcopatus Cardinalibus assignatos, ex vetusto sacrorum rituum manuscripto codice Vaticano, duos & sexaginta Episcopos enumerat doctissimus Annalium conditor in rebus gestis anni 1057. Duplices igitur refert Patriarchas Iustinianus; Priores qui Episcopos ordinandi in propriis Prouinciis ius tantùm habebant: huius generis duo erant CP. & Hierosolymitanus. Posteriores, qui id ius nõ in propria tantùm Prouincia, sed etiam in vniuersa Diœcesi obtinebant. Hunc sensum genuinum esse, præter illa verba, *in Prouinciis in quibus existunt*, sequentia demonstrant. Si enim posteriores à Prioribus distinguantur, quod Posteriores ius ordinationum Episcopalium per totam Diœcesin obtineant, Priores sequitur per totam Diœcesin illam non obtinuisse: Priores tamen lex Imperatoria, præter Patriarchale munus, Metropoliticum obire asserit. In Prouincia igitur, aut nusquam illud obeant, necesse est. Notabis autem cum hîc atque alibi Patriarchæ Metropoliticum munus per totam Diœcesin gerere dicuntur, hoc secundum quid

Patriarcharum suffraganei.

non absolutè esse explicandum: id est, quod ad ordinationes, vel aliquid aliud attinet, non autem vniuersaliter ius Metropoliticum obtinere. Frustra enim in Diœcesibus constituerentur Metropolitæ, si ius καὶ τὸ κῦρος Metropoliticum penes Patriarcham esset vniuersum. Nam quemadmodum in speciali Patriarchæ Prouincia nullus constituitur præter Patriarchã Metropolita, quia frustra; cùm in eam Patriarcha ius vniuersum Metropoliticum obtineat: sic nullus in Diœcesi creatus fuisset à Patribus Metropolita, si in Diœcesin ius vniuersum Metropoliticum Patriarchæ concessissent. Quæ autem & quot fuerunt antiquitùs Patriarcharum, & Metropolitarum προνόμια, enarrare longum esset, alias σὺν Θεῷ hoc fiet commodius.

Ius Pontificis in Episcoporũ ordinationes.

Iure hoc vsus est amplissimè in Patriarchatu suo Pontifex Romanus; id verò multis argumentis contendere ad mentem nostram parum confert: paucis igitur argumentis ex immensa multitudine instituto nostro satisfactum erit. Res ista quomodo se habuerit duobus pronuntiatis enucleabimus. Prius est, Episcopos omnes Italiæ insularúmque adiacentium, regionúmque versùs Septentrionem & Occidentem mari Adriatico conterminarũ, per se ipsum consecrauit Pontifex; aut cum id fieri non potuit, vel propter locorum distantiam, morbos ingrauescentes, hostiles tumultus, vel similes peremptorias excusationes, nisi Pontifex eorum electionem confirmasset, legitimè ordinari non poterant. Archiepiscopos his in regionibus consecrasse, aut consecrandos com-

misisse, vt Symmachus de Aquileensi testatur, ep. 3. & de Syracusano, Nicolaus I. epist. 1. ad Michaëlem Imper. Græc. cuius hæc sunt verba, *Volumus vt consecratio Syracusano Episcopo nostra à Sede impendatur, vt traditio ab Apostolis instituta, nullatenus vestris temporibus violetur.* Iam probandum non suscipio: Hæc enim priuilegia cum omnibus Patriarchis conceduntur, quis ea Romano Pontifici ibit ademptum? De Episcopis id specialiter demonstro. Lilybetana Ecclesia Siciliæ est Episcopatus, En defuncto Episcopo quid agit illius Clerus apud S. Gregorium l. 5. ep. 13. ad Rectorem Siciliæ. *Lilybetanæ Clerus Ecclesiæ hûc pro ordinando sibi veniens Sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi Episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium Forensem Presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt: quorum petitionem necessarium duximus adimplere,* &c. Rauennatensis Archiepiscopus quàm humiliter sese cum S. Gregorio gerat, quanquam Rauenna Exarchi Italiæ Sedes esset, audi ipsius Gregorij testimonium, l. 6. epist. 39. *Fraternitatis vestræ Epistola nuntiante comperimus, Corneliensis Ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondam Episcopi sui consecrandum sibi à vobis poscere Sacerdotem, atque vos quid ea de re fieri debeat dubitare, & nostrum euidens expectare mandatum,* &c. Testimoniorum nubem simul cogit Ioannes Diaconus vitæ S. Gregorij l. 3. c. 7. quibus Metropolitas nonnullos inserit. *Si quando necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesiæ suæ, neque Monachos Monasterij sui penitus excusauit, quo minus illis Ecclesiam regendam com-*

mitteret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare melius potuissent. Nam, vt pauca de multis contingam, ex Presbyteris Cardinalibus Ecclesiæ suæ consecrauit Episcopos, Bonifacium Regij, Habentium Perusij, & Donatum Messanæ Siciliæ. Ex Subdiaconibus verò Gloriosum Hostiæ, Festum Capuæ, Petrum Trecis, & Castorium Arimini. At verò ex Monachis Monasterij sui, Marinianum Rauennæ, Maximinianum Syracusis, & Sabinum Callipoli ordinauit. Et l. 4. c. 5. de eodem Mariniano verba faciens, Ecclesiæ Rauennatensis visitandę, quanquam Metropolitico iure gauderet, aliis Episcopis ius fecisse dicit. *Cuius rei gratia Gregorius visitationem Rauennatis Ecclesiæ Seuero ficulino Episcopo secundum consuetudinem priscam committens, Marinianum Monachum familiarem suum Rauennatibus Episcopum consecrauit.* Cùm verò id neglectum est, quàm excandescat aduersus Salonitanum Dalmatiæ Episcopum, omnium hominum humillimus & mitissimus S. Gregorius, ipsius verba ad Constantinam Augustam testantur, l. 4. epist. 34. *Salonitanæ ciuitatis Episcopus me ac Responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euênit. Quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omnino Missarum solemnia celebrare nullomodo præsumeret.* Ideò S. Leo, quòd ad Romanam Diœcesin Italia vniuersa cum adiacentibus insulis pertineat, in eámque hoc ius obtineat, vniuersis Siculorum Episcopis mandat, ep. 4. vt ex insula sua ternos quotannis ad Synodum 3. Kal. Octob. celebrandam, Romam de more mittant.

Episcoporũ longè distitorum ordinationes per Vicarios confirmabant.

Pronuntiatum posterius est, Pontifices Romanos cæterarum Diœcesum Patriarchatus sui Româ longiùs distantium Episcopos, per se ipsos vt plurimùm neque ordinasse, neque confirmasse, sed per Vicarios & Primates ad id in Diœcesibus specialiter constitutos, vt in Exercitatione de iure Primatũm demonstrauimus. Neque verò hac concessione ius Metropolitis imminutum est, ne dicam ademptum: Ius enim suum Primatum potestati commisit Pontifex, non alienum. Itaque confirmatio illa à Primatibus obtinenda, autoritati Metropolitis in ordinationes Episcoporum à Conciliis, Nicæno præcipuè, delatæ & irrogatæ nihil derogauit, sed ei innixa & superaddita fuit, vt euidenter supra demonstratum est ex capite sexto Epistolæ 84. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem, quod hîc non iuuat repetere. Neque prætereà existimes ius hoc Patriarchicum à Concilij Nicæni tempore, Constantinianáque Prouinciarum Romanarum distributione innotuisse. Iuris Exarchici seu Primatialis hæc est origo & Epoche: Sed Patriarchicum à traditione descendit Apostolica, atque istud maximè, vt præter ea quæ de Alexandrino mox dicemus, testatur S. Cyprianus epist. 67. ad Stephanum Pontificem, cùm ad eum scribit de deponendo Marciano Arelatensi Episcopo, qui Nouatiani partibus studere conuincebatur. *Quapropter*, inquit Cyprianus, *facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne vltra Marcianum peruicacem & superbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare*

Ius Patriarchicũ in Episcoporum ordinationes Conc. Nicæno antiquius.

insultare patiantur, Et in fine Epistolæ. *Significa planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, vt sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.* Solebant Patriarchæ quotiescunque aliquos Episcopos ordinauerant aut confirmauerant, ea de re Ecclesias omnes monere, vt scirent Ecclesiarum Pastores ad quos literæ formatæ & communicatoriæ dirigendæ essent, quod exemplis manifestissimis paulò post explicabimus, sicut & hoc priuilegiũ Patriarchicum ex canone sexto Nicæno. Doctrinâ istâ stabilitâ & perspectâ facilis est expositio decreti primi Concilij Romani 80. Episcoporum sub Siricio, quod alioquin negotium facessit. Decernit Siricius Epistolâ quartâ cum Episcopis cæteris, *vt extra conscientiam Apostolicæ Sedis, hoc est, Primatis, nemo audeat ordinare.* Cùm enim Primas quà Primas, vices agat Pontificis, quidquid eo nomine Primas agit, meritò Sedi Apostolicæ tribuitur. Qui enim per alium facit per se facere videtur. Nihil igitur aliud eo decreto prohibetur, quàm quod superius Leonem decreuisse vidimus: Ne scilicet inconsulto Primate, fiant Episcoporum ordinationes. Tum enim extra conscientiam Apostolicæ Sedis nullus ordinatur Episcopus, cùm omnes Diœcesis Episcopi, ab ipso Pontifice vel consecrantur, vel confirmantur: cæteri verò extra Diœcesin ab ipsius Vicario seu Primate, vt consecrentur, facultatem obtinuit Metropolita.

Siricij sententia obscura explicata.

Consimilem in Episcopos Patriarchatus sui autoritatem obtinuit Alexandrinus Patriarcha: cuius rei vestigia & argumenta nonnulla supersunt. Meletius

vt testatur S. Epiphanius hæresi 69. Thebaïdis erat Archiepiscopus. Vtebatur eo Petrus Patriarcha Alexandrinus, vt ait idem autor hæresi 68. in vniuersali Patriarchatus sui administratione, vnde inter Ægypti Episcopos facilè primas obtinebat. *Videbatur autem & Meletius præeminere inter Episcopos Ægypti, vt qui secundum locum habebat post Petrum in Archiepiscopatu, velut adiuuandi eius gratia sub ipso existens, & sub ipso Ecclesiastica curans.* Eiusdem consuetudinis illustre nobis est exemplum Synesius Cyrenes Archiepiscopus: Pentapoleos enim & totius Cyrenaicæ ex speciali Patriarchæ Alexandrini designatione & commendatione curam gerebat, vt Synesius ipse epist. 67. ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum tribus exemplis euidenter docet, in quibus quid egerit vice Patriarchæ, ad Patriarcham ex officio, & de antiquo more refert. *Mihi quidem*, inquit, *& libet & diuina imposita est necessitas, pro lege id habendi quidquid thronus ille statuerit. Propterea funebrem occupationem abiiciens, & affectum etiamnum corpusculum ad labores compellens, & suspecta perinde ac secura obiens, quæ hostilibus armis interclusa erant, Palabiscam & Hydracem perueni.* Et circa finem Epistolæ. *Mandatum hoc insuper mihi erat, vt & Iasonem audirem qui multa & indigna à Presbytero Collega passum se esse aiebat*, &c. Plura sunt totâ Epistolâ in eandem sententiam à Synesio dicta.

Ius Patriarchæ Alexãdrini in Episcoporum. Episcopos verò singulos Patriarchatus sui ordinandi aut confirmandi ius & autoritatem ex antiqua consuetudine consecutum fuisse Episcopum Ale-

xandrinum euidenter demonstrant verba Patrum Nicænorum ad Ægyptiacas Ecclesias scribentium apud Theodoritum histor. l. 1. c. 9. & histor. Tripartitæ l. 2. c. 12. *Si quis fortè eorum qui Ecclesiæ funguntur muneribus diem suum obierit, tum vnus ex illis qui nuper in Ecclesiam adsciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopúsque Catholicæ Alexandrinæ Ecclesiæ ei suffragetur, atque adeò populi electionem confirmet, in locum succedat demortui.* Eadem præterea sententia non obscurè colligitur ex consuetudine quam in Paschatis renuntiatione obseruabant Patriarchæ Alexandrini. Quotannis enim simul cum Paschate, Episcopos recens consecratos omnibus Ecclesiis renuntiabant. Ita in fine primæ Epistolæ Paschalis Theophilus: *Et hoc necessariò scribimus, vt sciatis pro sanctis & beatis Episcopis qui in Domino dormierunt, ordinatos esse in Lemnado, pro Herone Naseam: In Erythro, pro Sabatio Paulum: In Omboes, pro Syluano Verrem. His ergo scribite, & ab iis accipite pacificas, iuxta Ecclesiasticum morem, literas.* Consimilia habet ad finem Epistolæ tertiæ. Episcopi autem illi non vnius tantùm erant Prouinciæ, sed Ægypti, Pentapolis, Marmaricæ, Thebaïdis. Quamobrem verò variarum Prouinciarum consecrationes ad Ecclesias retulisset, nisi omnes, aut ipse celebrasset, aut saltem confirmasset? Sed huius conjecturæ non conjector, sed testis fide dignissimus prodeat Synesius: Episcoporum Palæbiscæ & Hydracis ordinationes irritas esse causatur epist. 67. ad Theophilum. Quamobrem verò? *Cùm hoc*, inquit, *neque*

consecrationem.

In literis Paschalibus Episcopos ordinatos renũtiabat.

Alexandriæ constitutum sit, neque à tribus hîc, quanquam illinc ordinationis signum datum esset. Ait præterea eodem loco in huius sententiæ confirmationem, magnum Athanasium qui Ptolemaidem regeret Metropolitam direxisse. Sed enucleatiùs totum hoc negotium enarrat, epist. 76. Olbium Cyrenaicæ vicus est: Olbij Episcopo defuncto alius eligitur, consentit populus: suffragantur tres Episcopi, quorum vnus erat Synesius. Hæc tamen non sufficiunt, nisi accedat Patriarchæ autoritas. Sic enim Patriarcham alloquitur. *Vnum adhuc superest, sacra tua scilicet manus: hoc vno Olbiatis opus est: mihi verò precibus.*

EXERCITATIO XXIX.

Canonis Sexti Nicæni Illustratio.

Canone Sexto Nicæno Romanus Patriarchatus cæterorum norma constituitur. Autoritatis Patriarchalis quatuor præcipua capita. Can. 6. Nicæni interpretatio. Quadrupliciter cum Pontifice comparari possunt Patriarchæ. Per vniuersum Patriarchatum nec habent ius Episcopale nec Metropoliticum. Patriarchæ Pontificis non sunt Vicarij.

TRes igitur Apostolicos & antiquissimos Patriarchas conspicis iisdem omnino in Episcopos & Metropolitanos proprios, quod ad Patriarchalem dignitatem atti-

net, priuilegiis & autoritate gaudere; duos verò nouitios & irreptitios Patriarchas, qui è typho superbiæ, velut è nube fulgura, eruperunt, tam augusto & amplo iure in Episcopos sibi suppositos nunquam fuisse donatos. Hinc Nicænorum Patrum in canone sexto mens & scopus euidentissimè eruitur & aperitur. Antequam tamen ad id præstandum nos accingamus, eo canone Patriarcharum priuilegia confirmari, & ad normam Romani Patriarchatus, tanquam ad ἀρχέτυπον & lapidem Lydium reuocari, breuiter nobis est comprobandum. Vtrumque clarissimè testatur Nicolaus I. ad Michaëlem Imper. epist. 8. *Si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, inuenietur profectò, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exordium.* Sed multis ante Nicolaum seculis id sæpius contendit S. Leo aduersus Byzantinos Episcopos. Sic aduersus Anatolium, qui Patriarchalem dignitatem circumuentione consecutus fuerat, stringit Epistolâ 55. Concilij Nicæni autoritatem: *Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam addere conceditur; ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quàm illa corrumpat.* Et rursus eâdem Epistolâ. *Superbum nimis est & immoderatum, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcatâ, alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietisque Prouinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænæ mode-*

Romanus Patriarchatus Can. 6. Nic. reliquorum norma cõstituitur.

ratione dispositis, bellum nouæ perturbationis referre, atque, vt venerabilium Patrum decreta soluantur, quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Hæc sæpius in eadem causa repetit sanctus Pontifex Epistolis 54. 61. 62. Sed addit prætereà Epistolâ 53. Anatolium vt nouæ dignitatis inuidiam à se amoliretur, regerere solitum, Synodum Nicænam, non vt Patriarchas, sed vt fidem Catholicam confirmaret, congregatam fuisse. Ante Leonem idem scripsit Antiocheno Episcopo Innocentius Epistolâ 18. *Reuoluentes itaque autoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidel.bus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super Diœcesin suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Prouinciam, recognoscimus constitutam.* Ante denique Innocentium id euidentissimè testatur Vniuersalis 2. Synodus, Canone 2. Sed ipso Canone Nicæno vix aliquid est euidentius. *Antiqui mores*, decernit Canon ille, *seruentur, qui sunt in Ægypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat, quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia.* Quis alius præter hunc sensum huic Canoni appositè potest affingi? Quam habet Episcopus Romanus potestatem vt Patriarcha in Prouincias Patriarchatus sui, eandem habeant in Patriarchatu suo Alexandriæ & Antiochiæ Episcopi. Quibus in rebus potissimùm comparatio illa instituenda sit, quanquam id paucissimi notent, facilè tamen ex

iis quæ hactenus demonstrauimus, colligetur.

Patriarchalis illa autoritas quatuor potissimùm capitibus tum temporis definiebatur. Singulos Episcopos, sed præcipuè Metropolitas, aut ordinabant, aut confirmabant; Patriarchísque inconsultis in Episcoporum ordinationibus nihil peragebatur. Deinde variarum Prouinciarum Concilia cogebant, de totius Patriarchatus, vel etiam Parœciæ, vel Prouinciæ specialis Ecclesiastica administratione deliberaturi & pronuntiaturi. Tertiò, Metropolitarum & Conciliorum Prouincialium sententiæ ad ipsos deuoluebantur. Nullus eo seculo Metropolita in orbe terrarum in alium Metropolitam autoritate potiebatur: Patriarcharum hoc erat insigne priuilegiũ, quo tum præter Pontificem Romanum, duo tantùm Episcopi Alexandrinus & Antiochenus gaudebant. Denique vices suas nonnunquam ad tempus quibusdam Episcopis aut Metropolitis delegabant, vt certis quibusdam in locis & Prouinciis Episcopi illi aut Metropolitæ Patriarchali officio & autoritate fungerentur. Tanta verò erat Patriarcharum in vniuersas Patriarchatus sui Prouincias autoritas, vt iis præteritis nihil ferè alicuius momenti tentare auderent Episcopi. Hinc illa Episcoporum Ægypti in quarto Concilio excusatio, ne Epistolæ S. Leonis subscriberent: prætexebant enim *in Ægyptiaca Diœcesi hanc esse consuetudinem, vt præter voluntatem & mandatum Episcopi nihil tale faciant*, atque ideo à Concilio inducias petunt, donec in locum depositi Patriarchæ sui alium substituant, quo duce & principe sententiæ dicendæ

Patriarchalis autoritatis præcipua capita.

ius conſequantur. Hinc frequentiſſimæ de rebus quibúſque minutiſſimis Syneſij ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum relationes, vt de Occidentalium Epiſcoporum ad Pontificem Romanum relationibus nihil dicam, Græcorúmque σταυροπήγια, monaſteria αὐτεξούσια, recentioréſque prærogatiuas prætercam.

Canonis Sexti Niceni interpretatio.

Hæc eſt igitur de interpretatione famoſi iſtius canonis ſententia noſtra. Quemadmodum Pontifex Romanus, vt Patriarcha omnes Patriarchatus ſui Epiſcopos conſecrat aut confirmat; variarum Prouinciarum, aut etiam totius Patriarchatus Concilia cogit; de Metropolitarum, Prouincialiúmque Synodorum ſententiis iudicat; vices ſuas pro occurrentibus negotiis in Parœciam, Prouinciam, pluréſque Prouincias committit, nihilque nouum & arduum inconſulto Patriarcha ſuo aggrediuntur Occidentales Epiſcopi: Ita mos ille antiquus obſeruetur, quo neque Ægyptiacis Epiſcopis, neque Aſiaticis, inconſultis Patriarchis ſuis nihil horum præſtare licet. Iuſtiſſimum ſanè fuit duos illos Pontifices qui à S. Petro in Patriarchalis autoritatis amplitudinem adſciti, Sedéque Apoſtolorum Principis cognomine decorati ſunt, his frui priuilegiis, & cæteris Metropolitis præcellere. Nulla alia paritas Epiſcoporum Alexandriæ & Antiochiæ cum Romano Pontifice ad Canonis textum appoſitè inſtitui poſſe videtur. Comparationem autem à Patribus inſtitutam eſſe & verba canonis demonſtrant, & fere omnes conſentiunt. Quadrupliciter cum Pontifice comparari poſſunt Patriarchæ

Quadrupliciter cũ Pontifice comparari

triarchæ, vt Episcopo, vt Metropolitâ, vt Patriarchâ, denique vt Pontifice, & vniuersali Ecclesiæ Christianæ Rectore. Cùm Pontifice, vt Primate, comparari tunc non potuerunt, cùm Primatum ordo nondum orbi innotuisset. Patriarcharum cum Pontifice vt Episcopo, ineptissima fuit comparatio: Falsissimum enim est & omni Ecclesiasticæ regulæ & consuetudini contradicentissimum, Episcopos Alexandrinum & Antiochenum eandem in Patriarchatus sui Prouincias autoritatem exercuisse quam Romanus Pontifex in Parœciam suam. Hinc enim necessariò hoc absurdissimum consequeretur, nullum in Oriente & Africa fuisse Episcopum. Sicut enim in Parœcia Romana nullus vnquam præter Pontificem, institutus fuit Episcopus, nec institui potest, cùm vniuersa iura Episcopalia in Parœcia sua obtineat Pontifex: Ita si Alexandrinus aut Antiochenus in Patriarchatum quisque suum, autoritatem exercet Episcopalem, nullus erit Episcopus, nec institui quidem poterit, cùm ex hypothesi in iis autoritas ista resideat. Quem enim in finem Episcopus eo in loco institueretur, in quo penes aliũ Episcopalis autoritas ordinariâ lege deuoluta est? Hac denique admissâ interpretatione solus Patriarcha in Patriarchatu esset Episcopus, cæteri qui dicuntur Episcopi, non Episcopi, sed Patriarchæ Vicarij forent & precarij Ministri. Hæc est illa impietas quam in Episcopo Constantinopolitano, qui se vniuersalé insigniebat, tantoperè execrabatur S. Gregorius, vt docet & demonstrat sanctissimum Ecclesiæ lumen Cardinalis Bel-

possũt Patriarcha.

Patriarcha per Patriarchatũ ius non habent Episcopale.

larminus, l. 2. de Romano Pontifice cap. 31. *Duobus modis*, inquit, *intelligi potest nomen vniuersalis Episcopi. Vno modo, vt ille qui dicitur vniuersalis, intelligatur esse solus Episcopus omnium vrbium Christianarum, ita vt cæteri non sint Episcopi, sed Vicarij tantum illius, qui dicitur Episcopus vniuersalis, & hoc modo nomen hoc est verè prophanum sacrilegum & Antichristianum: Et de hac significatione loquitur Gregorius*, &c. *Altero modo dici potest Episcopus vniuersalis, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem; ita vt non excludat particulares Episcopos. Et hoc modo nomen hoc potest tribui Romano Pontifici.*

Patriarcha per Patriarchatũ ius non habẽt Metropoliticum.

Eâdem complexione & argumento demonstratur Patriarcharum administrationem non conferri cum administratione Pontificis Metropolitica. Asserere enim est absurdissimum, Alexandrinum Patriarcham eâdem vsum fuisse autoritate in Ægyptum, Libyam & Pentapolin, qua in specialem Prouinciam vtitur Pontifex. In Prouincia Romana præter Pontificem nullus est, nec esse potest Metropolita, cùm istius Prouinciæ iura omnia Metropolitica in Pontifice resideant. Si igitur eâdem autoritate potitus est Alexandrinus Patriarcha in vniuersum suum Patriarchatum, qua Romanus Pontifex in Prouinciam specialem, nullus fuit in vniuerso Patriarchatu Alexandrino, idem de Antiocheno dictum esto, Metropolita, sed omnes Metropolitæ puri puti fuerunt Patriarcharum Vicarij: quo nihil fingi potest tam à mente Concilij quàm à veritate ipsa magis absonum. Concilium enim atque hoc ipso canone, Metropolita-

rum priuilegia illæſa & illibata conſeruari iubet: & canone ſequenti, quanquam Hieroſolymorum Sedem honorare ſatagat Synodus, *Metropoli* tamen *propriâ dignitate ſeruatâ*, id præſtat. Tam perſpicuam veritatem confertâ argumentorum acie comprobare, quid aliud eſt quàm ſoli lumen commodare? Atque vt Ægyptij trito olim ferebant prouerbio הבן הביא לעפריים, ſtramen in Aphraim vrbem frumenti feraciſſimam importare, Noctuáſque maximis impenſis in Atticam vehere?

Denique cum vniuerſali Pontificis poteſtate non comparatur hoc canone Patriarchatus Ægyptiacus. Sequeretur enim eâdem poteſtate in Patriarchatum ſuum armatum fuiſſe Alexandrinum Epiſcopum, quâ Pontifex in vniuerſam Eccleſiam. Sed hæc ſententia non tantùm hæreſin ſapit, verum ἀσύστατον quid ſecum infert. Quî fieri poteſt, vt quam autoritatem Romanus Pontifex in vniuerſam Eccleſiam ſortitus eſt, eandem obtineat in Patriarchatum ſuum Alexandrinus Epiſcopus? Poteſtas enim Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, Alexandrinum Patriarchatum neceſſariò complectitur. Alexandrino igitur Patriarchæ non competit; cùm res vna & eadem vt aiunt Iuriſconſulti, à duobus Dominis ſub perfecto Dominio poſſideri non poſſit. Supereſt igitur vt quam explicauimus de huius canonis interpretatione ſententiam amplectamur. Nonnulli viri doctiſſimi, déque Eccleſia Catholica optimè meriti, comparationem in eo canone nullam admittunt, ſed quam cum omnib⁹ antiquis Patribus iudicamus prioris pártis eſſe.

larminus, l. 2. de Romano Pontifice cap. 31. *Duobus modis*, inquit, *intelligi potest nomen vniuersalis Episcopi. Vno modo, vt ille qui dicitur vniuersalis, intelligatur esse solus Episcopus omnium vrbium Christianarum, ita vt cæteri non sint Episcopi, sed Vicarij tantum illius, qui dicitur Episcopus vniuersalis, & hoc modo nomen hoc est verè prophanum sacrilegum & Antichristianum: Et de hac significatione loquitur Gregorius*, &c. *Altero modo dici potest Episcopus vniuersalis, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem; ita vt non excludat particulares Episcopos. Et hoc modo nomen hoc potest tribui Romano Pontifici.*

Patriarcha per Patriarchatũ ius non habẽt Metropoliticum.

Eâdem complexione & argumento demonstratur Patriarcharum administrationem non conferri cum administratione Pontificis Metropolitica. Asserere enim est absurdissimum, Alexandrinum Patriarcham eâdem vsum fuisse autoritate in Ægyptum, Libyam & Pentapolin, qua in specialem Prouinciam vtitur Pontifex. In Prouincia Romana præter Pontificem nullus est, nec esse potest Metropolita, cùm istius Prouinciæ iura omnia Metropolitica in Pontifice resideant. Si igitur eâdem autoritate potitus est Alexandrinus Patriarcha in vniuersum suum Patriarchatum, qua Romanus Pontifex in Prouinciam specialem, nullus fuit in vniuerso Patriarchatu Alexandrino, idem de Antiocheno dictum esto, Metropolita, sed omnes Metropolitæ puri puti fuerunt Patriarcharum Vicarij: quo nihil fingi potest tam à mente Concilij quàm à veritate ipsa magis absonum. Concilium enim atque hoc ipso canone, Metropolita-

rum priuilegia illæsa & illibata conseruari iubet: & canone sequenti, quanquam Hierosolymorum Sedem honorare satagat Synodus, *Metropoli* tamen *propriâ dignitate seruatâ*, id præstat. Tam perspicuam veritatem confertâ argumentorum acie comprobare, quid aliud est quàm soli lumen commodare? Atque vt Ægyptij trito olim ferebant prouerbio התבן הביא לעפריים, stramen in Aphraim vrbem frumenti feracissimam importare, Noctuásque maximis impensis in Atticam vehere?

Denique cum vniuersali Pontificis potestate non comparatur hoc canone Patriarchatus Ægyptiacus. Sequeretur enim eâdem potestate in Patriarchatum suum armatum fuisse Alexandrinum Episcopum, quâ Pontifex in vniuersam Ecclesiam. Sed hæc sententia non tantùm hæresin sapit, verum ἀσύστατον quid secum infert. Quî fieri potest, vt quam autoritatem Romanus Pontifex in vniuersam Ecclesiam sortitus est, eandem obtineat in Patriarchatum suum Alexandrinus Episcopus? Potestas enim Pontificis in vniuersam Ecclesiam, Alexandrinum Patriarchatum necessariò complectitur. Alexandrino igitur Patriarchæ non competit; cùm res vna & eadem vt aiunt Iurisconsulti, à duobus Dominis sub perfecto Dominio possideri non possit. Superest igitur vt quam explicauimus de huius canonis interpretatione sententiam amplectamur. Nonnulli viri doctissimi, déque Ecclesia Catholica optimè meriti, comparationem in eo canone nullam admittunt, sed quam cum omnib9 antiquis Patribus iudicamus prioris partis esse

ἀπόδοσιν, illi cauſam interpretantur: ita vt canonis ſenſus ſit, Regat Alexandrinus Epiſcopus Ægyptum Libyam & Pentapolin, quoniam ex antiqua conſuetudine ſolet Epiſcopus Romanus per Epiſcopum Alexandrinum Prouincias iſtas regere. Sed vt cætera taceam quibus impedita eſt hæc interpretatio, eâdem difficultate vrgeri videtur, qua priores duæ ſententiæ quas non admiſimus. Falſum enim eſt & inauditum duos illos primigenios Patriarchas Pontificis in ea dignitate Vicarios fuiſſe, Patriarchalem autoritatem precariò tantùm poſſediſſe. Pugnant è diametro cum hac ſententia magni Leonis Epiſtolæ quas aduerſus decretum Concilij Chalcedonenſis Byzantinum Epiſcopum cæteris Patriarchis præferentis creberrimas ſcripſit, quibus de Patriarchis longè magnificentiùs loquitur, & ſentit, quàm de precaria & Pontificis Vicaria dignitate & loqui & ſentire par erat. Pugnant præterea Gregorij Magni, aliorúmque Pontificum Epiſtolæ, has S. Petri Sedes à S. Petro fundatas laudibus & elogiis honorantes, quæ Legatis & Vicariis tribuere ridiculum videtur. Sed de re difficili & obſcura ſententiam noſtram enarraſſe, ſatis ſupèrque nobis eſt: de iudicio noſtro præiudicium nemini fieri velim.

Patriarchæ Pontificis non ſunt Vicarij.

EXERCITATIO XXX.

De Regionibus & Ecclesiis Suburbicariis.

Ruffini crassa ignorantia. Suburbani, Suburbicarij, &c. Natiua significatio. Vrbicariarum Prouinciarum à Suburbicariis distinctio. Earumdem ab Italia. Vrbicariarum numerus. Legis Cod. Theod. emendatio. Quare Suburbicariæ intra centesimum lapidum coërcitæ. Suburbicariæ Ecclesiæ quadruplices. Ægyptus quatuor modis vsurpata. Quænam specialis Alex. Patriarchæ Prouincia. De Romanæ Prouinciæ amplitudine. Ruffini tempore quo vsque latissima Suburbicarij significatio. Romanum imperium in duos orbes diuisum.

RECLAMAT hîc & tumultuatur hæreticus, Ruffini interpretationem vt Gorgonis caput, vel Ajacis septemplicem clypeum Catholicis intentans; sed post carecta latet Hæreticus, καὶ παῖς ὡς ὑπὸ μητέρα δύσκεν. Nullum est Catholicis cum Ruffino commercium: quid ille affirmet, aut quid neget, nihil nobis est curæ. Cum Anastasio I. Pontifice Epistolâ tertiâ respondeo, *Ruffinum scito*, &c. *ita haberi à nostris par-*

tibus alienum, vt quid agat, vbi ſit, neſcire cupiamus. Ipſe denique viderit vbi poſſit abſolui. Si peſſimè apud Catholicos audiit Ruffinus, nihilo meliùs apud literatos. *Ego ſcripta tua relegens*, inquit S. Hieronymus Apolog. 1. in Ruff. *quanquam interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me legere putem; tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis: Id enim in legendo patior, quod tu pateris in ſcribendo*, Ita verò, ait idem Hieronymus, Latinè, Græcéque doctus erat, vt Latinis Græcæ, Græcis verò Latinæ linguæ peritiſſimus haberetur. Neque huiúſce rei longè nobis petenda ſunt argumenta. Nam, vt cætera peccata grauiſſima quæ in canonum Nicænorum verſione peccauit, prætercam, Chorepiſcopum canone octauo, *Epiſcopi locum vacantem* ſtolidiſſimè interpretatur. Sed hoc ipſo canone qui manibus noſtris verſatur, quæ hæc eſt verborum elegantia, quodnam illud eſt in hac periodo, orationis lumen? *Et vt apud Alexandriam, & in vrbe Roma, vetuſta conſuetudo verſetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Quò referuntur hæc pronomina, ille & hic? Ad Epiſcopos procul dubio Alexandrinum & Romanum: At de iis ne γρῦ quidem præceſſit. Vt mente capti ſolitarij ſolent, cùm animi inſomniis & phantaſmatibus nemine præſente velut interrogatus colloquitur. Ruffini ignorantia nemini docto eſt incognita, quare in ea detegenda diutiùs fruſtra non immorabimur. Quid apud Ruffinum *Suburbicariarum* nomen ſonet, non magis, vt inquiratur, laborandum cenſeo, quàm quo nomine Hecubæ mater vo-

Ruffini craſſa ignorãtia.

citata fuerit, aut Achilles ille Homericus cum in muliebri habitu inter regias puellas apud Lycomedem latitaret; aut quo tono, Lydio, Phrygico, an quouis alio, odas suas Sirenes modularentur. Ne igitur vmbra asini, de qua viri doctissimi nuper operosissimè rixati sunt, nobis negotium facessat, si quid in ea sani & solidi paucissimis verbis retegamus. Sit igitur nobis tantisper Ruffinus, vt cùm Aristophane loquar, ὄνος ἄγων μυστήρια, Asinus mysteria portans.

Suburbanum, Suburbicum, Suburbicanum, Subvrbicarium eâdem potestate dicuntur: significant autem primitiuâ significatione, vt præpositionis natura postulat, quæcumque vrbi subiiciuntur, regio, prædium, locus, vectigal, &c. *Ita* Florus l. 2. c. 2. *Lucio Cornelio Scipione, quum iam Sicilia Suburbana esset populi Romani Prouincia*, &c. Ita planè Cicero initio Verrinæ quartæ, *Quoniam quasi quædam prædia populi Romani sunt vectigalia nostra, atque prouinciæ: quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini, sic populo Romano iucunda Suburbanitas est huiusce Prouinciæ.* Prouincias ait Cicero quasi quædm esse Romanorum prædia, atque sicut prædiis propinquis delectantur, sic Prouinciis, Siciliæ præcipuè Suburbanitate & seruitute; Cella enim penaria erat Reipublicæ, inquiebat Cato, & nutrix plebis Romanæ Sicilia. Ita denique euidenter Imperatores Valens, Gratianus & Valentinianus l. 13. C. Theod. de Accusat. *Referant autem de Suburbanis prouinciis Iudices ad Præfecturam Sedis Vrbanæ, de cæteris ad Præfecturam Prætorio.* Prouinciæ Suburbanæ dicuntur, quæ erant in

Suburbani & Suburbicarij natiua significatio.

Præfecturæ Vrbanæ poteſtate & Clientela, quibuſque Præfectus Vrbi ius dicebat. Eædem Prouinciæ ſeu regiones Suburbicariæ dicuntur eodẽ Cod. l.9. de an. & trib. l.12. de extraord. ſiue ſord. mun. & l. 12. de indulg. debit. Ex quibus locis præterea colligitur Regiones illas, partes, ſeu Prouincias, non tantùm præfecturæ vrbanæ ſubiectas fuiſſe, ſed etiam cenſualibus functionibus & ſubſidiis obnoxias. Ex hac natiua & primigenia Subvrbani & Subvrbicarij notione alia manauit frequentiſſima. Cùm enim quæ vicina ſunt & finitima vnicuique vrbi, in illius ſoleant eſſe poteſtate, ideo Subvrbana dicuntur regiones, pagi, vici, prædia, & omnia quæ ſunt vrbi vicina: territorium vrbis; & quilibet in territorio locus. Vnde Columella l. 7. c. 9. Subvrbanas regiones longinquis oppoſuit, *Hoc autem fit longinquis regionibus, vbi nihil niſi ſubmittere expedit. Nam Subvrbanis lactens porcus ære mutandus eſt* : Ita Varro l. 1. de re ruſtica c. 16. hortos ſub vrbe à longinquis diſtinguit. Hinc nonnunquam Subvrbanum ſubſtãtiuè eleganter dicitur locus, villa, ſeu prædium amœnum non longè ab vrbe conſitum.

A Subvrbanis, & Subvrbicariis longè differunt, Vrbana, vrbica & vrbicana; Vrbana enim & vrbica ſimpliciter dicuntur quæ ad vrbem pertinent ſiue ei ſubiiciantur, ſiue eandem poteſtatem participent, ſiue in ea nata & formata ſint, aut quomodocunque ad vrbẽ referantur. Huius ſignificationis exempla ſunt promiſcua, quæ hûc referre nihil eſt neceſſe, cùm ita ſignificare nominum poſſeſſiuorum na-

tura sit & indoles. Hinc discrimen oritur inter Vrbicarias prouincias & Suburbicarias. Vrbicariæ Prouinciæ Suburbicariis longè latiùs diffunduntur, vt rectè animaduertit Aleander Iunior, vir genere & doctrinâ clarissimus, qui omnium proximè rem vrbicariam & Suburbicariam acu tetigisse mihi videtur. *Suburbicariæ*, inquit, c. 3. differt. primæ de region. Suburb. *continebantur Vrbicariis, vt & ipsæ dici possent Vrbicariæ: at non contra Vrbicariæ omnes erant Suburbicariæ; veluti omnis quidem arrogatio, adoptio est, at non omnis adoptio dicenda est arrogatio.* Suburbicariæ Prouinciæ duæ tantùm nominatim vocantur, Tuscia & Picenum; neque omnis Tuscia, aut omne Picenum erat Suburbicarium, vtriusque enim Prouinciæ pars quædam erat annonaria. Plures tamen fuisse nemini dubium esse potest. Constat enim ex l. 13 C. Theod. de Accus. quam citauimus, Suburbanas & Suburbicarias Prouincias Præfecturâ Vrbanâ contineri, hoc est, centesimo ab vrbe lapide: Sed integrum hoc spatium Tuscia & Picenum non complectebantur. Quatuor fuisse probabiliter colligitur ex l. 1. C. Theod. de calcis coctor. Vrbicariæ longè plures fuerunt: quænam autem fuerint hac arte deprehendes.

Vrbicariarũ Prouinciarũ & Suburbicariarũ distinctio.

Vrbicariæ Prouinciæ quanquam intra Italiam latè sumptam continerentur, ab Italia tamen nonnunquam distinguuntur, vt l. vnica C. Theod. Si per ob rep. *Sinceritas tua idipsum per omnem Italiam, tum etiam per Vrbicarias, Africanásque regiones, ac per omne Illyricum prælata oraculi huius autoritate firmabit;* Et l. 9. C. Theod. de extraord. mun. *Non enim per Italiam,*

Vrbicariarũ Prouinciarũ ab Italia distinctio.

ſed etiam per Vrbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium, & emphyteuticorum fundorum vires ſeruandas eſſe perſpeximus. Inquirendum porrò eſt quænam fuerit huius diſtinctionis ratio & occaſio, hinc Vrbicariarum numerus ſponte ſua ſeſe prodet. Italiæ Diœceſis, vt Exercitatione decima ſeptima monuimus, à Conſtantino in duas ſecta partes, duobus diſtributa eſt Vicariis. Pars prior Italia dicta eſt, Prouinciáſque complexa ſeptem, *Venetiam & Iſtriam, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam & Picenum annonarium, Alpes Cottias, Rhetiam primam, & Rhetiam ſecundam*: Harum Prouinciarum Vicarius, Italiæ Vicarius vocabatur & eo nomine ab alio Vicario diſtinguebatur: Eius Sedes erat Mediolani. Italiæ pars poſterior decem Prouincias continebat, quæ à Notitia imperij, vt priores recenſentur. *Campania, Tuſcia & Vmbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, Apulia & Calabria, Brutij & Lucania, Samnium, Sardinia, Corſica, Valeria.* Qui eas ſub Præfecto P. adminiſtrabat Magiſtratus, non Italiæ, ſed Vrbis Romæ Vicarius ſalutabatur. Hanc Italicarum Prouinciarum diuiſionem ſpectantes, qui Conſtantinum ſecuti ſunt autores, ab Italia ſæpe ſecernunt Italiæ Prouincias ab Vrbis Vicario adminiſtratas, vt S. Athan. Apol. 2. & Epiſtolâ ad Solitarios, cùm Prouincias quarum Epiſcopi Synodo Sardicenſi interfuerant, enumerat. Idem obſeruatur in catalogo Epiſcoporum qui Sardicenſi Synodo ſubſcripſerunt. Si igitur me percontêris Lector, quæ Italiæ Prouinciæ intra ipſam Italiam, ab Italia ſtrictè dicta diſtinguantur? Eas ex Notitia Im-

Vrbicariarum numerus.

perij, atque huius temporis vſu reſpondebo, quæ Vrbis Vicario parebant: Si quotnam eſſent? Pari argumento decem fuiſſe colligam. Cùm igitur Imperatores legibus ſuis Italiæ Prouincias ab Vrbicariis diſtinguant, Vrbicarias decem aſſeram quæ ab Vrbis Vicario adminiſtrabantur.

Huius diſtinctionis plura ſunt argumenta. Prouinciæ quas Præfectus P. Italiæ regebat, in quatuor partes diuidebantur, quarum vnaquæque Vicarium ſortita erat. Illyrici Diœceſis, Africæ Diœceſis, & Italiæ Diœceſis in duas Secta partes, duobúſque commiſſa Vicariis, vt enarrauimus. Quidquid à Præfecto P. Italiæ regebatur, his quatuor partibus continebatur. Scribunt Imperatores Gratianus Valentinianus & Theodoſius ad Probum P. P. Italiæ, mandántque vt edictum ſuum de irritandis priuilegiis per obreptionem impetratis in Prouinciis illi ſubiectis obſeruet. Quibus verò nominibus Prouincias illas ſignificant? *Sinceritas tua idipſum per omnem Italiam, tum etiam per Vrbicarias, Africanáſque regiones, ac per omne Illyricum prælatâ huius oraculi autoritate firmabit.* Quum videas quatuor hîc partes iuxta ordinem Vicariarum Prouinciarum recenſeri, Italiám bifariam diuidi, partémque alteram Vrbicarias Prouincias conſtituere, quid aliud Vrbicariæ Prouinciæ ſonare poſſunt, quam prouincias ab Vrbis Vicario adminiſtratas? Itaque Siciliæ vocem in l. 9. C. Th. de extraord. mun. vt conſuetudini illius temporis contrariam, & à mente Imperatoris abſonam expungere non vereor: niſi malis dicere tum paulò variaſſe *Legis codicis Theodoſ. ementdatio.*

Prouinciarum ordinem ab eo qui poſtea inualuit. Lex enim nona de extraord. mun. aliam 23. annis præceſſit. Cuius rei indicium præbet Synodi Sardicenſis ſub Conſtantio, quo imperante lex illa nona lata eſt, Epiſtola ad Iulium Romanum Epiſcopum quæ inter Hilarij Fragmenta edita eſt: *Tua autem excellens prudentia diſponere debet, vt per tua ſcripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, qui in Italia ſunt fratres noſtri, quæ acta ſunt, & quæ definita, cognoſcant.* Sicilia & Sardinia cum Italia nondum coniunctæ videntur, ita vt in eius diuiſionibus, vt membra continerentur. Idem præterea coniici poteſt ex comparatione l. 7. & 14. C. Theod. de Indulg. debitorum: quæ enim lege 7. recenſentur Prouinciæ, Campania, Tuſcia, Picenum, Samnium, Apulia, Calabria, Brutij & Lucania; lege 14. Vrbicariæ dici videntur.

Si nunc quis me rogauerit, quamobrem Suburbicariæ potiſſimùm dictæ ſunt Prouinciæ intra centeſimum ab vrbe lapidem coërcitæ; cæteræ verò vltra hos fines, quæ Vicario vrbis parebant, Vrbicariæ? Ex dictis expedita eſt ſolutio. Subvrbanum & Suburbicarium ſeruitutis ad vrbem relationem & notionem ſecum neceſſariò ducunt; Vrbanum verò & Vrbicarium, quod ad vrbem quomodocúnque pertinet, ſignificant. Cùm igitur Suburbicariæ Prouinciæ ſiue quatuor, ſiue plures fuerint, ad præfecturam vrbanam pertinerent, à Magiſtratu vrbano regerentur, omnibúſque modis vrbi ſubeſſent, Suburbicariæ meritò vocatæ ſunt. Cæteræ autem ab Vrbis Vicario adminiſtratæ, Vrbicariæ tantùm dictæ ſunt, quod

Quare Suburbicaria intra centeſimum lapidem.

ab Vrbano Magiſtratu non regerentur, Vicarius enim vrbis Prouincialis erat Magiſtratus non Vrbanus; quódque vinculis longè minoribus quam Suburbicariæ vrbi eſſent obnoxiæ: eatenus enim tantùm Prouinciis cæterarum Diœceſeων P. P. Italiæ ſubditarum ſpecialiùs ad vrbem pertinebant, quatenus qui eas adminiſtrabat Vicarius in vrbe Sedem collocauerat, cuius κατ' ἐξοχὴν Vicarius nuncupabatur. Huic rationi alia accedere poteſt; Suburbanæ regiones Vrbicariis Prouinciis longè antiquiores ſunt: Cùm igitur Præfecto Vrbano Subvrbanæ regiones olim addictæ eſſent, Vicario recens creato, eius ditio, ne cum Subvrbana confunderetur, Vrbicaria vocata eſt. De Suburbicarij & Vrbicarij grammatica notione, Suburbicariarúmque Prouinciarum ab Vrbicariis diſtinctione ſatis multa: ad Suburbicarias Ruffini Eccleſias redeamus.

Sit Ruffinus hæreticus, ſit imperitus, ſtultus omnino modo non ſiet; cæcutiat quantum libuerit, Elephantum Culice longiorem & corpulentiorem modò fateatur, ſenſum commodum ex ipſius verbis exprimemus. Subvrbanum & Suburbicarium id quod vrbi ſubeſt, ſignificare diximus: cùm autem vrbs per antonomaſiam Roma vocetur, Subvrbanum & Subvrbicarium antonomaſticῶs id quod Romæ ſubeſt ſignificabit. Suburbicariæ igitur Eccleſiæ eæ ſunt, quæ Romæ ſubiiciuntur. Subiectio autem illa ad vrbem Romam quadruplici reſpectu conſiderari poteſt: Eccleſiæ enim quæ Suburbicariæ dici poſſunt, pro Suburbicariatûs reſtricta vel ampliata ſignifica- *Suburbicaria Eccleſia quadruplices.*

tione, quatuor quæ à ſeinuicem ſunt diſtinctiſſima & Pontificem ſpectant, complectuntur: Parœciam, Prouinciam, Diœceſim, & Patriarchicum orbem. Vniuerſum orbem qui Pontificali dignitati ſubeſt Suburbicarium complecti non poteſt, cùm Ruffini tempore, quod ſtatim diligentiùs expendemus, vniuerſus orbis Romanus Suburbicarius non eſſet. Eadem quatuor in vniuſcuiuſque Patriarchæ iuriſdictione ſpectari poſſunt, ſi Hieroſolymitanum excipias, qui quanquam iure Patriarchico vteretur, plures tamen Diœceſes non regebat. Quatuor igitur modis cum Pontifice comparari poſſunt Patriarchæ, vt iam notauimus; Comparatione autem non tantum vtitur Canon Nicænus, ſed eam inſtituit Ruffinus in compendiaria huius canonis verſione. Sic barbarè canonem illum effert, *Et vt apud Alexandriam & in vrbe Roma, vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Quocunque modo comparationem inſtituas, omnia quadrant, Patriarchas illos limis oculis modò ne ſpectes, homogeneáque heterogeneis non permiſceas. Suburbicariæ Eccleſiæ Parœciam maximè ſignificant: Subvrbanum enim & Subvrbicarium in ſecunda ſignificatione eſt quidquid ad vrbem proximè accedit, quo deambulandi cauſa ire, à quo redire eodem die licet, Ita Columella lib. 1. c. 1. *Nunc quoniam pleroſque noſtrum ciuilis ambitio ſæpe euocat, ac ſæpiùs detinet euocatos, ſequitur vt Subvrbanum prædium commodiſſimum eſſe putem, quo vt occupato, quotidianus excurſus facile poſt fori negotia con-*

tingat, & cap. 7. longinquos fundos vocat, in quo non est facilis excursus Patrisfamilias. Instituatur nunc comparatio. Vera est hæc propositio, Quemadmodum Episcopus Romanus Suburbicarias Ecclesias, id est, Parœciam suam regit; ita Parœciam suam regere debet Alexandrinus. Vera quidem est hæc comparatio, quod ad rem attinet, de omnibus Episcopis, nedum de Alexandrino; Ruffini tamen mentem integram assequi & complecti non videtur, eo quod Ægyptus Parœciâ Alexandrinâ longè latiùs pateat.

Ægyptum quatuor modis vsurpatam inuenimus, primò strictissimè pro Delta Ægyptiaco, quod mari Mediterraneo & fluuiis Agathodæmone & Bubastico in morem insulæ totum clauditur & continetur: Hoc Delta Ptolomæo Geographiæ, lib. 4. magnum vocatur: triplex enim Delta apud Ægyptios distinguit; ipsi præterea & vulgo hoc Delta Magnum Ægyptus inferior dicitur: Hæc Ægypti pars aliquando Ægyptus absolutè appellatur, & à cæteris Prouinciis hoc nomine distinguitur. Ita Theodoritus l. 1. c. 2. *Alexandria vrbs est amplißima, & populi multitudine refera, nec Ægypti solùm, verum etiam Thebaïdis & Libyæ, quæ Ægypto adjacent, principatum obtinens.* Ita apud S. Athanasium Apologia 2. Alexandrina Synodus, *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto Thebaïde, Libya & Pentapoli:* Epiphanius distinctissimè hæresi 68. quem supra attulimus. Ammianus denique Marcellinus l. 22. *Tres Prouincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum*

Ægyptus quatuor modis vsurpata.

ipsam , & Thebaidem & Libyam : quibus duas adiecit posteritas, ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam. Ægyptus sic sumpta specialis fuit Alexandrini Patriarchæ Prouincia : In aliis Prouinciis erant Metropolitæ plures quorum decem secum, vt assumat, Dioscorum ad Concilium profecturum hortatur Theodosius Imperator actione primâ Concilij Chalced. In ipsa Thebaïde, quæ erat Ægyptus superior, Metropolita saltem fuit Lycopolitanus Episcopus, vt ex Epiphanio hæresi 69. colligitur. Ægyptus deinde latiùs dicitur Delta simul cum Thebaïde, id est, vtraque Ægyptus, inferior & superior, quibus necessariò addendus est Marætotus Nomus Alexandriæ conterminus atque non tantum non sub eius Suburbiis, quem vt Prouinciam ab Ægypto distinctam enumerat Epiphanius. Ægyptus igitur in hac specie quinque complectitur Prouincias, Delta, Thebaïdem, Maræotum, Augustamnicam, & Arcadicam: nam duæ hæ postremæ sub Delta & Thebaïde integræ continentur. In eo sensu Ægyptus sumitur à Gelasio Cyziceno l. 2. *Alexander Alexandriæ cum Athanasio tunc Archidiacono, Ecclesiis per totam Ægyptum, Libyam & Pentapolim, & regiones finitimas vsque ad Indiæ Prouincias :* Ab Euagrio historiæ l. 3. c. 14. Sic enim Zeno Imperator Henoticum suum, seu Epistolam vnionis conciliatricem inscribit, *Zeno*, &c. *reuerendissimis Alexandriæ, Ægypti, Libyæ & Pentapolis Episcopis.* In eo denique sensu à Concilio Nicæno vsurpatur, hoc ipso canone cum ait, *Antiqui mores seruentur, qui sunt in Ægypto,*

Quanam specialis Alexandr. Patriarcha Prouincia.

Secunda Ægypti acceptio.

in Ægypto, Libya & Pentapoli, &c. Hæc Ægypti acceptio apud autores prophanos est frequentissima.

Tertiò Ægyptus latiùs adhuc sumitur, pro Diœcesi quam regebat Præfectus Augustalis, quæ, præter Prouincias iam enumeratas, Libyam vtramque vastissimas regiones, sub quibus Marmarica, Ammoniaca, & Maræotis includuntur, complectebatur. Hunc sensum Ægypto ex consuetudine ciuili istius temporis affingit Notitia imperij. *Sub dispositione*, inquit, *virorum illustrium P. P. per Orientem Diœceses infra scriptæ; Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia:* Et Ægypti, Prouincias numerans. *Ægypti sex, Libya superior: Libya inferior: Thebais: Ægyptus: Arcadia: Augustanica.* Sex autem illæ Prouinciæ Augustali Præfecto parebant, vt eadem docet Notitia. *Sub dispositione viri spectabilis Præfecti Augustalis, Prouinciæ infra scriptæ. Libya superior*, &c. vt supra. Eo sensu, cùm de Ægypti Præfectura res agitur, sæpius apud Iurisconsultos vsurpatur. Latissimè denique Ægyptus, seu potius Ægyptiaca Diœcesis, vniuersum illum orbis tractum qui Patriarchæ Alexandrino subest, significat: cuius significationis exempla nonnulla à nobis Exercitatione vndecima collecta sunt. Harum Ægypti significationum quamlibet eligas, Ruffiniana comparatio, modò eam rectè instituas, vlmósque vitibus marites, à veritate nihil discrepat. Ægyptum igitur in prima significatione vsurpauerit Ruffinus; meritò eam cum Suburbicaria Pontificis Prouincia comparauit. Verissima enim est hæc propositio, Quemadmodum Pontifex Suburbicarias Eccle-

Tertia Ægypti acceptio.

Quarta Ægypti acceptio.

ſias, id eſt, Prouinciam ſpecialem regit; Ita Alexandrinus Ægyptum, inferiorem ſcilicet, intra cuius terminos ſpecialis Alexandriæ Prouincia coërcebatur. Caue autem ne per Romanam Eccleſiaſticam Prouinciam, Præfecturam Vrbanam regionéſque κατ' ἐξοχὴν Suburbicarias dictas tantùm intelligas. Huic enim ſententiæ non tantùm Notitiæ omnes antiquæ repugnant, ſed ipſa recta ratio. Hoc enim ſi conceſſum fuerit, omnium Europæ Prouinciarum longè minima fuit Romana Prouincia; adeo vt eam plurimæ, Galliæ Germaniæ & Hiſpaniæ Parœciæ amplitudine non æquent modò, verùm etiã ſuperent. Præterea tres tantùm in Italia Conſtantini temporibus & aliquot poſt eum ſeculis commemorantur Metropolitæ, Mediolanenſis, Aquileienſis, & Rauennatenſis: quanta fuerit Mediolanenſis Prouincia, indicat Epiſcoporum Concilij Mediolanenſis catalogus poſt S. Leonis Epiſtolam quinquageſimam ſecundam. At Præfectura Vrbana cum huius Prouinciæ Eccleſiaſticæ vaſtitate comparata, non Prouinciæ, ſed Parœciæ tantùm rationem habuit. Longè ſanè reliquis Eccleſiaſticis Italiæ Prouinciis Romana fuit amplior & diffuſior: Eam longè ampliorem repræſentant nobis veteres Notitiæ, quanquam Conſtantini ætate longè ſint poſteriores. Exploratæ autem veritatis eſt, Prouincias ciuiles & Eccleſiaſticas, quo longiùs ab Auguſti temporibus diſcedimus, eo magis auctas & multiplicatas fuiſſe. Cùm igitur Notitiæ illæ à Conſtantini temporibus longiſſimè abſint, Romanam Prouinciam ante ea tempora multò ampliorem fuiſ-

De Romana Prouinciæ amplitudine.

se nemini dubium esse potest. Sed quid in re euidentissima adstruenda tempus tero? Hæc missa faciamus. Quidquid enim sit de Suburbicariis & Vrbicariis regionibus, intra quatuor regiuncularum carceres Romanam specialem Prouinciam coërcere, atque extra centesimi lapidis terminos eam exterminare, homini harum rerum mediocriter callenti, non modò ridiculum est, sed insanum propè & furiosum.

Eadem de secunda & tertia Ægypti significatione dicenda sunt, quæ de prima diximus, paria cum paribus, vt par est, modo comparentur & committantur, Prouincia cum Prouincia, Diœcesis cum Diœcesi, Patriarchatus cum Patriarchatu: hæc enim omnia Ægypti vox non secus quàm Suburbicarij significat. Quid autem absurdius quàm Prouinciam Romanam cum Diœcesi, aut Patriarchatu Ægyptiaco comparare? Præter enim rerum tam dissimilium prodigiosam commissuram, sequeretur, vt Exercitatione præcedenti demonstrauimus, in Asia & Africa nullos fuisse Metropolitas, si quam habet potestatem Pontifex in specialem suam Prouinciam, eandem haberet Alexandrinus aut Antiochênus in Patriarchatum quisque suum. Omnium autem harum interpretationum postrema scopo Ruffini maximè apposita & consentanea mihi videtur, qua Ægyptus & Suburbicariæ Ecclesiæ latissimâ significatione vsurpantur, & Patriarchatus cum Patriarchatu confertur. Hanc interpretationem tria potissimùm argumenta confirmant. Primum est canone illo sexto Nicæno de Patriarchis agi, eorúmque

Ruffini scopo quæ maximè apposita significatio.

priuilegia confirmari, vt Exercitatione præcedenti demonstrauimus: Ægyptus igitur & Suburbicariæ Ecclesiæ ex mente Ruffini Patriarchicas Diœceses significant; & cùm comparationem instituat, Patriarchatus cum Patriarchatu comparatur. Secundum est, aliquid eo canone singulare decerni & confirmari de Episcopis Alexandrinis & Antiochenis: Sed priores comparationes quanquam veræ sint, omnibus tamen Episcopis & Metropolitis ex æquo conueniunt. Sicut enim Pontifex Romanus Parœciam & Prouinciam suam administrat: ita Episcopus quilibet Parœciam suam, & Metropolita Prouinciam regere & gubernare tenetur. Hûc accedit quod secunda canonis parte de Metropolitico iure agitur, *In aliis Prouinciis, sua priuilegia, ac suæ dignitates & autoritates Ecclesiis seruentur. Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definiuit non esse Episcopum.* Priori igitur parte cum de singulis Patriarchis nominatim agatur, de Metropolitico illorum iure nihil decernitur. Tertium argumentum à maximè genuina & ad mentem Ruffini apposita Suburbicarij interpretatione desumitur. Sed res & vis argumenti paulò altiùs nobis repetenda est.

Ab Augusto Cæsare ad vsque Constantinum vniuersus orbis Suburbicarius fuit, hoc est, in vrbis Romæ potestate & moderamine. Hæc est enim prima & natiua Suburbicarij & Subvrbani notio & significatio. Nulla alia ciuitas tum temporis habuit cum

Ruffini tẽpore latissima Suburbicarij significatio.

Roma diuisum imperium : Ideo cùm Roma, Vrbs, antonomasticè ab omnibus diceretur, vt orbis dicebatur Romanus, & imperium Romanum à Græcis Romania, vt à S. Athanasio in Epist. ad solitariam vitam agentes, Epiphanio hæres. 66. sæpius & hær. 69. necnon à Possidonio vitæ S Augustini c. 30. Sic dici potuit, idem orbis Vrbicus & Vrbanus, & augustiori adhuc cum Majestate, Suburbicus, Subvrbanus, & Suburbicarius, id est, vrbi Romæ subditus & mancipatus. Postquam verò Constantinopolim condidit Constantinus, Romanum imperium biceps esse cœpit, diuisúmque imperium cum Roma Byzantium accepit: atque ab eo tempore Constantinopolis à Græcis non alio ferè nomine vocata est quàm βασιλίδος, βασιλευούσης καὶ νέας Ῥώμης, Reginæ, imperantis vrbis, & nouæ Romæ. Hæc verò imperij Romani bipertita distinctio à Constantini morte maximè enituit, cùm imperium Romanum ab eius filiis diuisum est: Postea adhuc clariùs Valentiniano & Valente fratribus imperium secundò bipertientibus. Istorum exempla secuti idem præstiterunt Valentinianus II. & Theodosius I. & Theodosij liberi Arcadius & Honorius; quibus imperantibus scribebat Ruffinus. Ab eo tempore Romanum imperium in duos orbes separatum est, Occidentalem & Orientalem; Occidentalis caput Roma fuit, Orientalis Constantinopolis, & sic sæpius istorum temporum autores locuti sunt. Claudianus Ruffini coætaneus initio carminis de bello Gildonico. *Romanũ imperium in duos orbes separatum.*

Conspirant gemini frænis communibus orbes.

Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, Romam & Constantinopolim duplices Romas vocat, vniuersi orbis faces & lampades, quarum vna soli imperat Orienti, altera Occidenti. Corippus lib. 1. de laudibus Iustini,

Omnia vectantes gemini commercia mundi

Sidonius Apollinaris carmine 2.

Salue sceptrorum columen Regina Orientis
Orbis Roma tui.

Suburbani igitur, & Suburbicarij significatio Ruffini tempore media velut sui parte multata erat. Vniuersus orbis Romanus Suburbicarius esse desierat: Nam Suburbicariatûs illa notio in Occidentem tota concesserat. Suburbicariæ itaque Ecclesiæ in amplissima sua significatione nihil aliud sunt quàm Occidentales Ecclesiæ, quæ vniuersæ Patriarchatum Romanum componunt, vt Exercitatione sexta demonstratum est. Paria igitur cum paribus congregantor, Ægyptus & Suburbicariæ Ecclesiæ in latissima significatione sumantor: Quid aliud tibi intelligendum occurret, quàm Patriarchatus vterque? Nosmet tandem colligamus. Hæc Ruffini compendiaria canonis sexti Nicæni traductio, *Vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* Huic æquipollet, quemadmodum Romanus Pontifex, vt Patriarcha, Occidentem regit; Ita Alexandrinus Ægyptiacum Patriarchatum. Habes nunc Lector, ni vehementer ego fallar, asini vmbram lumine coloratam.

EXERCITATIO XXXI.

De Vicariatu seu Primatu Senonensi.

Lugdunum Galliæ vrbs nobilissima, serò tamen Primatum obtinuit. Primates in Occidente Pontificis beneficiarij. Deferendi Primatus variæ causæ. Primatus honos quando & qua occasione Senonensi Episcopo delatus. Cuius Germaniæ Primas fuit. Autoritatis istius exercitæ argumenta. Lugdunensis Primatus institutio & amplitudo. Senonensis cum Lugdunensi de Primatu contentio. Iuo Carnutensis in Lugdunensem quare propensior. Iuonis inconstantia. Autoritatem Lugdunensis Primatis, Senonensis Prouincia limitat. Quando contentio illa penitus sopita.

MIRARIS, opinor, studiose Lector, Exercitationis istius titulum oculis lustrans, quod Lugdunensi Primate præterito, de Senonensi me verba facturum statim pollicear: Cùm inanes tituli, velut dirutæ antiquæ dignitatis rudera quædam, Senonensi Primati tantùm supersint; Lugdunensis vero Metropolita longè latéque per Gal-

liam imperet, solúsque in Gallia Metropolitis dominetur. Miraberis longè vehementiùs, si rei causam semel cognoueris. Lugdunum ab Augusto Cæsare ad nostra vsque tempora vrbs fuit totius Galliæ celeberrima: Eam Romanorum Præfectorum Emporium vocat Strabo, Prouincialium ornamentum Seneca, insignem Metropolim Ptolomæus, amplissimam & Florentissimam Antoninus, nobilissimam Gregorius Turonensis, Galliarum primam Sedem veteres nummi. Lugduni communibus Gallorum omnium votis & suffragiis, Augusto Cæsari augustissimum templum constructum & dicatum est, Aráque fuit sexaginta nationum inscriptionibus & imaginibus memorabilis, à Strabone, Liuio, Iuuenali, Suetonio, Dione, aliisque autoribus celebrata. Gallias diuisit Augustus Cæsar in partes quatuor, quartæ parti à Lugduno nomen fecit: Gallias in septemdecim Prouincias distinxit Constantinus; Lugdunensem vnicam in quatuor, aut vt aliis placet, in quinque Prouincias dissecuit, omnibúsque Lugdunum præfecit. Matiscone Concilium ante mille annos celebratur; Illûc non tantùm Episcoporum, sed etiam Metropolitarum maximus vndique numerus confluit. Lugdunensis Præsul & ante omnes Concilio subscribit, & ab omnibus Patriarcha salutatur, atque hoc honoris elogio, vt trito & vulgari, à S. Gregorio Turonensi ornatur. Anni tamen sexcenti nondum elapsi sunt cùm ex Senonensium præsulum ruinis Primatum suum ædificare, & in Metropolitas autoritaté sibi vendicare cœpit Lugdunensis Episcopus.

Lugdunũ vrbs celeberrima.

Lugdunũ serò Primatũ obtinuit.

Episcopus. Vnde factum est, sciscitaberis & merito, vt tam serò solidam Primatus dignitatem & autoritatem tantæ ciuitatis Episcopus sit consecutus? Quamobrem si non vniuersæ Galliæ, quinque saltem Lugdunensibus ab initio non præfuit? Quæ Pontifici iusta causa esse potuit, autoritatis istius tamdiu differendæ, cúmque ciuitas & ciuitatis Præsules eam, vt ex antiqua lege sibi debitam expostulare viderentur, in dies tamen, veluti si non liqueret, ampliandæ & retardandæ? Huius difficultatis fontem vt aperire, & adyta penetrare póssis paulò altiùs res nobis repetenda est.

Inter Metropolitas & Occidentis Primates ingens est discrimen. Metropoles Ecclesiasticæ instar Metropoleωn ciuilium ab Apostolis, aut Apostolicis viris primùm institutæ sunt: Itaque hic ordo vt legitimus conseruatis quas enarrauimus conditionibus ferè semper obseruatus fuit. Sed Primatum institutio & autoritas in Patriarchatu Occidentali suis nunquam stetit viribus, sed tota quanta fuit à nutu & arbitrio Romani Pontificis pependit. Primates Occidentis omnes Sedis Apostolicæ beneficiarij fuerunt: Precaria fuit hæc dignitas, eámque gratiâ tantùm & beneficio Sedis Apostolicæ Metropolitæ obtinuerunt & possederunt. Distinctionem hanc non innuit Vigilius Pontifex, sed euidenter explicat ad Arelatensem Metropolitam scribens Synodi 5. collatione septima, cúmque more Majorum Primatem & Vicarium suum constituens. *Festina*, inquit, *frater charissime, vt in sanctæ fidei sinceritate persistens Eccle-*

Primates in Occidẽte Pontifícu beneficiarij.

ſiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum Sacerdotij commiſſa eſt, vel à nobis per Apoſtolicam autoritatem vicariâ poteſtate mandatur, competenti ſolicitudine, Deo propitiante, cuſtodias, & Vicarium te Sedis noſtræ dignu Deo maniſeſtes operibus. Epiſcopi igitur, cum ſeſe Primates inſigniunt, niſi ingrati eſſe velint, hanc dignitatem Sedis Apoſtolicæ beneficio & priuilegio ſe eſſe conſecutos, profiteri tenentur. Nullus enim Metropolita ex natura ſua, de Metropolitis Collegis ſuis aut Conciliis eorum Prouincialibus, quod proprium eſt Primatum, iudicandi ſortitus eſt autoritatem. Cùm igitur res hæc arbitraria ſit, & in Pontificis prudentia, tota verſetur, Ciuitates omnes quibus hic honos delatus eſt, Sedi Apoſtolicæ gratias habendi & agendi ampliſſimas cauſas nactæ ſunt, quibus verò denegatus eſt, nullas conquerendi & expoſtulandi: Vnicuique enim iure naturæ de ſuo facere quod libuerit, licet. Autoritate iſta Pontifices pro vrgentibus Eccleſiæ Catholicæ negotiis vario tempore varias Sedes honorarunt & armarunt? In ea enim deferenda aliquando ciuitatum, nonnunquam Principum, ſæpe propagandæ fidei & rerum Eccleſiaſticarum, eſt etiam vbi certi cuiuſdam Epiſcopi rationem habuerunt. Ciuitatis rationem habuerunt in erigendo Theſſalonicenſi Primatu, Principis in Achridenſi ſeu Iuſtinianenſi, propagandæ fidei in Moguntino, rerum Eccleſiaſticarum in Arelatenſi, certi cuiuſdam Epiſcopi, S. ſcilicet Rhemigij in Rhemenſi, multarum præterea rerum quas omnes minutè inquirere & rimari velle, velut ſi è ſcrinio & ſinu Pontificum eui-

Deferendi Primatus varia cauſa.

ſcerandæ eſſent, importunum nimis eſt, ne dicam temerarium. E ſummis enim Magiſtratibus manat imperij autoritas, nos verò manet obſequij glorioſa humilitas. Vnde profectò conuincitur caducum eſſe & floccipendendum ad adſtruendam Primatus dignitatem, ex vrbis amplitudine & imperio deſumptum argumentum, quanquam eo ſolo fulti nonnulli Metropolitæ dignitatem hanc ſibi aſſerant & vendicent. Miſſo igitur hoc argumento: quod huius moris ſcientibus negotium faceſſere non poteſt, de Senonenſi Primate qui Remenſes & Moguntinenſes excepit, verba faciamus. Hinc, quod præcipuè ſcopum noſtrum ſpectat, Primates ſcilicet, quà Primates, nihil aliud egiſſe quàm vices Pontificis, euidentiſſimè confirmabitur.

Senonenſi Epiſcopo Primatus in Galliam & Germaniam delatus eſt in Pontigonenſi Concilio, quod regnante Carolo Caluo Francorum Rege, ſalutis anno 876. indictione 9. vndecimo Cal. Iulij celebratum eſt. Tanti honoris hæc data eſt occaſio. Lothario Imperatori defuncto ſucceſſit Ludouicus eius filius: Sed Ludouico ſine maſcula prole decedente, de Nepotis imperio contendunt Patrui reges, Ludouicus Germanorum, & Carolus Francorum. Anſegiſum Senonenſem Archiepiſcopum, virum doctum & impigrum, rebúſque arduis capeſſendis non imparem, Romam mittit Carolus, vt Ioannem VIII. Pontificem ſibi conciliet, & cùm eo de tanti momenti negotio tranſigat. Tantâ induſtriâ Pontificem, Italiæque Primores ſibi deuincit Anſegiſus, vt Carolus à Pontifice

Primatus quando & qua occaſione Senonẽſi delatus.

in Italiam vocatus, Romam vſque ſine ſudore & ſanguine peruenerit, ibíque ipſo Natiuitatis die anno 876. fauſtiſſimis omnium vocibus Romanorum Imperator renunciatus fuerit. Anſegiſo gratias referre, non tantùm habere voluit Imperator: Itaque eodem anno Imperatoris interceſſione Pontificiæ literæ Primatum Senonenſi Sedi deferunt. Lectæ ſunt literæ iſtæ in Concilio Pontigonenſi, frequenti ſedente Epiſcoporum corona. Auditis literis, ſi Aimonij auctario creditur, contradixerunt ferè omnes Epiſcopi; ſæpiúſque literarum iſtarum in variis ſeſſionibus iterata lectione, & Principe vrgente, atque etiamnum excandeſcēte, vix tandem, vt nouo Primati colla ſubmitterent, in animum inducere potuerunt. Reſponſis Epiſcoporum, inquit Aimonius l. 5. c. 33. *motus imperator dixit, quod Dominus Apoſtolicus ei ſuas vices commiſit in Synodo, & quod iſdem præcepit, ille exequi ſtuderet: & accepit ipſam Epiſtolam inuolutam, unà cum Ioanne Tuſcanenſi & Ioanne Aretino, & dedit illam Anſegiſo, & iuſſit ſellam plectilem poni ante omnes Epiſcopos Ciſalpini regni ſui, iuxta Ioannem Tuſcanenſem, qui ad dexteram illius ſedebat: & præcepit Anſegiſo, vt ſupergrederetur omnes ante ſe ordinatos & ſederet in eadem ſella.* Immeritò tumultuati ſunt Epiſcopi: Primatus enim honos & autoritas, vt demonſtrauimus, Metropolitarum & Epiſcoporum prærogatiuas nihil lædit, cùm eâ ſemper conditione deferatur, vt iura Metropolitica & Epiſcopalia ſarta tectáque illis conſeruentur. Nihil quod ad Epiſcopos aut Metropolitas pertineat, cùm Primatu Epiſcopum ornat, concedit

Primatus honori Metropolitico non officit.

Pontifex; sua tantum iura non aliena in ipsum transfundit. Nemo igitur hac concessione sibi iniuriam inferri iure conqueri potest. Sed ex autoritate in Senonensem Primatem collata, hoc euidentius innotescet: A potestate enim cæteris Primatibus concessa nihil est dissimilis, quinimò illam plurimùm illustrat & confirmat.

Ioannis VIII. Pontificis Primatum Ansegiso deferentis Epistola eiusmodi verba complexa est, vt l. 5. c. 33. refert Aimonij continuator, qui hanc historiam fusè narrat, à quo in Conciliorum collectionem deriuata est, *Quoties vtilitas Ecclesiastica dictauerit, siue in euocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur* Senonensis Episcopus*: Et decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerunt eius relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur: & maiora negotia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur.* Eiusdem rei testis est Odorannus Senonensis Monachus in Chronico. *Sicut Domnus Ioannes sanxit, coniubente & condecernente Domno ac gloriosissimo Carolo Imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem Senonensem Archipresulem suam vicem tenere, & Primatum Galliæ & Germaniæ contulit in euocanda Synodo, & definiendo canonicè si quæ insurrexerint necessaria, vt & quælibet grauiora ad notitiam ipsius referat, & nos vnanimi deuotione laudamus. Ita autem vt & cunctis Successoribus suis, in propria vrbe Senonica concessit, ita sancimus & decernimus.* Præterea idem autor

Ansegisi mortem notans hæc verba habet. *Anno ab incarnatione Christi 882. obiit Ansegisus venerabilis Senonum Archiepiscopus, totius Galliæ & Germaniæ Papa secundus feliciter, VII. Cal. Decembr. & sepultus est in Monasterio S. Petri. Hic Carolum Caluum vnxit in Regem, & postquam Primatum totius Galliæ obtinuit, & superna moderatione secundus Papa appellari meruit, in Synodo habita in loco qui dicitur Pontigonis*, &c. Ansegiso mortuo, eodem referente Odoranno, Epitaphium scriptum est, in quo distichum hoc insertum erat

Senonensis Episcopus, Galliæ & Germaniæ secundus Papa.

Vt Primas fieret Gallorum, Papa Ioannes
Instituit, meritis hoc tribuendo suis

De eodem Primatu sic narrat Chronicon Altissiodorense typis non ita pridem excusum. *Senonensi Ecclesiæ post Egilem præfuit Ansegisus Monachus, vir in cunctis optime agens, cuius tempore Senonensis Ecclesia magno & pacifico viguit honore. Siquidem Ioannes Papa totius ei Galliæ & Germaniæ Primatum contulit, vt esset primus post Papam, Synodúmque Præsulum euocaret, & de fortioribus quibúsque ac grauioribus iudicaret, cui resistere voluit Hincmarus Rhemorum Archiepiscopus, sed Apostolica autoritate compressus est.*

Primatus dignitate quandiu potitus.

Amplissima Primatus dignitate in vniuersam Galliam ducentis annis nemine repugnante potitus est Senonensis Metropolita. Attribuitur illi præterea à Pontifice in Germaniam autoritas, atque ideo ab eo tempore sese semper Galliæ & Germaniæ Primatem inscripsit. Sed Germania intelligenda est quæ cis Rhenum continetur, quæque Lotharij regnum à

Cui Germaniæ parti præfuit Senonēsis.

Lothario Caroli Calui nepote dicta est, cuius maximam partem mortuo Lothario sibi vendicauit Carolus. Vniuersæ enim Germaniæ transrhenanæ Ludouicus Caroli frater major natu dominabatur, qui tum cum Carolo graues inimicitias exercebat, eo quod Carolus regnum Italiæ cum imperij dignitate, Ludouico vtriusque regis nepote sine liberis defuncto, solus annuente & fauente Pontifice vsurpasset. Quidquid verò sit de mente Pontificis in ea dignitate deferenda, autoritate & imperio in Germaniam transrhenanam nunquam vsus est Senonensis Episcopus; sed in Galliam sæpissime: cuius rei multa sunt argumenta, Odorannus ipse cuius autoritate vsi sumus: *Autoritatis possessæ argumenta.* Scribebat enim regnante Roberto Francorum rege, qui Hugone patre mortuo, regnum iniit anno salutis 998. Odoranno illustre pietatis & doctrinæ testimonium perhibet chronicum Altissiodorense. Fulbertus Carnutensis Episcopus qui eâdem ætate viuebat, cuiusque sunt ad Regem Robertum plurimæ Epistolæ, Epistolam 31. quam Leutherico Senonensi Archiepiscopo mittit sic inscribit, *Patri ac Primati suo Leutherico Fulbertus Episcopus.* Plures sunt Fulberti ad Leuthericum, & Leutherici ad Fulbertum Epistolæ; sæpius in iisde Synodis celebrandis & magni momenti quæstionibus agitur; nunquam de consulendo Primate, aut relatione ad Lugdunensem Episcopum verba faciunt. Lugdunensis Primatus tum temporis in Senonensem Episcopum erat incognitus: cum enim Leuthericus Romam visitandi Syluestri II. causa, quo Remis olim familiariter vsus fue-

rat, profectus fuisset, Primatus confirmationem, vt testatur chronicon Altissiodorense, domum reportauit. Eiusdem Primatus confirmationem à Pontifice obtinuerat Seuinus Leutherici decessor, vt autor est idem Monachus. *Hic etiam Seuinus*, inquit, *Romæ per manum Ioannis Papæ Archiepiscopale pallium quo Antecessores eius infulati sunt, & Primatum Galliæ suscepit.* Sed hoc clarissimè testatur Gerbertus Rhemensis Episcopus & postea Pontifex Maximus. Præsidebat enim Seuinus seu Seguinus Senonensis Episcopus Primatis autoritate in Concilio quod anno 992. Remis in Arnulphi Archiepiscopi depositione celebratum est. Cùm enim Leo Apostolicæ Sedis Legatus in Concilio Mosomensi depositionem illam irritam esse contenderet, Arnulphúmque restitui iuberet, eo quod inconsulta Apostolica Sede depositus fuisset, Leoni respondent Gerbertus, quique Arnulphi depositioni consenserant Episcopi. *Certè Seguinus venerabilis vitæ Senonensium Archiepiscopus Domini Papæ Ioannis vices per Gallias sibi creditas innouauit, & ita à latere Apostolici cum decreto priuilegij veniens, eius vices vsque ad præsens, omnium Episcoporum Galliæ consensu prosecutus est. In huius ergo præsentia Arnulphus seipsum Sacerdotio exuit.* Hinc manifestissimè constat Exarchicam autoritatem in vniuersam Galliam Senonenses Metropolitas consentientibus vniuersis Episcopis exercuisse.

Quando nutare cœpit Senonensis Primatus.

Gregorio Septimo Sedem S. Petri moderante nutare cœpit Primatus Senonensis. Hanc dignitatem magnis studiis ambiuit Gebuinus Lugdunensis Episcopus,

ſcopus, atque vt eò Gregorium flecteret, olim deceſſoribus ſuis delatam fuiſſe multis rationibus apud eum contendebat: præcipua erat Lugdunenſium Prouinciarum multiplex diuiſio. Cùm enim Lugdunenſium prima eſſet ea, cuius Lugdunum caput erat, Gebuinus Lugduni Epiſcopus omnium ſaltem Lugdunenſium Primatum ſibi competere exiſtimabat. Eodem argumento poſt Gebuinum vſus eſt Ioannes Lugdunenſis cum de Primatu cum Senonenſi altercaretur, vt legere eſt in Epiſtola quam ad Epiſcopum Senonenſem ſcribit, quæ inter Iuonis Epiſtolas 237. inſeritur: & Iuo ipſe epiſt. 54. Lugdunenſem Eccleſiam Primatum aliquando obtinuiſſe ex catalogis ciuitatum coniicit, & Sigeberti ſupplementum his verbis euidenter. *Hæc Sedes habet Primatum ſuper tres Archiepiſcopatus: Prima enim Lugdunenſis, id eſt, Lugdunum ſuper Rhodanum: Secunda Lugdunenſis ſuper Sequanam, id eſt, Rothomagenſis: tertia Lugdunenſis ſuper Ligerim, id eſt, Turonis: quarta Lugdunenſis, id eſt, Senonis ſuper Icaniam.* Cùm igitur hoc argumentum ſimiliáque Gebuinus ad Gregorium ſeptimum referret, Primatum Lugdunenſem decreto ſuo ſanciuit. Duas hunc in finem Epiſtolas ſcripſit, vnam ad Gebuinum Lugdunenſem Epiſcopum, qua dignitatem illam illi aſſerit & confirmat, *Inclinati*, inquit l. 6. epiſt. 34. *precibus tuis confirmamus Primatum ſuper quatuor Prouincias Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ, & per eam tibi, tuiſque Succeſſoribus:* Alteram ad Archiepiſcopos Rothomagenſem, Turonenſem & Senonenſem, qua, vt Lugdunenſi Epiſcopo obſequantur, impe-

Primatus Lugdunẽſis inſtitutio & amplitudo.

rat. *Quapropter Apostolica vobis autoritate præcipimus;* ait eodem loco epist. 35. *vt sæpè dictæ Lugdunensi Ecclesiæ honorem & reuerentiam à Maioribus nostris de Ecclesiis vestris præfixam, ita vos exhibere humiliter & deuotè procuretis, quemadmodum vobis à Suffraganeis vestris reddi debere non dubitatis.* Vtraque Epistola data est Romæ 12. Cal. Majas indictione secunda, Christi annus erat 1079. Hæc est Lugdunensis Primatus origo & epoche; verbis quidem tùm temporis iactabant Lugdunenses Episcopi Primatus sui antiquitatem; sed huius antiquitatis nulla indicia, imò aduersùs hanc antiquitatis actionem omnia indicia & argumenta.

Senonensium Lugdunensi contentio. Huic nouæ Primatus creationi diu contradixit, sua priuilegia obtendens Senonensis Ecclesia; de hac contentione sic scribit Iuo Carnutensis Episcopus epist. 50. ad Richerium Senonensem. *De veteri querela quam habet aduersùs Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo & consulo, vt si qua habetis priuilegia Apostolicâ manu roborata, vel scripta authentica, quæ Primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem aliquando ex catalogis ciuitatum coniicimus extitisse, ab Ecclesia vestra remoueant, & libertatem quam desideramus eidem Ecclesiæ defendant, ea Confratribus nostris ostendant, & eam paruitati nostræ transmittatis, quibus tanquam firmis sustentaculis innitamur, & libertatem matris nostræ pro posse nostro tueamur. Quæ si modò ad manum non habetis, non est consilium meum, vt contra torrentem brachia dirigatis: Imo Apostolicis sanctionibus interim adquiescatis, sine prejudicio priuilegiorum, vel authenticarum scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subiectionem ab*

Ecclesia vestra remoueant. Propensior videtur Iuo in Lugdunensem Episcopum quàm in Senonensem, causa est in promptu. Graues inimicitiæ Iuoni intercesserant cum Richerio Senonensi Episcopo, eo quod Iuo deposito à Pontifice Gaufrido cui Richerius fauebat, Carnutensis Episcopus electus fuerat. Iuonem, quanquam iuberet Pontifex, consecrare noluit Richerius: Sed Iuo moræ impatiens, Romam ad Vrbanum II. Pontificem cui gratiosus erat profectus est, atque ab eo consecratus in Diœcesin rediit. Quâ gratiâ magis excandescens Richerius, adiunctis sibi tribus Episcopis Parisiensi, Meldensi, & Tricassino, Stampis synodum celebrauit, vt illius autoritate Iuonem veluti viuenti superordinatum deponeret. In has angustias coniectus Iuo Sedem Apostolicam appellauit, qua Episcoporum istorum conatus paululùm fregit & compressit. Sed tandem deferuescente Senonensis irâ, Episcopatu pacificè potitus est. Hæc narrant Vrbani II. Epistolæ duæ, quæ Iuonis Epistolis præferuntur, & Iuonis ad Richerium Epistola octaua, & ad Vrbanum duodecima. Extant Gregorij septimi Epistolæ ad Richerium Senonensem Episcopum in causa Aurelianensis Episcopi; sed in iis de Primatu Lugdunensi nullum adhuc vestigium. Sicut & in causa quæ agitur, nondum planè explorata erat Lugdunensis Primatis autoritas: consecrationem enim recusante Senonensi Metropolitâ, ad Lugdunensem confugisset Iuo. Sed in tota hac contentione de Lugdunensi ne verbum quidem.

Quare Iuo Carnutensis propensior in Lugdunensem.

Primatum Lugdunensem confirmauit Hugoni *Lugdunē-*

sis Primatus confirmatio. Lugdunensi Episcopo delegata ad tempus per vniuersam Galliam Pontificis autoritas. Gregorius septimus eum hac autoritate primus ornauit, & post Gregorium Septimum, Vrbanus Secundus, vt testatur Iuonis epist. 24. ad ipsum Hugonem, *Audiui Domnum Vrbanum Apostolicum Legationem Apostolicam tuæ credidisse caritati, qua laudabiliter functus es tempore Prædecessoris sui beatæ memoriæ Papæ Gregorij. Audiui & lætatus sum*, &c. Hac autoritate ornatus & armatus Hugo generale Gallicanorum Præsulum Concilium celebrauit anno 1094. de quo hæc Bertholdus, *In Galliarum ciuitate, quam Ostionem vulgariter dicunt, congregatum est generale Concilium à venerando Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, cùm Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus diuersarum Prouinciarum* 17. *Cal. Nou. In quo Concilio renouata est excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apostolicæ Inuasorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eo quod viuente vxore sua alteram superinduxit.* Anno sequente ab officio suspensus est Hugo, eo quod ad Placentinam Synodum ab Vrbano euocatus non venisset: pro cuius restitutione ad Paschalem 2. scripsit Iuo Epistolam centesimam nonam. Multa alia hoc nomine in Galliis egit Hugo: Sed ad causam nostram hoc maximè pertinet, quod Richerio mortuo cùm Daimbertus in eius locum à Clero Senonensi electus esset, Iuóque vt electum consecraret inuitatus, ne hoc fieret prohibuit, quod anteà de hac electione nihil ei rela-

tum fuisset, vt autor est Iuo epist. 59.

Hîc notanda est Iuonis inconstantia, quandiu Richerius vixit, in detrimentum Sedis Senonensis, cuius erat Suffraganeus, Ecclesiæ Lugdunensis Primatum promouere & confirmare adnixus est: Richerio, cui erat infensus, defuncto, sententiam protinus mutauit, iugúmque Lugdunense ægerrimè tulit. Cùm enim Carnutensis Sedes Senonensis Prouinciæ prima habeatur, Senonensi Prouinciâ Galliarum Primatum moderante, Carnutensis Episcopus more Græcorum, Galliæ πρωτόθρονος meritò dici poterat. Senonensi verò depresso & capite minuto, Carnutensem deprimi necesse erat. Hoc sensit Iuo, damnúmque quod sibi accersiuerat, auertere, sed serò nimis, conatus est. Scripsit igitur ad Hugonem modestè epist. 59. priuilegium hoc sese ignorare, literisque Hugonis primùm didicisse, interim à Senonensis Metropolitæ consecratione sese abstenturum spondet. Sed Epistola sequente ad eum indignabundus scribit, multis Pontificum testimoniis canones antiquos violari non posse probat, eos verò Hugonem violasse non obscurè insimulat, *Parciùs*, inquit, *de cætero nos Apostolicæ autoritatis obedientiâ vinculis adstringatis, ne humeris nostris importabilia imponendo, in inobedientiam labi, prohibente aliqua impoßibilitate, vel imperante aliqua neceßitate faciatis.* Et post multa, *miramur cur priuatis legibus & nouis traditionibus veteres traditiones & consuetudines remouere contenditis, præcipiendo vt Senonensis electus ante consecrationẽ suam vobis præsentetur, & iure Primatus vestri subiectionem & obe-*

Iuonis inconstãtia.

dientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi Prouincia, nec in aliis Prouinciis antiquitas instituit, nec consuetudo seruauit. Hac verborum libertate ita offendit Iuo Lugdunensem Episcopum, vt de eo apud Vrbanum Pontificem conquestus fuerit, necesséque habuerit Iuo epist. 67. crimen hoc eluere.

Sed tandem veluti victus tendere palmas cogitur Senonésis Episcopus. Hugoni enim Lugdunensi suffectus Ioannes quanquam speciali Legatione per Gallias Pontificis Vicarius non esset, Primatus tamen dignitatem mordicùs retinuit, & amplificare pro viribus tentauit. Senonensis quoque Prouincia cum Lugdunensi de Primatu non ampliùs contendere visa est, sed de Primatus priuilegiis & prærogatiuis. Cùm enim Ioannes Daimbertum Senonensem Episcopum ad Synodum vocasset, Daimbertus atque eius Suffraganei Ioanni ita rescribunt, vt Primatum quidem & προεδρίαν Lugdunensi concedere videantur, Primatus tamen autoritatem angustis admodum limitibus definiant & constringant. Primatum enim magni momenti priuilegia duo à se remouent: Synodos scilicet pro arbitrio conuocandi autoritatem, Episcopósque alienæ Prouinciæ confirmandi prærogatiuam. Vnicum hoc illi concedunt, contentionum quæ in propria Prouincia dirimi non possunt, appellatione interposita in Synodo cognitionem. Sic apud Iuonem epist. 236. Daimbertus Senonensísque Prouinciæ Episcopi, Lugdunensi Episcopo qui eos ad Concilium vocauerat, rescribunt, *Nusquam hoc seruare consueuit antiquitas, vt primæ Sedis Episcopus, Epi-*

Lugdunẽsis autoritatem Senonẽses limitant.

ſcopos extra Prouinciam poſitos inuitaret ad Concilium; niſi hoc aut Apoſtolica Sedes imperaret, aut vna de Prouincialibus Eccleſiis pro cauſis quas intra Prouinciam terminare non poterat, primæ Sedis audientiam appellaret. Et paulò poſt, ſententiâ ſuâ teſtimoniis quibuſdam confirmatâ concludunt, *Ita demum iudicium Epiſcoporum ad Primates eſſe referendum, ſi ad eorum audientiam fuerit appellatum.* Vt eò vſque Lugdunenſi morem gereret Senonēſis, ab Iuone cùm inaugurаretur, perſuaſus fuerat: Hoc enim Iuo, vt Daimberti conſecrandi licentiam impetraret, Lugdunenſi Epiſcopo ſpoponderat, vt Iuo ipſe teſtatur Epiſtolâ ſexageſimâ. *Si huic petitioni noſtræ adquieueritis, conſecrato omni ſtudio perſuadebimus, vt Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ recognoſcat, vobis ſicut Primati ſuo deferat, & omnem debitam reuerentiam ſecundum traditiones Patrum exhibeat.* Cùm igitur Daimbertus hoc promiſiſſet conſecrandus, ſtrictiſſimè interpretari, quàm prorſus denegare maluit conſecratus.

Ab eo tempore maximè effulſit in Gallia Lugdunenſis Primatus. *Inter Eccleſias Galliæ*, ait S. Bernardus epiſt. 174. *conſtat profectò Lugdunenſem hactenus præeminuiſſe ſicut dignitate Sedis, ſic honeſtis ſtudiis & laudabilibus inſtitutis.* De Petro Lugdunenſi Epiſcopo longè magnificentius loquitur Petrus Venerabilis l. 2. epiſt. 2. Primatem enim eum & Patriarcham appellat, *non tantum populo majorem, ſed etiam ipſorum principum principem* exiſtimat. Guillelmus Brito, qui Bernardo & Petro Venerabili quinquaginta annis poſterior fuit, dignitatem illam ex diffuſiſſi-

ma celeberrimæ vrbis fama plurimùm amplificat Philippidos l. 12.

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat
Vt fama est Primate regi, causásque referre
Difficiles, &c.

Quanquam autoritatem illam longè plus æquo Brito exaggeret, suo tamen tempore plurimùm imminutam fuisse non obscurè innuit. Tantum enim abest vt in vniuersam Galliam Primatu potitus aliquando fuerit Lugdunensis Episcopus, sicut poëticâ licentiâ fabulatur Brito, vt qui Daimberto successerunt Senonenses Episcopi, nonnisi ægerrimè autoritatem in Prouinciam suam ei concesserint. Interdicto tandem non ante multa tempora Carolus Borbonius Lugdunensis Episcopus apud Senatum Parisiensem egit cum Ludouico de Melun Senonensi Metropolita. Sed Ludouico rerum diuinarum longè magis quam forensium fraudum perito vadimonium deserente, Primatus vindiciæ, vt refert Tauellus, Lugdunensi datæ sunt. Obiit Ludouicus ille anno 1474. Atque ab hoc tempore in hunc vsque diem fiduciariâ possessione nemine contradicente Primatu gaudet Lugdunensis Episcopus.

Lugdunēsis contentio cū Senonensi quādo sopita.

EXER-

EXERCITATIO XXXII.

De Hiſpalenſium, Toletanorum & Carthaginenſium Pontificum Vicariatu ſeu Primatu.

Simplicius & Hormiſda PP. Primatum Hiſpalenſi deferunt. Quando Hiſpalenſis cum Toletano contentio nata eſt. Toletano Primatus aſſeritur. Quando extinctus, quando recuperatus. De Primatu Tarraconenſi & Compoſtellano. Omnis Primas Pontificis Vicarius. Primatis Carthaginenſis in Africam autoritas. Omnium Primatum antiquiſſimus. A quo Primatum conſecutus. Pallium obtinuit. De jure Pallij.

PAVCVLA, lector, quæ de Primatibus nobis animaduerſa ſuperſunt, hac vnica Exercitatione breuiſſimè abſoluemus. Metropolitas longè plures Primatum atque etiam Patriarcharum nomen obtendere, & oſtentare non ignoramus. Sed præter eos quos enarramus, alios Epiſcopos Metropolitis imperaſſe, integráſque Diœceſes rexiſſe, nullâ certâ coniecturâ nobis liquet: Imò liquet maximam iſtorum partem Exarchicam autoritatem nunquam vſurpaſſe, ſed Primatum nomen caſ-

ſum & exangue inaniter tantùm iactaſſe. De eiuſmodi Primatum genere nihil ſcribere nobis propoſitum fuit. Habent fortè Primates illi in archiuis ſuis, quæ nos latent, dignitatis ſuæ argumenta & monumenta: Sed nos ea ſolùm quæ cognoſcimus, eloquimur. Ab Hiſpaniæ Primatibus exordium faciemus. Hiſpaniæ Primas primus occurrit Hiſpalenſis Epiſcopus: Illi vices ſuas mandat Simplicius 1. Pontifex epiſt. 1. ad eum datâ. *Talibus idcirco gloriantes iudiciis, congruum duximus, Vicariâ Sedis noſtræ, te autoritate fulciri, cuius vigore munitus, Apoſtolicæ institutionis decreta, vel ſanctorum terminos Patrum nullo modo tranſcendi permittas.* Eccleſiam Chriſtianam regere cœpit Simplicius, anno partæ ſalutis 467. Ante hoc tempus Primates in Hiſpania Metropolitis Præfectos me legiſſe non memini. Eandem Vicariatus authoritatem annis poſt Simplicium circiter quinquaginta Salluſtio Hiſpalenſi Epiſcopo âſſeruit & confirmauit Epiſt. 26. Hormiſda Pontifex. *Vices*, inquit, *noſtras per Bæticam, Luſitaniámque Prouincias, ſaluis priuilegiis, quæ Metropolitanis Epiſcopis decreuit antiquitas, præſenti tibi autoritate committimus, augentes tuam huius participatione miniſterij dignitatem, releuantes noſtras eiuſdem remedio diſpenſationis excubias, &c.* poſtea pluribus docet Pontifex, quænam iſtâ dignitatis acceſſione ipſi competat autoritas. Aliis hæc Epiſtola ſexageſima prima, aliis ſeptima numeratur. Hac Vicariatus autoritate gaudebat S. Leander qui concilio tertio Toletano interfuit: vtrumque teſtatur S. Iſidorus l. 2. Chron. *Interfuit tunc*, inquit, *Primas ille Catholicus & Orthodoxus Leander Hi-*

Hiſpalenſis quãdo Primatus defertur.

ſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrina perſpicuus. Vnde loco mouenda eſt Leandri ſubſcriptio in eodem concilio; ad primam enim ſedem attrahenda eſt, quæ in tertiam deprimitur. Pari iure primus ſubſcribit in concilio Toletano quarto S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, quanquam adeſſent Metropolitæ, Narbonenſis, Emeritenſis, & Toletanus. In ſequentibus aliquot conciliis ordo peruertitur; neque enim Hiſpalenſis, neque Toletanus ſubſcriptionum duces ſunt, ſed Emeritenſis, cui tamen Eccleſiæ Hiſpanicæ Primatus nunquam delatus eſt; in concilio verò ſexto Toletano, Narbonenſis, ne mendas irrepſiſſe dubites.

In Conciliis Tolet. Subſcriptiones emendādæ.

Primatus dignitatem repugnante nemine conſeruauit Hiſpalenſis ſedes ad tempora vſque Cindaſiunthi Regis, & Concilij Toletani ſeptimi, hoc eſt, ad æram 684. Tum enim Archiepiſcopus Toletanus, cum quo paulò ante Carthaginienſis Epiſcopus de Prouincia contenderat, qui in Concilio Tolet. 3. Carpetaniæ Prouinciæ Metropolitam tantùm ſeſe inſcripſerat, quique Carthaginienſem Prouinciam integram Gundemari Regis decreto, viginti quatuor annis tantùm ante Concil. 7. Tolet. obtinuerat, Sedis regiæ throno ſuperbè elatus, negotium Hiſpalenſi Primati Sedis Apoſtolicæ Vicario de Primatu faceſſit. Tandem adnitentibus Gothorum regibus in Concilio Toletano 12. & ærâ 719. ſiue Chriſti 681. magna ex parte voti compos fit Toletanus Archiepiſcopus: ita enim c. 6. decernitur. *Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, vt ſaluo priuilegio vniuſcuiuſ-*

Hiſpalēſis cum Toletano contentio.

Toletano Primatus aſſeritur.

que Prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque regalis potestas elegerit, & iam dicti Toletani Episcopi iudicio dignos esse probauerit, in quibuslibet Prouinciis, in decedentium Sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores, sic tamen, vt quisquis fuerit ille ordinatus, post ordinationis suæ tempus infra trium mensium spatium proprij Metropolitani præsentiam visurus accedat, &c. Ita autem breui tempore inualuit autoritas ista, vt duodecim post hoc Concilium annis de Primatu Toletano nihil ampliùs ambigeretur. Deposito enim Sisberto Episcopo Toletano in Concilio decimo sexto, totius Concilii suffragiis in illius Sedem Felix Hispalensis Episcopus sufficitur. Ne autem existimes Hispanos Episcopos nimiùm sibi tribuentes hanc autoritatem in Toletanum Episcopum contulisse, Cindasuinthus rex, cuius mors hoc Concilium præcessit, priuilegium istud à Pontifice impetrauerat, vt autor est Rodericus l. 2. c. 21. *Iste à Romano Pontifice obtinuit priuilegium, vt secundum beneplacitum Pontificum, Hispanorum Primatia dignitas esset Toleti.*

Ab eo tempore Conciliis Hispaniæ generalibus præfuit Archiepiscopus Toletanus, sed breui tempore recèns sibi collata dignitate lætatus est. Tertio enim & tricesimo ab eo Concilio anno Gothicum regnum euersum est, Hispaniáque vniuersa, præter montana aliquot prærupta, in Saracenorum manus deuênit, eorúmque furore pessumdata est. Gemuit verò Toletum sub Barbarorum iugo 368. annis, quorum 150. reliquiæ Christianorum in ea Prouincia sine

Episcopo, sine duce, sine Rectore, miserè palatæ sunt. Recuperatâ tandem Toleto ab Alphonso sexto, Primatus quoque ei ab Vrbano secundo restitutus est. Cui decreto cùm obniteretur Tarraconensis Archiepiscopus, ad eum Epistolam scripsit Vrbanus Pontifex, cuius fragmentum refert Garsias annotat. in Gundemari regis decretum: Istius Epistolæ hæc verba te notare velim. *Memineris tamen ita te Archiepiscopum constitutum, vt tam tu, quàm vniuersi Prouinciæ Tarraconensis Episcopi, Toletano tanquam Primati debeatis esse subiecti*, &c. *Nunc autem multo ampliùs, quia nostræ solicitudinis vices in Hispania vniuersa, & Narbonensi prouincia ministrandas iniunximus.* Similiter cùm Calixtus II. Compostellanum Episcopum non tantum Metropolitam, sed etiam Primatem crearet, pluresque Prouincias ei diuideret, Sedis Apostolicæ in Prouinciis Emeritensi & Bracarensi Legatum instituit, vt refert eodem loco idem Garsias. Altissimè enim hærebat antiquitùs in omnium Occidentalium animis, dignitatem omnem Ecclesiasticam Metropoliticâ maiorem, puram putam esse Sedis Apostolicæ Vicariam, ita vt Metropolita in Metropolitas autoritatem nisi à Pontifice delegatus sese obtinere non crederet. Primatibus Hispaniæ adnumerandus videtur Tarraconensis Episcopus: Illi enim vices suas epist. 24. commisit Hormisda Pontifex. Sed temporaria videtur fuisse delegatio, & priuatis quibusdam finibus descripta, non vniuersalis & perpetua: Ita enim illam restringit Pontifex, *Remuneramus solicitudinem tuam, & seruatis priuilegiis Me-*

Primatũ Toletanus recuperat.

Compostellanus Primas.

Omnis Primas Pontificis Vicarius.

tropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, vt inspectis istis, siue ea quæ ad canones pertinent, siue ea, quæ à nobis sunt nuper mandata, seruentur, &c.

Primatis Carthagin. in Africā autoritas.

De Primate Chartaginiensi res est notior quàm vt probatione indigeat. In vniuersos Africanarum sex Prouinciarum Episcopos autoritate potiebatur maxima, cuius præcipua capita referuntur can. 19. 52. 58. 60. 73. Concilij Africani: Cunctarum enim in Africa Ecclesiarum curam gerebat, vt de se testatur Aurelianus in Concil. Carthag. 3. c 45. Quod autem de aliis Primatibus & Vicariis dictum est, Metropolitas, cæteróſque Prouinciarum suarum Episcopos, aut ordinasse, aut confirmasse, de Primate Chartagin. maximè & antiquissimè verum est; Singulos Africæ Episcopos aut ordinabat ille aut confirmabat, vt Numidius Episcopus refert in Concil. Afric. c. 12. *Fuit semper hæc licentia huic Sedi, vt vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinaret Episcopum.* Et eodem canone Epigonius, *Tibi non potestatem damus, sed tuam assignamus, vt liceat voluntati tuæ, semper tenere quem voles, vt præpositos plebibus vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & vnde voles.* Ideò Valerius Hipponensis Episcopus, cùm Augustinum Collegam sibi adsciscere statuisset, Carthaginensis Primatis autoritate id sibi præstandum esse existimauit, vt Possidius in S. Augustini vita hoc enarrat. *Egit secretis literis apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatísque grauitatem, & obsecrans,*

vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui sua cathedra non iam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, satagens rescripto impetrauit.

Carthag. nouū priuilegium Iustinianus non concessit.

Nullum igitur nouum priuilegium Carthaginiensi Episcopo Iustinianus concessit, cùm Carthaginea à Vandalis recuperata eam de nomine suo Iustinianam appellauit. Ius enim quod Episcopo Iustinianæ primæ contulerat, Carthaginiensi contulit: ita enim loquitur Nou. 131. c. 4. postquam de Iustiniana prima verba fecit. *Simili quoque modo ius Pontificis quod Episcopo Iustinianæ Carthaginis Africanæ ciuitatis dedimus, ex quo Deus hanc nobis restituit, seruari iubemus*. Malè vertit Interpres, *Africanæ ciuitatis*, cùm Græcè scripserit Imperator, τῆς Ἀφρικῆς Διοικήσεως, *Episcopum Africanæ Diœcesis*. Iure autem isto καὶ ἀρχιερωσύνης δικαίῳ, quo post Iustiniani rescriptum, Vigiliíque Pontificis decretum vsus est Iustinianæ primæ Archiepiscopus, ante Iustinianum annis 160. Carthaginiensem Primatem in vniuersam Africam vsum esse demonstrauimus. Omnium Primatum antiquissimus est Africanus, ille nouum quendam orbem inhabitans, omnium semper autoritatem ἀδιεκπερικωτέραν obtinuit. Quo verò iure hanc in Primates Africanos Iurisdictionem consecutus est? Eodem planè quo cæteri Primates, autoritate scilicet à Pontifice Romano ita mutuatâ, vt locum vicémque eius fungeretur. Carthaginiensi Episcopo ius idem Pontificiū, quod Iustinianeo, concessit Imperator: Iustinianeus verò Archiepiscopus locum vicésque gerebat Pontificis.

Carthaginensis Primatus antiquitas.

Quo iure Primas fuit Carthaginēsis.

Carthaginienſis igitur, Imperatoris ſaltem de mente & propoſito, τοποτηρητὴς, vt loquuntur Græca Concilia, & Romani Pontificis erat Vicarius. Hinc eſt quod Pontifices iuriſdictionem ablatam pro viribus illi reſtituere conantur, vt Agapetus ſcripſit epiſt. 3. ad Reparatum Epiſc. Carthag. *Vniuerſa præterea, quæ inimicorum peruerſitas inuaſerat, caritati tuæ Metropolitana iura reparantes hortamur, vt ea quæ tuo vel aliorum nomine reſcripſimus, vniuerſis debeas ea innoteſcere.* Euidentiùs longè innuit idem Leo 9. epiſt. quartâ contentionem Carthaginienſis cum Gummitano componens. *Rectè,* inquit, *contra Gummitanum Epiſcopum, dignitatem Carthaginenſis Eccleſiæ defendiſtis; quia ſine dubio poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus, nec pro aliquo Epiſcopo in tota Africa poteſt perdere priuilegium ſemel ſuſceptum à ſancta Romana & Apoſtolica Sede.* Et paulò poſt: *Cætera ſicut & alij Epiſcopi Africani, Concilio Carthaginenſis Archiepiſcopi aget, qui ſolus in Africa Pallium ab Apoſtolica Sede habere ſolet: vnde & Epiſcopos conſecrandi principale & antiquum ius retinet.* Autoritate Pontificis compoſitam & extinctam fuiſſe controuerſiam iſtam, ex Epiſtolis Gregorij VII. quæ l. 1. & 3. ad Cyriacum Carthaginenſem Epiſcopum, nonnullóſque alios ſcribuntur, facilè colligitur.

Honos Pallij Carthaginenſi delatus.

Vnde igitur Carthaginienſi Epiſcopos conſecrandi autoritas? Ex eo certè quod Pallio à Pontificibus de more donaretur, qua Pallij inueſtiturâ Vicariatus deferebatur. Solis enim Vicariis & Primatibus

Pallij olim ornamentum, vt Vicariæ autoritatis insi- *De Iure Pallij.*
gne, cōferebatur. Postea Metropolitis αὐτεξουσίοις, & à Primatis iugo liberis concessum est, vt esset illis libertatis & αὐτεξουσίας tessera & indicium. Deinde Archiepiscopis omnibus ius idem factum. Episcopi etiam complures à Pontificibus hoc honorifico Pallio donati sunt, quo priuilegio Comprouinciales omnes Episcopos honore anteibant, primámque post Metropolitam Sedem in Prouincia occupabant; cùm cæteri omnes ex antiqua Ecclesiæ consuetudine in consessu ordinationis tempus obseruarent. Idem honos Pallij prærogatiuâ illis deferebatur, quem antiquissimi Patres Episcopo Hierosolymitano antequam Patriarcha crearetur, detulerunt; quémque Metropolitæ illi honorarij, qui in Concilio Chalcedonensi instituti sunt, obtinuerunt. Pallium denique ipsi Patriarchæ ambiuerunt. Patriarchas intelligo summos illos Christianorum Pontifices, non minutulos quosdam Primates quales fert plures sola Italia, qui tantùm tenues sunt Metropolitæ, è potestate tamen Primatis liberati. Summi, inquam, illi Patriarchæ Pallium à Pontifice aliquando expostularunt, & impetrarunt, atque Pallij impetratione, illud Patriarchatus sui Metropolitis deferendi ius & autoritatem acceperunt. A testimoniis quæ hæc probant nunc supersedemus, ne nouam scribendi materiem sectantes, iam decurso stadio à calce ad carceres reuocemur.

Laus Deo, Virginique Mariæ.

EXERCITATIONVM

ECCLESIASTICARVM

LIBER SECVNDVS.

DE

ANTIQVA ET PRIMIGENIA

CENSVRARVM,

IN CLERICOS NATVRA ET PRAXI.

EXERCITATIO I.

De Communione Christiana.

Communionem & excommunicationem natura docuit. Peccata venialia & mortalia ex Platone. Communionis Christianæ origo & modus. Laica & Ecclesiastica. Laicæ quinque gradus. Ecclesiasticæ octo. Numerantur ordine antegrado vel retrogrado. Excommunicationis Laicæ quinque gradus, Ecclesiasticæ innumeri. Omnes Censuræ Ecclesiasticæ, excommunicationes dictæ.

PRÆCLARE, atque ex alta profundáque sapientia pronuntiat S. Augustinus l. 19. contra Faust. c. 11. *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines posse, nisi aliquo signaculorum vel Sacramento-*

rum visibilium consortio colligantur. Hanc consuetudinem populi, Résque publicæ omnes à Philosophis traditam non acceperunt, sed cum vita & spiritu haustam legibus suis expresserunt: hanc eos non ratio docuit, aut complexionum Philosophicarum persuasit acumen; sed rationem præuênit natura, complexiones omnes, Philosophorúmque Pallium & supercilium anteuertit huius lucis vsura. Ex hac naturæ προλήψει, & rationis occupatione, velut è perenni fonte dimanarunt ritus, cerimoniæ, mysteriáque omnia quibus religio omnis ethnica temperata est. Neque enim religione vlla homines inter se deuinciri possunt, nisi Sacramentis & Symbolis quibusdam initiati à prophanis, Mystæ ab Epoptis distinguantur. Hoc testantur nationum omnium mores, cùm nulla sit tanta barbarie obsita, tanta immanitate efferata, quæ hoc ipsum moribus suis non profiteatur. Quemadmodum enim qui militiæ nomen dederunt, cingulo, balteo, tesserísque quibusdam insigniuntur, queis vt socij & commilitones ab hostibus aut exploratoribus sese discernunt: Ita qui Deo nomen dederunt, mysteriis & signis quibusdam, quæ sint commilitij & reciprocæ communionis pignora & synthemata, mutuæque amicitiæ & beneuolentiæ monumenta, cùm Deo & inter sese religari, & veluti concrescere & coagulari necesse est. Præterea non secùs ac milites perduellionis, aliúsve criminis rei, cinguli, chlamidis, cæterorúmque militarium insignium detractione exautorabantur; sic qui scelerum grauissimorum conscij erant apud omnes gentes à sa-

Communionem & excommunicationē natura docuit.

cris procul abigebantur, ne eorum contagione Symmystæ polluerentur: Neque à ſacris modò, verùm aliquando ab omni prophano commercio; ita vt cum cæteris hominibus ὁμωρόφιοι καὶ ὁμοτράπεζοι, ſub eodem tecto & in eadem menſa, vt loquitur Syneſius epiſt. 58. viuere prohiberentur. Vnde Euripedes in Oreſte.

> Ἔδοξε δ' Ἄργει τῷδε, μήθ' ἡμᾶς στέγαις,
> Μὴ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα.
> Μητροκτονοῦντας.

Hanc diſciplinam & communionis ſinceritatem, vt cæteros populos prætercam, Druides, vt autor eſt Cæſar l. 6. de bello Gall. rigidè obſeruabant: *Si quis aut priuatus*, inquit, *aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab ijs omnes diſcedunt, aditum eorum ſermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.*

Hinc ſuperſtitioſæ apud gentes ſcelerum expiationes, Luſtrationes, Februationes; quarum cerimoniarum minutias Antiquarij non minus ſolicitè, quàm faſtidioſè perſequuntur. Quædam verò erant crimina quorum ſcelus tam erat immane & nefandum, vt ex eorum ſententia nullis piaculis expiari aut elui poſſet. Itaque qui horum conſcientiâ tenebantur, inexorabili anathemate perculſi, perpetuæque execrationi deuoti, à myſteriis gentium procul ſemper exulabant. Hanc doctrinam Plato in Phædro &

in Gorgia, Platonici, pluréſque alij tradiderunt. Peccata enim in ἰάσιμα καὶ ἀνίατα, ſiue vt loquitur Plutarchus in quæſt. Rom. ἀνήκεστα, hoc eſt, in mortalia & venialia, ſeu potius in placabilia & implacabilia diuidebant: Poſterioribus ſacrorum communio nunquam reſtituebatur; Prioribus verò poſt ſacrificia, libamenta, luſtrationéſve quaſdam, excommunicatione ſoluta, ad myſteria aditus patebat. Eiuſmodi erat olim apud nonnullos Chriſtianos peccatorum diſcrimen: quibuſdam enim vt Lapſis, Homicidis & Mœchis, neque in fine, vt canones Eliberitani loquuntur, communio præſtabatur; ſed excommunicatione laxata, quæ ex præcepto Eccleſiæ nunquam fuit perpetua, perpetuæ erant addicti pœnitentiæ, vt eruditiſſimè probat reuerendiſſimus Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis Obſeruat. l. 2. Cæteris pro clementia & prudentia Epiſcoporum iuxta canones variè diſpenſatâ pœnitentiâ, venia tandem indulgebatur. Sed hiſce immorari nec nobis vacat, nec ad rem noſtram confert.

Peccata mortalia & venialia Ethnici docuerunt.

Excommunicatio nunquam fuit perpetua.

Verùm quam in ſuperſtitionibus mutuam communionem, & ſacram Sodalitatem adumbrarunt Ethnici, eam in myſteriis expreſſerunt Chriſtiani. Communionis enim virtutem & efficaciam ſublimiori longè & diuiniori menſura dimetiuntur: Eam ab habitudine & relatione ad communicationem corporis Chriſti totam repetebant. Communionis Chriſtianæ τὸ τέλειον καὶ τὸ ἀγαθόν, vt loquuntur Patres, Baſil. ad Amphil. c. 4. 22. & alus, Ancyr. Concil. c. 4. 5. 6. *perfectum & bonum*, ſummus apex & coronis,

Cõmunionis Chriſtianæ origo & modus.

Laicis quidem eſt corporis Chriſti participatio, Clericis verò vel cum participatione confectio; vel cum eadem participatione ſacrum ad confectionem miniſteriū. Euchariſtia igitur omnis communionis Chriſtianæ fons eſt, à quo omnia communionum genera veluti riuuli ſcaturiunt: Sol, cuius radij pro medij opacitate fracti aut reflexi communionem aut intendunt aut remittunt: Centrū, à quo affinitatis & conſanguinitatis religioſæ lineæ omnes ducuntur: Radix & arbor, à qua fraternitatis fibræ omnes pullulant, & rami ſuccreſcunt: Milliarium aureum, à quo omnis cum Deo propinquitas aut diſtantia numeratur: Polus, à quo vniuerſa charitatis altitudo, ſiue latitudo diffunditur. Primus Meridianus, à quo ſpei Catholicæ longitudo extenditur, & Chriſtianorum ἀπορρήτου θεώσεως, *arcanæ deificationis*, vt ſæpius loquitur S. Dionyſius, myſterium initiatur & perficitur. Denique, vt paucis multa complectar, ab Euchariſtia incipit, & in Euchariſtiam deſinit omnis Chriſtianorum communio & fraternitas.

Duplex autem eſt Chriſtianorum circa Euchariſtiam σχέσις & affectio, ſiue relatio; vna in corpus Chriſti, altera ad corpus Chriſti; in corpus Chriſti conficiendum, & ad corpus Chriſti ſuſcipiendum: Illa eſt actiua, hæc paſſiua: Illa poteſtatis eſt & majeſtatis, hæc amoris & beneuolentiæ: Illa perfectis conuenit, hæc perficiendis: Illa ad Sacrificium ſpectat, hæc ad Sacramentum. Quà enim Euchariſtia Deum reſpicit cui offertur, Sacrificium eſt; Quà homines quibus in eſum conceditur, Sacramentum eſt. Hinc *Duplex Chriſtianorum ad Euchariſtiam relatio.*

bifariàm ſcinditur Chriſtianæ communionis vnitas, & velut è cunabulis bifida ſurgit. Nam cùm populi partes ſint pati, inſtitui, nutriri, obſequi, perfici; Cleri verò agere, docere, ſacrificare, imperare, perficere, duplex ſtatim exoritur Chriſtianorum com-

Cõmunio Chriſtiana, Laica & Eccleſiaſtica.

munio, Laica vna, Eccleſiaſtica altera. Laica, quà populus mutuò & ſecum, & cum Eccleſiaſticis, vt perficiatur, communicat: cuius communicationis terminus & conſummatio ius eſt percipiendæ Euchariſtiæ, cætera omnia in hunc ſcopum vt media in finem ſupremum deſtinantur. Eccleſiaſtica verò Laicam ſupponit, ſeu potius, vt ſuperioris ordinis, Laicæ dignitatem eminenter continet. Eccleſiaſtica igitur communio ea eſt, quam Eccleſiaſtici in Sacrificij miniſterio & inter ſe exercent.

Huius diſtinctionis, præterquam quod è reipſa ſponte conſurgit, apud Antiquos creberrimus eſt vſus. *Si quis Metropolitanus*, &c. *cum Celeſtio ſenſit aut ſenſerit, is aduerſus ſuæ prouinciæ Epiſcopos nihil penitùs agere poteſt*, πάσης Ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς Συνόδου ἐκβεβλημένος, *Omni Eccleſiaſtica communione abhinc iam à Synodo eiectus*. Eph. Conc. c. I. Verba ſequentia quæ ſit Eccleſiaſtica communio euidenter docent, καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων, *& ad nullum officium exercendum idoneus*. Depoſitionem Antiocheni Patriarchæ iiſdem verbis enunciat idem Concilium in exemplo relat. ad Imper. miſſæ, Concil. parte 2. inter epiſt. Catholic. *Ipſum Apoſtatici Conciliabuli autorem, & reliquos qui cum eo ſunt, ab omni Eccleſiaſtica communione alienos eſſe cenſuit*. Quid porro

hoc ſit

hoc sit statim explicat, *omnémque Sacerdotalem functionem ipsis ademit.* Et similibus Nestorij depositionem part. 2. act. 3. Cæciliani Archiepiscopi Carthaginensis sententia absolutoria à Melchiade Pontifice cum octodecim celeberrimis Episcopis iudicante, sic lata est, *Cùm constiterit Cæcilianum, &c. nec à Donato conuictum esse in aliqua parte, suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo.* Optat. l. 1. Hanc communionem in annum suspēdit Concil. Aurel. 5. c. 17. *Quod si patuerit Episcopum ipsum contra iustitiam fatigatum, is qui eum iniusta interpellatione pulsauit, anni spatio à communione Ecclesiastica suspendatur.* Pœnam eandem quosdam Episcopos meruisse ait Gelas. I. epist. 13. ad Episc. Dardaniæ: *Secundùm canones fuerant ab Ecclesiastica communione pellendi, quod se passi sunt successores viuis Sacerdotibus adhiberi.* Si quis Clericus communione Ecclesiastica absolutè priuabatur siue excommunicabatur, ad eum nullus Clericus migrabat, *Si quis Laicus abstinetur, ad hunc, vel ad domum eius, vel Clericorum, vel religiosorum nullus accedat. Similiter & Clericus si abstinetur, à Clericis deuitetur.* Rigidius est Concilij Arelatensis 2. decretum aduersùs Episcopos can. 30. *Secundùm instituta seniorum, si à communione Sacerdotali fuerit autoritate suspensus Episcopus, hunc non solùm à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.* Expressiùs aliquando distinctio hæc ob oculos proponitur, cùm scilicet vtriusque communionis mentio habetur, & Clericus ab Ecclesiastica ejectus ad Laicam damna-

tur, vtramque disertissimè explicat Optat. Mileuit. l. 7. de quodam Machario verba faciens, quem Episcopi munere aduersùs Donatistas functum non esse contendit: *Communionis*, inquit, *vnum est nomen, sed diuersi sunt actus. Aliud est communicare Episcopum cum Episcopo, & aliud communicare Laicum cum Episcopo:* postquam autem hanc hypothesin præmisit, munera Episcopalia Machario attributa non fuisse sic demonstrat: *Nec Episcopus fuit, nec in officio Episcopali versatus est, nec manum alicui imposuit, nec Sacrificium obtulit, vnde cum constet eum alienum fuisse ab Episcoporum actibus, nullus Episcopus, ab eo qui cum Episcopis non obtulit, videtur esse pollutus. Restat vt dicatis eum cum populo communicasse.* Ab eo non dissentit S. Basilius ad Amphiloc. c. 3. & 32. *Diaconus post Diaconatum fornicatus à Diaconatu quidem eiicietur, in Laicorum autem locum extrusus, à communione non arcebitur.* Siricius ad Episc. Tarracon. c. 11. *Quisquis sanè Clericus aut viduam aut certè secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, Laica tantùm sibi communione concessa.* Et Turon. Conc. 2. can. 20. *Si inuentus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, &c. annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni Officio Clericali, inter Laicos se obseruare cognoscat.* Plura de verborũ istorum potestate, *Laica cõmunio*, cum de depositione agemus: tum enim quid sit Clericum ad Laicam communionem redigi, Laica communione tantùm in fine frui, & ne in fine quidem, multis exemplis docebimus. Tanta verò est Laicæ communionis ab Ecclesiastica diffe-

rentia, vt Clericum cum Laico conferens S. Basilius Laicum his verbis descripserit c. 55. *Qui se latronibus aduersos obiiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, à boni communione arcentur: si sint autem Clerici, à gradu deponuntur*: Laicum igitur esse, & extra Ecclesiam S. Basilio paria sunt.

Communionis Laicæ quinque sunt gradus, inter quos hic est ordo & habitus, vt posterior priorem complectatur, postremus omnes; ita vt infimus sit debilissimus, supremus omnium arctissimus. Gradus istos his verbis efferunt Græci, προσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις, μέθεξις, hoc est, *fletus*, *auditio*, *substratio*, *consistentia*, & quæ dicitur per antonomasiam *communicatio seu participatio*. Vnde in Conciliis tam Græcis quàm Latinis, & antiquissimis autoribus, præcipuè Græcis, frequenter commemorantur; Flentes, Audientes, Substrati, qui propriè sunt Pœnitentes, Consistentes seu precibus communicantes, & Fideles. Communionis autem Ecclesiasticæ octo sunt gradus, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum. Qui supra Episcopos constituti sunt, Metropolitæ, Primates, Patriarchæ, Pontifices, dignitates sunt quæ potestatem non habent ampliorem ordinis, sed tantùm iurisdictionis. Quò respexit Optatus lib. 1. cùm *Diaconos in tertio, Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos, Episcopos verò omnium dixit apices & principes*. In gradibus his Ecclesiasticis idem est ordo qui in Laicis; posterior priorem, postremus omnes supponit: Verùm ex necessi-

Cõmunionis Laicæ quinque gradus.

Cõmunionis Ecclesiasticæ octo gradus.

tate præcepti, vt aiunt, non ex necessitate medij. Solus Episcopatus Presbyteratum necessitate medij & naturâ suâ complectitur. Qui igitur tremulo & tenuissimo filo cum Sacerdotio cohæret, Ostiarius est; qui firmissimo & arctissimo, Episcopus.

Vtriusque cõmunionis gradus duplici ordine numerantur. Vtriusque communionis gradus duplici ordine computari debent, vel antegrado vel retrogrado, hoc est, vel ascendendo ab infimis ad supremos, vel descendendo à supremis ad infimos. Duplici isto respectu oppositam induunt rationem, oppositósque pariunt effectus. Si enim antegrederis & ascendas, communionis siue Laicæ siue Ecclesiasticæ colliges gradus; excommunicationis verò si retrograderis & descendas. Cùm enim excommunicatio ex notatione nominis, nihil aliud sit quàm communionis priuatio, quot sunt communionis gradus, tot erunt & excommunicationis. Obseruandum est autem in explicatione excommunicationis contrariam communioni ineundam esse rationem. Communionis gradus ita inter se affici diximus, vt posterior priorem semper includat: Contraria est excommunicationis ratio; posterior enim gradus priorem semper excludit. Quinque igitur sunt ex vi descensus & retrogradæ methodi excommunicationis Laicæ seu species seu gradus. Consistentia, qua peccator ab Eucharistiæ communione remouetur. Substratio, qua non tantùm à communione Eucharistiæ, sed etiam à conspectu, omníque Sacrificio & precum Liturgicarum præsentia & consortio arcetur. Auditio, qua non tantùm istis priuilegiis, sed etiam omni manuum

impositione & expiatoria deprecatione & benedictione multatur. Fletus, quo præter hæc omnia extra Ecclesiam eliminatur. Quotquot extra fletum vagantur, fulgure excommunicationis maximæ contriti sunt, ab Ecclesia velut fuci & vespæ fugati & eiurati, non secùs quàm Ethnici & publicani, nullo cum ea vinculo connectuntur. Fletus igitur leuiculum est vinculum, seu potius tenuissimum filium, quo Christiani cum Ecclesia deuinciri possunt; quo semel dissecto, aut abrupto, nulla amplius cum Ecclesia communio superest. Hoc vinculum per absolutionem ab excommunicatione maxima redintegratur & restringitur, quam nemini vnquam animam agenti, eámque imploranti Ecclesia denegauit. Prima enim actio in extrema excommunicatione notatos, cùm reditum ad Ecclesiam seriò efflagitant, est vinculi excommunicationis dissolutio, quam statim consequitur pœnitentiæ impositio, & aliqualis cum corpore Christi connexio. Nam in benè valentibus ex vsu antiquo duæ istæ propositiones æquipollent, excommunicationem maximam soluere, & pœnitentiam imponere. De hisce communionum & excommunicationum generibus in præsentiarum nihil agemus, quanquam materia sit nobis ex longa meditatione parabilis, iámque magna ex parte in commentarios nostros digesta. Sæpiùs quidem erit nostra legentibus istarum rerum cognitio necessaria, præsertim cum de Clericorum excommunicatione quæstio vertetur, sed illam à Reuerendissimi Episcopi Aurelianensis Obseruationibus re-

Extra fletus ordinē nulla Ecclesiæ communio.

petent, qui primus hæc mysteria confidenter aperuit, & doctissimè penetrauit. Aliàs fortè cum otio constantiore gaudebimus, quæ hac in causa nobis nondum euulgata videntur, aut ab aliis malè enarrata, publicæ vtilitati non inuidebimus.

Quæ de ordine antegrado & retrogrado in communione Laica diximus, eadem in communione Ecclesiastica, vt omnes communionis & excommunicationis species colligantur, repetenda sunt. Cui in hoc studio περιεργεῖν & superuacanea vti diligentia libuerit, infiniti propemodum occurrent excommunicationis Ecclesiasticæ ordines. Tria enim in Clericis spectanda sunt, exercitium ordinis, consessus & beneficium, & præter hæc in Episcopis iurisdictio. Respectu solius exercitij ordinis, vt Philosophicè loquar, excommunicationis Ecclesiasticæ variationes triginta sex sunt possibiles. Si per tria illa quæ reliqua sunt multiplicentur, combinentur & distinguantur, quis erit excommunicationum modus? Quæ præcipua sunt, vt in omni nostro scriptionis genere cæteris omissis enarrabimus, ne cætera minutè consectantes συλλαβοπεδαπλαζονται & verborum aucupes audiamus. Neque verò in rerum præcipuarum illustratione obuia quæque congerere fert animus: animaduersa enim adnotare, & exercitationes Ecclesiasticas edere, non libros scribere & doctrinam αὐτάρκη, & vndequaque perfectam tradere instituimus. Antequam hoc caput concludam adnotatum velim, quas diximus excommunicationes Ecclesiasticas, antiquos autores promiscuè Excommunicationes vo-

Ecclesiastica communionis innumeri gradus.

Omnes Censuræ Excõmunicationes dictæ.

casse; & Suspensiones, si temporariæ erant; & Depositiones, si perpetuæ. Apud Græcos enim, ἀφορίζεσθαι & ἀκοινώνητον εἶναι, vt apud Latinos Abstineri & Excommunicari indifferenter de Laicis dicuntur, cùm excommunicantur, & de Clericis cum Suspenduntur aut Deponuntur. Sed verbis vsu quotidiano magis tritis vtemur, ne obsoleta vsurpantes, quæ antiquissima sunt recèns excogitata videantur. Excommunicationem igitur temporariam ab officio clericali, Suspensionem; perpetuam verò vocabimus Depositionem: Excommunicationem autem simpliciter & absolutè, qua Clericus non tantùm ab officio clericali, sed etiam à fidelium consortio eiicietur. Ad hæc tria capita Censuræ, pœnæque omnes Clericis inflictæ reuocantur.

EXERCITATIO II.

De Nomine Suspensionis.

Hostes Ecclesia mansuetudine debellat. Censurarum numerus colligitur. Nominis antiquus vsus. Illius periphrasis. Quibus verbis Græci illud enuntiant.

ECCLESIAM suam Dominus noster agnis modò comparat, modò columbæ, animantium omnium mansuetissimis; quibus fortitudinis, armorúmque omnium vice,

Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν,
Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων,

patientiam tantùm & mansuetudinem concessisse natura videtur. Ita Christus armorum omnium, telorumque loco, mansuetudine, patientiâ atque in iniuriis & persecutionibus ἀπαθείᾳ Ecclesiam suam muniuit atque vallauit. *Inimicos debellat Ecclesia*, ait S. August. in Psal. 131. *Sed quomodo debellat? Mansuetudine. Mansuetudine enim ipse rex noster vicit Diabolum. Sæuiebat ille, sufferebat iste. Victus est qui sæuiebat, vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine corpus Christi quod est Ecclesia vincit inimicos.* Hanc in calamitatibus animi constantiam ridentibus, & infamiæ notantibus Ethnicis, zelo sanè Christiano & diuino gloria-

Hostes Ecclesia mãsuetudine debellat.

gloriabundus Tertullianus ſic inſultat Apolog. c. 50. *Vicimus cum occidimur, licet nunc Sarmentitios & Semiaxiarios appelletis, quia ad ſtipitem dimidij axis reuincti ſarmentorum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus.*

Exarmatæ huic manſuetudini non repugnant arma imò fulmina quibus terribilis incedit Eccleſia; arma quæ animum feriunt non corpus; fulmina quæ corpus & animam in æternas tenebras præcipitant. Manſuetudine enim & laborum tolerantiâ Ethnicos & Alienigenas vincit, ſibíque deuincit: Armis verò & fulminibus filios rebelles debellat, & ad fræna parére cogit. Autoritatem iſtam eſſe penes Eccleſiam cùm multa probent, tum iſtud maximè. Res enim omnes ita à natura comparatæ ſunt, vt quæ deſiderandi facultatem, perſequendi quoque & conſequendi vires ſortitæ ſint: Quod niſi factum eſſet rebus fruſtra vim, virtutémque natura indidiſſet. Quo argumento ex concupiſcibili animæ parte iraſcibilem colligit Ariſtoteles. Irâ enim animantibus opus eſt, qua ad ea quæ concupiſcunt ſectanda excitentur, atque ad omnia impedimenta auertenda & eliminanda armentur. Concupiſcentia alioquin naturalis non inanis tantùm eſſet, ſed moleſta & pernicioſa. Cùm igitur leges condere poſſit Eccleſia, déque eo nullus ambigat, delinquentes pœnis coërcendi autoritatem à Deo conſecutam eſſe quis ambigat? Inermis autoritas non autoritas dicenda eſt, ſed autoritatis larua vmbratilis & vanum terriculamentum.

Filios Eccleſia parenis caſtigat.

Pœnæ autem Cenſuræque omnes quibus Clerici

Cenſurarũ numerus.

delinquentes notantur, ad tria vniuerſalia capita reuocari poſſunt, quæ ſeorſim poſtea in varias ſpecies digeruntur. Duplex enim eſt, vt docuimus Exercitatione præcedenti, Clericorum ad Sacramentum Euchariſtiæ relatio; ad illud conficiendum, & ad illud ſuſcipiendum: vtriúſque igitur reſpectu puniri poſſunt. Prioris dupliciter, vel ad tempus vel in perpetuum. Si illud, Suſpenſio dicitur: Si hoc, Depoſitio. Poſterior nomen vnicum vniuerſis ſpeciebus commune ſortita eſt, atque Excommunicatio nuncupata, quæ omnes pœnitentiæ gradus ambitu ſuo continet. Cenſurarum igitur Eccleſiaſticarum tria ſunt genera, Suſpenſio, Depoſitio & Excommunicatio. De ſingulis obſeruata quædam antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis diiudicanda & expungenda elucubrauimus. A Suſpenſione, quæ pœnarum minima eſt, exordium faciemus.

Nominis antiquus vſus. Suſpenſionis nomine vtuntur autores qui poſterioribus ſeculis, quinto, ſexto, & ſequentibus ſcripſerunt. *Memoratæ perſonæ ab honore vel officio ſuſcepto, iuxta arbitrium ſui Pontificis ſuſpendantur:* Aurelian. Conc. 5. can. 5. Et c. 17. *à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur.* Felix II. epiſt. 2. *Ne à communione ſuſpendatur cui crimen intenditur niſi*, &c. Sæpius tamen periphraſi eundem ſenſum explicant, addita temporis limitatione, vt à Depoſitione Suſpenſio diſtinguatur. *Si quis Epiſcoporum, eius qui ordinatur, conditionem ſciens, tranſgredi per ordinationem indebitam fortaſſe voluerit, anni ſpatio Miſſas facere non præſumat:* Aurel. 3. c. 25. *Tandiu à Sacrificando ceſſabit, quan-*

diu legitima pœnitentiæ ſatisfactione correctus ad gradus ſui officium redeat quem amiſit: Bracar. 3. c. 1. *Tanto tempore ab officio remoueantur*, &c.. Tolet. 13. c. 11. *Tribus menſibus ab officio ſuo ſequeſtretur:* Aurel. 3. c. 2. ſimilia paſſim occurrunt. Chriſtiani tamen autores qui hæc ſecula præceſſerunt, Suſpenſum frequentiùs Abſtentũ & Suſpendi, Abſtineri dicebant, & ex Concilio Eliberitano, Cypriano, aliiſque eiuſdem notæ opuſculis colligere eſt: de quo verbo mox plura. Græci non ſecus ac Latini hanc Cenſuram cum periphraſi nonnunquam enunciant, frequens eſt παύεσθαι τοῦ Κλήρου, *ceſſare à Clero:* Nic. 1. c. 2. vel ἱερατικῆς λειτουργίας, *à ſacro miniſterio:* Trull. c. 3. ab ea εἴργεσθαι, ἐπιτέμνεσθαι, κωλύειν, arceri, abſcindi, prohiberi, ἐνιαυτὸν ἀργεῖν dixit Baſil. ad Amphil. c. 69. Sed vocabulum proprium, & velut τεχνικὸν, quo vtuntur, eſt, ἀφορίζεσθαι, *ſegregari, ſuſpendi*, vnde ἀφορισμὸς Suſpenſio. Verùm quoniam huius verbi ἀφορίζεσθαι apud Græcos, vt *abſtinere*, apud Latinos notiones multiplices ſunt, de ambobus ſequentem Exercitationem inſtituemus. *Suſpenſionem quibus verbis Græci enuntiant.*

EXERCITATIO III.

De triplici τοῦ ἀφορίζεσθαι, & Abstinendi Ecclesiastica significatione.

Ἀφορίζεσθαι de Laicis dictum quosuis pœnitentiæ gradus amplectitur. Quare nulla graduum pœnitentiæ in canonibus Apostolicis, aliisque mentio. Quo tempore Auditio cœperit apud Græcos & Latinos. Qui Audientes apud Tertullianum & Cyprianum. Ἀφορισμὸς καθαιρέσει *comparatus quid. Monachi sicut Laici Clericis opponuntur. Quatuor tantùm pœnarum genera in canon. Apostolicis.* ἀφορίζειν *de Clericis dictum, quando Suspendere, quando Excommunicare significat. Verbi Abstinendi varia significata apud antiquos.*

APVD Ecclesiasticos autores antiquos, pro triplici hominum differentia, triplicem huius verbi ἀφορίζεσθαι, *segregari*, significationem animaduerto. Laici enim & Clerici ἀφορίζεσθαι dicuntur: Clerici verò dupliciter, vel ante, vel post Depositionem. Cùm de Laicis dicitur, Excommunicationem significat, non maximam illam, qua pecca-

tor non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouetur, vt loquitur Tertull. c. 4. de Pudicitia: sed minorem, qua in pœnitentium classes & stationes ablegatur, quæcúnque tandem illæ sint, Consistentia, Substratio, Auditio. Ἀφορισμὸς enim cùm de Laicis dicitur, quosuis amplectitur pœnitentiæ gradus, vt disciplinæ ipsius ratio euincit, & can. 4. S. Basilij ad Amphiloc. conuincit. *Consuetudinem*, inquit, *accepimus*, ἐπὶ τῶν τριγάμων πενταετίας ἀφορισμὸν, *in trigamis quinquennij separationem*, postea tempus illud sic dispensat. *Oportet*, inquit, *eos auditione dignari duobus vel tribus annis, & postea permitti quidem consistere, à boni tamen communione abstinere.* Idem arguit eiusdem Sancti can. 2. & Trull. 94.

Ἀφορισμὸς de Laicis quosuis Pœnitẽtiæ gradus significat.

Hinc lucis aliquid quæstioni non contemnendæ suboritur. Quamobrem in canonibus Apostolicis, in opusculis Dionysij & Petri Alexandrinorum, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, aliorúmque, nulla graduum pœnitentiæ fit diserta mentio, cùm graduum illorum distinctionem ex Gregorio Taumaturgo, Conciliis Ancyrano, Neocæsaræensi & Nicæno primo constet esse antiquissimam? Ratio est in promptu: verbum istud ἀφορίζεσθαι quo vtuntur canones Apostolici, idem de Trullanis dictum esto, omnes pœnitentiæ gradus promiscuè complectitur; illorum verò distinctionem & specialem distributionem Episcoporum prudentiæ moderandam committunt. Ideò non tantùm gradus, sed ne tempus quidẽ Pœnitentiæ aut Suspensionis vllomodo præscribunt, vt can. 13. 14. ἀφοριζέσθω, *Suspendatur & qui*

Quare nulla graduum Pœnit. in canon Apostolicis aliisque mentio.

excepit, & qui exceptus est. Sin autem est suspensus eius intendatur Suspensio. Intensionis autem limites credunt Episcoporum arbitrio: quam autoritatem Nicæni ipsi Patres, etsi sæpe pœnitentiarum gradibus & durationi modum imponant, in ipsos tamen conferunt Episcopos, can. 12. *In his autem omnibus examinare conuenit consilium & speciem Pœnitentiæ. Quicúnque enim, & metu, & lacrymis, & tolerantiâ, & bonis operibus, conuersionem & opere & habitu ostendunt, hi impleto Auditionis tempore quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Episcopo humanius aliquid de eis statuere.* Similiter & Laodic. c. 2. Trull. c. vltimo, Concil. Carthag. Græcum c. 46. plures collegit Photius in Nomocan. Tit. 9. c. 38. Ante hos omnes S. Cyprianus epist. 61. ad Pomponium. *Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, & ideò æstimato iusto tempore, postea exomologesi facta ad Ecclesiam redeat.* Æstimationis autem istius modum tempúsque non præscribit, sed Episcoporum cuique hoc integrum relinquit: Posteà tamen cùm hac autoritate variè vterentur Episcopi, pœnitentiales canones à Conciliis editi sunt, vt esset vna forma iudicandi.

Pœnarum Eccles. dispensatio Episcopis credita.

Appendicem his addam coniecturam meâ sententiâ non improbabilem, ne dicam demonstrationem certissimam. Auditionem scilicet primo & secundo seculo Pœnitentiæ genus non fuisse, tertio demum seculo in eam naturam degenerasse. Hoc

Quando Auditio cœpit esse Pœnitẽtia genus.

vt clariùs animo capiatur sic explico. Auditio & Audientes Latinis autoribus latiùs patent quàm Græcis, ἀκρόασις & ἀκροώμενοι, quanquam ex vsu grammatico, eadem ferè sit vocis Græcæ & Latinæ potestas. Græcis enim ἀκροώμενοι dicuntur soli Pœnitentes: Latinis verò Audientes sunt, & Pœnitentes, & Catechumeni. Quà Audientes respiciunt & significant Catechumenos, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis originem ducunt; Auditióque fuit locus ad portam Dominici Catechumenis destinatus, qui Græcis vulgò νάρθηξ dicebatur, à Gregorio Taumaturgo ad finem Epistolæ canonicæ, & à Zonara in 4. can. Ancyr. & 11. 12. Nicæn. 1. explicatus. Quà verò Pœnitentes significant, ante tertium seculum non innotuerunt. De ἀκροωμένοις enim seu Audientibus hoc sensu, in canonibus Apostolicis, constitutionibus Clementis, fragmentis Antiquorum apud Eusebium, operibus Cypriani, Tertulliani, cæterorúmque autorum Græcorum & Latinorum altissimum est silentium. Primus Auditionis, aliarúmque distinctionum meminit Gregorius Taumaturgus in Epistola sua canonica, quam ne adulterinam dicas, ante mille annos Concil. in Trullo can. 2. approbauit, & inter canonica & authentica Patrum scripta reposuit. Audientium meminerunt Tertullianus Gregorio maior & Cyprianus eius æqualis: Sed illis Audientes sunt Catechumeni, non Pœnitentes, vt ex Tertull. constat c. 6. de Pœnitentia: Audientes enim baptizatis opponit: *An alius est intinctus Christus, alius Audientibus*, &c. *Itaque Audientes optare intinctio-*

Qui dicuntur Audientes apud Tertull. & Cyprianum.

nem, nom præſumere oportet, idem eſt verborum S. Cypriani ſenſus epiſt. 13. & 24. Latini tardiùs Auditionem vt Pœnitentiæ genus admiſerunt. Nullum eſt enim pœnæ iſtius in Concilio Eliberatino veſtigium, in Conciliis quoque Africanis & Hiſpanicis vix ac ne vix quidem apparet. Triplici peccatorum generi triplices tantum pœnas opponebant, velut triplici nodo triplicem cuneum. Si leue erat peccatum, ad Conſiſtentiam; Si graue, ad Subſtratos, qui exquiſitè Pœnitentes dicuntur; Si grauiſſimum, extra Eccleſiam relegabantur. Quanquam hæc artis & diſciplinæ nomina non vſurparent, idem tamen ſignificantibus vtebantur, quibus alludebat Tertull. Apolog. c. 39. cùm Excommunicationem ſic deſcripſit, *Summum futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus & omnis ſancti commercij relegatur:* Et Petrus Alexandr. c. 8. cùm communicationis virtutem & efficaciam his verbis complectitur: *Æquum eſt*, &c. *eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis & ſanguinis, & ſermonis adhortatione.* Plura facile eſt addere, ſed in immenſum creſcit πάρεργον iſtud, filum itaque abruptum retexamus.

Quid ἀφορισμὸς καθαιρέσει ſeparatim Ἀφορισμὸς καθαιρέσει comparatus, id eſt, excommunicatio cum depoſitione, ita ferè ſemper infliguntur, vt crimen quod in Clericis Depoſitione, in Laicis ἀφορισμῷ ſeu Excommunicatione puniatur, Apoſtol. c. 31. *Si quis Presbyter contempto proprio Epiſcopo ſeorſim collectas egerit*, &c. καθαιρείσθω, *deponitor, Laici verò* ἀφοριζέσθωσαν *excommunicantor*. can. 64. *Si*

Clericus

Clericus diem dominicum aut sabbatum ieiunus duxerit, καθαιρείσθω, *deponitor; Si Laicus*, ἀφοριζέσθω, *Excommunicator*. ita can. 63. & 84. & alibi sæpius. Eâdem distinctione frequentissimâ vtuntur Patres in Trullo, vt can. 11. 55. 59. 65. 67. 77. 80. 81. &c. eam aliis verbis clariùs explicat Concil. Ephes. c. 6. *Si Episcopi vel Clerici, à proprio gradu omnino excidant; Si verò Laici excommunicentur*, ἀκοινωνήτους ὑπάρχειν. Nihil est igitur aliud Laicum ἀφορίζεσθαι, segregari, quàm excommunicari; excommunicari verò quàm ad Pœnitentiam redigi. Duo porrò obseruatione, & quæ hîc inserantur digna sunt. Prius, Monachos cum Laicis eodem genere pœnæ & ordine affici & inuolui, Clericísque similiter opponi, sicut enim dicitur, *Si Clerici, deponantur, Si verò Laici excommunicentur*, ἀφοριζέσθωσαν; ita sæpè eodémque modo Monachi Laicis annumerantur, & à Clericis distinguuntur. Si verò Monachi vel Laici, ἀφοριζέσθωσαν, *excommunicentur seu segregentur*, vt Concil. Chalced. can. 2. & 8. *Si quis autem sequester & intercessor adeò turpibus & nefariis lucris apparuerit, hic quoque si sit quidem Clericus, proprio gradu excidat: Si sit autem Laicus vel Monachus, anathematizetur*. Trull. 82. Nicæn. 2. c. 13. Iulius Pontifex epist. 1. contra Orient. ante med. Leo I. epist. 62. Posterius, in canonibus præcipuè Apostolicis Clericos quatuor tantùm pœnarum generibus affici, Laicos duobus, quarum hic est ordo & gradatio: ἀφορισμὸς, καθαίρεσις, καθαίρεσις καὶ ἀφορισμὸς, ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐκκοπὴ καὶ ἀποβολὴ παντοδαπή, *Suspensio, Depositio, Depositio & Excommunicatio, omnimoda denique*

Monachi sicut Laici Clericis opponuntur.

ab Ecclesia eiectio & excisio. Duabus posterioribus tantùm puniuntur Laici, cùm priorum sint incapaces. Testimoniorum quibus hæc colliguntur repetitionem cùm sequentia sæpius efflagitent, præposterè hîc petentur.

Secunda τοῦ ἀφορισμοῦ significatio.

Secunda τοῦ ἀφορισμοῦ significatio, Suspensio est. Quoties enim de Clericis ante depositionem dicitur, communione Eucharisticâ concessâ, suspensionem ab officio significat, vt euidenter quæ sequuntur exempla demonstrant. *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus, qui cum hæreticis comprecatus est,* μόνον ἀφοριζέσθω, *solùm segregetur. Sin autem eis tanquam Clericis aliquid operari permiserit, deponatur:* Apost. c. 45. *Episcopus vel Presbyter, qui Cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet,* ἀφοριζέσθω, *segregetur: Et si in socordia perseueret,* καθαιρείσθω, *deponatur:* Apost. c. 58. similia c. 5. & 59. & Trull. c. 13. 99. & alibi. Hoc vnicum addam, quia ad rem maximè facit: *Si quis Clericus Episcopum contumeliâ affecerit,* καθαιρείσθω, *deponatur:* Apost. c. 55. Canone verò sequente: *Si quis Clericus Presbyterum vel Diaconum contumeliâ affecerit,* ἀφοριζέσθω, *segregetur.* ita can. 8. & 16. Est igitur ἀφορισμὸς pœna grauis, sed καθαιρέσεως, seu Depositione minor. Quo verò nomine conuenientius quàm Suspensionis indigitabimus pœnam grauem Clericis inflictam, depositione tamen minorem? Quoties igitur de Clerico absolutè legis ἀφοριζέσθω, quod vertere solent, *Segregetur* vel *Excommunicetur*, Suspensionem ab officio intelligito, & à communione Ecclesiastica segregationem, & excommunicationem.

Hoc clarissimè ex can. 18. Conc. Ancyr. euincitur: *Si qui constituti Episcopi, & ab illa parochia in quam nominati fuerint, non suscepti, alias velint parochias inuadere, & seditiones aduersùs illos excitare*, τούτους ἀφορίζεσθαι, *eos segregari.* Quid autem hoc sibi velit, sequentia declarant: *Sin autem velint in Presbyterio residere, in quo prius erant Presbyteri, ipsos honore non moueri.* Quid igitur est ἀφορίζεσθαι, nisi officij honore moueri? Et quid officij honore Clericum moueri, nisi Suspendi? Perpetuam illam motionem non esse ex peccato commisso, & ex canone ipso facile apparet. Hoc disertè determinant Patres in Trullo c. 27. *Si quis tale quid fecerit* (si Clericus vestem non conuenientem induerit) *vna septimana*, ἀφοριζέσθω, *segregetur.* Quemadmodum autem diximus canones Apostolicos & Trullanos ἀφορισμῷ, seu Excommunicationi Laicorum modum, tempúsque non præscribere, sed hoc totum Episcoporum arbitrio & prudentiæ committere: ita, rarissima exempla si excipias, de ἀφορισμῷ, & Excommunicatione Ecclesiastica dictum esto.

Tertia huius verbi acceptio Clericorum Pœnitentiam significat, Clericúmque supponit depositum. Clericos ad Pœnitentiam adigi vetant multi canones: quomodo autem quibúsve de causis his legibus præscriberetur, cum de Depositione & Excommunicatione agemus, enarrabimus: inde igitur hûc reuocentur. Clericus Depositus & ad Laicos expulsus, si capitalis culpæ iterùm erat reus, in eum vt in Laicum animaduertebatur, iisdémque quibus Laici

Tertia τοῦ ἀφορισμοῦ significatio.

pœnis erat obnoxius, ideò eodem nomine cum Laicorum pœnis à Patribus indicuntur c. Apost. 30. *Si quis Episcopus secularibus principibus vsus, per eos Ecclesiam adeptus sit, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, deponatur & segregetur*, id est, deponatur & à communione Eucharistica prohibeatur, & consequenter pœnitentiæ locum subeat. Hoc præcipiunt canones, non tantùm ij qui Clericos expresse ad pœnitentiam adigunt, sed etiam ij qui honoris & officij abdicationi communionis addunt priuationem, quales sunt hi ex multis aliis qui passim occurrunt selecti. *Si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem & Ecclesiam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus:* Leo epist. 84. ad Nicetam Aquil. Episc. *Diaconus ab omni officio & communione cessabit*: Agath. c. 55. *Si quis facere præsumpserit, repellendum omnino ab officio, & execrandum si non emendauerit, & à communione & ab officio priuetur:* Narbon. c. 3. Epaun. c. 3. Tolet. 8. c. 11. Eadem canonum istorum vis est, idémque sensus cum iis qui καθαιρεῖσθαι καὶ ἀφορίζεσθαι, Deponi & Excommunicari Clericos iubent. Quorum omnium causas, rationes & argumenta è sequentibus Exercitationibus erues.

Abstineri non est pœna grauissima.

Τῷ ἀφορίζεσθαι Græcorum parallela ferè & æqualis est apud Cyprianum, Concil. Eliber. latinósque antiquiores verbi Abstinendi potestas. Pœnam omnium grauissimam hoc verbo non significari testantur, præter verba Cypriani de Felicissimo Episcopo epist. 55. ad Cornelium: *Qui non tantùm ab iis isthic Abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus*

est. Et epist. 62. ad Pomponium de Diacono abstento qui cum Virgine manserat, rem tamen cum ea non habuerat. Canones quoque Eliber. c. 21. *Si quis in ciuitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore Abstineat, vt correptus esse videatur.* Et c. 74. *Falsus testis prout crimen est Abstinebit, si tamen non fuerit mortis quod obiecit.* De Laicis & Clericis promiscuè dici docent testimonia & quæ prolata sunt, & quæ proferentur. Cùm igitur de Laicis dicitur, illorum ad Pœnitentium classes relegationem, non autem sicut loquitur Tertull. ab Ecclesia eierationem significat, vt præter ea quæ dicta sunt, confirmant canones Elib. 16. 37. 54. 61. 79. Cùm verò de Clericis ante depositionem dicitur, Suspensionem indicare criminis de quo quæritur leuitas facilè demonstrat, vt Agath. can. 55. & Epaun. Concil. c. 3. *Episcopis, Presbyteris atque Diaconibus canes ad venandum, & accipitres ad aucupandum habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac fuerit voluntate detectus, si Episcopus est, tribus mensibus se à communione Suspendat: duobus Presbyter Abstineatur.* Et Diaconi illius de quo iam mentionem fecimus: Neque enim nisi ob grauissima peccata deponi & Laicorum more substerni potuit Clericus, vt in exercitationibus de excommunicatione Clericorum multis argumentis euincemus. Idem præterea sibi velle decretum S. Cypriani epist. 65. ad Rogatianum, & 52. ad Antonianum ex simili legis hypothesi colligitur: *Si quis ante consilium nostrum & ante sententiam de omnium consilio statutam lapsis temerè communicauerit, ipse à communione Abstineatur.*

Abstentorũ triplex gradus explicatur.

Quis ea de causa Clericum deponi censeat? Eodem sensu vsurpauit Concil. Tolet. 1. c. 15. *Clericus si Abstinetur à Clericis deuitetur: Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehensus etiam ipse Abstineatur.* Aliàs hoc verbo enuntiatur pœna grauissimis criminibus & iteratis inflicta, quæ ex disciplina illius temporis, quam suo loco demonstrabimus, præeunte depositione Pœnitentialis esse solet, quod disertè Eliber. c. 20. exprimitur: *Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & Abstineri,* quod sæpius à Græcis dictum vidimus, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω. Sic intelligendus Cyprianus de Felicissimo loquens epist. 38. *Abstentum se à nobis sciat, quando ad fraudes eius & rapinas, quas dilucidâ veritate cognouimus, adulterij etiam crimen accedit.* Eadem repetit ep. 55. ad Cornelium. Vtramque significationem velut tristissimam obseruat Optatus Mileuitanus l. 7. aduersùs Donatistas disputans: *Iam ad illum locum*, inquit, *inuidia vestra dilabitur, vt dicatis Macharium post illa facta communioni non debuisse misceri, sed magis à Catholicis Episcopis Abstineri.* Huic Donatistarum calumniæ quæ homonymia laborabat, distinctione respondet Optatus. Duplicem ait esse communionem, alteram qua Episcopus cum Episcopis communicat, alteram qua Laicus cum Episcopo: A priore abstentum fuisse Macharium, nec ad vlla Episcopalia ministeria admissum; à posteriore verò nec abstentum, nec meritò abstinendum fuisse contendit. Quæ cum pluribus verbis edisserat Optatus, eius sententiam excerpsisse & breuiter enarrasse satis esto.

EXERCITATIO IV.

Suſpenſionem, Euchariſticam communionem non excludere.

Depoſitio Euchariſtiâ non priuat. Bis non vindicatur in idipſum. Ad Laicam communionem damnari, & deponi communione conceſſa idem.

EX iis quæ hucvſque dicta ſunt valido argumento efficitur, ἀφορισμὸν priorem ſeu Suſpenſionem, ambitu & virtute ſua communionis Euchariſticæ negationem non continere. Depoſitio enim depoſitum communione Euchariſtica non priuat, multò minùs Suſpenſio, quæ leuitate criminis Depoſitione præſtat. *Depoſitio Euchariſtiâ non priuat.* Ratio præterea quam Patres afferunt cur depoſitus communione non ſit multandus, ne ſcilicet bis vindicetur in idipſum, Apoſtol. c. 25. & Baſil. ad Amphil. c. 32. idem confert Suſpenſioni. Si ἀκοινωνησίας Suſpenſio comitem haberet indiuiduam, idem crimen bis vindicaretur, officij ſuſpenſione, & Euchariſtiæ priuatione, graui vtrâque pœnâ; quod vt demonſtrabimus propter ſcelera fieri tantùm ſolebat. Inde frequentes fluunt in Conciliis hæ limitationes, *Communione conceſſa à communione pellatur, ab officio deponatur, ſed non à com-*

munione. Aurel. 3. c. 7. *Si inuitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur.* Et can. 26. *Si quis aduersus statuta venire præsumpserit, communione concessa ab ordine regradetur.* Aurelian. similiter 5. c. 4. *Sicut habent antiquorum Patrum canones ab officio deponatur, ei tantummodo communione concessa.* Gregor. l. 2. indict. 10. epist. 14. idem obseruauit: *Eum verò qui contra iustitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponimus: qui si vlteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ nouerit esse priuatum.* Ante hos omnes rem ita transigi voluit Petrus ille Martyr Alexandrinus Patriarcha can. 10. apud Balsam. Clericos enim qui lapsi sunt, licet postea reluctati fuerint deponi iubet, communionem tamen illis impertitur: *Non possunt ampliùs sacra ministeria obire, & ideò magis curam gerant quomodo in humilitate confeßionem peragent à vana gloria cessantes. Iis enim sufficit communio*, &c. Cuius clementiæ rationes apud eum legere potes. His testimoniis addenda sunt ea quæ Clericos ad Laicam communionem cogunt. Eodem enim sensu dicuntur Clerici ad Laicam communionem damnari, & Deponi communione concessa, vt cum de Depositione verba faciemus nobis erit probandum: quare plura testimonia, quod facile factu, congerere nihil refert. Aliquando tamen tantam criminis fœditatem intercessisse crediderim, vt licet Clericus depositus ad Pœnitentes seu Substrationem non detruderetur, ob corporis tamen Dominici reuerentiam & majestatem inter

Ad Laicā cōmunionem damnari, & deponi idē sunt.

inter Consistentes orationum tantùm particeps aliquandiu subsistere cogeretur. Cui sententiæ nobiscum accedit Zonaras, cùm Basilij can. 32. sic explicat: *Clerici qui peccatum ad mortem peccant, excidunt quidem de Sacerdotij gradu, verumtamen à Laicorum communione non arcentur; hoc est, quominus cum Laicis consistant, & vnà precentur. Neque enim vel in Audientium, vel in Substrationis locum relegabuntur.* Suspensioni igitur non erit annexa communionis Eucharisticæ priuatio, cùm pœnam illam depositio non complectatur.

EXERCITATIO V.

Quid significet, Clericum ante depositionem à communione arceri, moueri, &c.

Clericum communione priuari ante depositionem, nihil aliud quàm suspendi. Ecclesiastica communione priùs priuantur Clerici quàm Laica. Canon 16. Nicænus explicatus. Balsamonis versio emendata. Ἀκοινώνητον εἶναι *suspensionem & depositionem significat.*

NONNVNQVAM à communione Clericos arcent decreta Patrum, nulla depositionis mentione facta, imò à communione arcent depositionem præcedente: Quid tunc intelligunt Patres per communionis denegationem? Cùm

Communionis priuatio ante depositionem suspensio est.

communionis priuatio depositionem subsequitur, Clericum communione Eucharistica priuari, & ad Pœnitentiam abigi iam exposuimus: Cum verò antecedit, quid significet, exponendum superest. Eiusmodi sunt hi canones: *Si Clericus sine formata voluerit pergere, à communione remoueatur.* Mileuit. c.20. repetitur Afric.c.73. *Clericis sine commendatitiis Epistolis Episcopi sui licentia non pateat ambulandi aut euagandi, & in omni loco ad quem sine Epistolis Episcopi venerint, à communione habeantur alieni:* Venet. c.5.9. Turon.1. c.11. Hispal.2. c.3. In his & similibus canonibus qui plurimi sunt, à *communione arceri, remoueri, alienari*, communionis Eucharisticæ non indicat priuationem, sed communionis Ecclesiasticæ suspensionem. Clericus qui hoc fecerit, à communione habeatur alienus, &c. id est, suspendatur, ἀφοριζέσθω, segregetur. Hûc nos ratio ipsa & Ecclesiastica consuetudo quasi manu ducit. Duplex est enim excommunicatio, Ecclesiastica & Laica: Ecclesiastica est ab officio suspensio, vel depositio; Laica, ab Eucharistica communione separatio. Priore puniuntur Clerici; posteriore Laïci, vel Clerici ad conditionem Laicorum redacti: Vtrâque nisi ob grauissima scelera Clerici nunquam affecti sunt. Priore communione Laici priuari non possunt, quum eius nunquam compotes fuerint. Clericis prior priùs semper, &, si à crimine non cessent, posterior deinde infligitur. Hoc multa euincunt quæ attulimus testimonia, sed idem ex rei ipsius natura facilè elicitur. Communionis Eucharisticæ priuatio, Laïcorum peccantium prima multa est: Clericis igitur præposterè primò

Ecclesiastica communione priùs priuantur Clerici quàm Laici.

mò imponeretur quum alia pœna iſtam præcedat. Deinde in opprobrium vergeret dignitatis Eccleſiaſticæ, ſi Clericus hanc conditionem & dignitatem conſeruans, vt Laicus exciperetur. Quod ita diligenter cauebant ſanctiſſimi Patres, vt Clerico ad Laicos expulſo priſtinum gradum recuperare nunquam liceret. Præterea hac cenſura in eadem criminis ſpecie notarentur tantùm inferiores Clerici, eſſentque neceſſariò ab ea immunes Epiſcopi & Preſbyteri. Communionis enim Euchariſticæ negationem conſequitur Miſſarum ordinúmque celebrandorum ſuſpenſio. Finge igitur Epiſcopos & Preſbyteros hâc pœnâ cum Laïcis & minoribus Clericis percuſſos in idem delictum, quod ad Epiſcopos & Preſbyteros attinet, bis animaduerſum erit, quod adeò ſeuerè vetat ius naturale & canonicum.

Denique hoc ex canonum & decretorum comparatione euidenter comprobare non eſt difficile. Quod concilium Venetum dixit, *Clerici ſine commendatitiis Epiſcopi vagantes, &c. à communione habeantur alieni*, c 5. Mileu. c 20. Turon. 1. c. 11. his verbis edicit Concil. Chalced. c. 13. *Externos Clericos & ignotos, in alia ciuitate ſine proprij Epiſcopi commendatitiis literis nuſquam vllo modo miniſtrare*: & ante Cōcil. Chalced Antiochenum c. 3. ſic peccantem Clericum *μηκέτι λειτουργεῖν, non amplius miniſtrare*, decernit. Suſpenſionem autem his verbis indici, ſequentia manifeſtè declarant. *Si autem in inſolentia perſeuerat, is omnino deponatur ſine vlla ſpe reſtitutionis*. Sic eſt intelligendus Apoſt. canon 15. quanquam verbis non enuntietur tam diſtinctis quàm

Antiochenus: In priore enim parte ſuſpenſionem, in poſteriore depoſitionem comminatur. Clerico igitur ſine literis proprij Epiſcopi vaganti ſuſpenſionem infligit, pertinaci verò depoſitionem. Vnâ & eâdem opellâ comprobatur, id quod affirmat Balſamon in can.16. Nicænum, eo loco, ἀκοινώνητον εἶναι, ſignificare μὴ συνιερουργεῖν; non autem Sacramentorum non eſſe participem, aut ab Eccleſia ejectionem. Non ſatis autem accuratè vertit Balſamonis interpres συνιερουργεῖν, *ſimul ſacrificare*. Cùm enim Diaconos non ſecus ac Preſbyteros, idem crimen eadémque pœna inuoluat, ſacrificare autem Diaconis non conueniat, vniuerſaliori vtendum verbo, quod vtrorumque pœnam complectatur, miniſtrandi ſcilicet: quod in eadem cauſa interpretes can. Apoſt. 15. Chalced. 13. & Antioch. 3. vſurparunt.

Balſamonis verſio emendata

Præterea Clericus vagus non tantùm ſic excipiebatur, ſed qui eum exceperat Epiſcopus communione aliquandiu abdicabatur, vt iubet Hiſpal 2. c 3. eundem, canon Apoſt.16. ἀφορίζεσθαι mandat, ἀφορισμὸν autem ſuſpenſionem eſſe iam demonſtrauimus. Concil. verò Chalced. c.20. vult εἶναι ἀκοινώνητον, *donec Clericus qui migrauit in ſuam Eccleſiam redeat*. Nomen igitur quod can. Nicæno 16. depoſitionem, hîc ſuſpenſionem ſignificat. Denique vt diſſertatiunculam iſtam concludamus, Concil. Lugdun. 1. c. 4. rem totam breuiter & euidenter explicat. *Si quicumque Epiſcopus pro reatu aliquo quemquam à communione ſuſpenderit, apud omnes Sacerdotes eatenus à communione habeatur alienus, vſquequo eius iudicio debeat recipi à quo meruerat pro reatu ſuo*

ἀκοινωνησία Suſpenſionem & Depoſitionem ſignificat.

à charitate Ecclesiastica sequestrari. Sensus clarus est: indice tantùm egebat canon non interprete.

EXERCITATIO VI.

Suspensus quando Eucharistia interdicatur.

Suspensio vniuersalis & partialis vtraque intenditur: Communionem Eucharisticam quæuis suspensio complectitur.

EX iis quę explicata sunt, dubium emergit, cui occurrendum est antequam vlteriùs progrediamur. Non immeritò quæri potest, An Suspensus, si in crimen iterum labitur, communione Eucharistica priuetur? Depositus iterum peccans ea communione multabatur: Depositi & Suspensi par videtur ratio. Vt omnis euanescat difficultas, distinguenda est suspensio. Alia enim est vniuersalis, alia partialis; de hac distinctione plura in sequentibus. Partialis intendi & extendi potest, idque dupliciter, vel respectu temporis, vel respectu officij; quæ ex iis quæ iamiam dicturi sumus, cumulatè constabunt. Vniuersalis suspensio intensionis non est capax, nisi foitè respectu temporis, cùm aliquantulum prorogatur: quo sensu decernit can. Apost.13. *Si autem est suspensus, ἐπιτεινέσθω αὐτοῦ ὁ ἀφορισμὸς, eius intendatur suspensio.* Cùm igitur omnium vel præcipuórum ordi-

Suspensio Vniuersalis & Partialis.

num exercitio abdicatus, iterum labitur, depositione plectitur, communione concessa: communionis enim priuatione puniuntur tantùm Laici, aut Clerici qui Laicorum conditionem sortiti sunt, nisi grauiorum criminum rei probentur: tum enim vnico fulmine ad pœnitentiam, quæ depositionem ex veteri instituto semper aut includit aut supponit, deturbantur: quæ quando & quomodo accidant in Pœnitentia Clericorum erit enucleandum. Huic sententiæ fidem faciunt plurimi canones his similes: *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus vxorem suam ne eiiciat religionis prætextu: Sin autem ejecerit, ἀφοριζέσθω, suspendatur, &c. si perseueret, deponatur.* Apost. c. 5. Eadem aduersus Clericos in vitiis pertinaces pœna statuitur. Trull. c. 27. Si leuius erat peccatum, suspensióque partialis, intendebatur suspensio respectu Officij vel temporis, vel vtriusque: aut respectu solius temporis, si suspensio erat vniuersalis. Si verò crimen erat grauius, suspensus clericus deponebatur, & deposito communio Laïca denegabatur. Si grauissimum, ab omni Ecclesiæ limine & tecto arcebatur. Pœnarum rursus istarum vnaquæque pro criminum varietate, variáque tum Episcoporum & Synodorum prudentia, tum Pœnitentium humilitate variè infligebatur, modò intensior, modò remissior, vt ex variis Conciliorum Canonibus eruere est. Communionem igitur Eucharisticam quæuis suspensio complectitur, eámque nulla excludit suspensionis siue partialis siue vniuersalis extensio, intensio aut prorogatio. Remittente tamen disciplinæ Ecclesiasticæ seueritate, rem aliter

posteriora secula instituerunt, suspensúmque Clericum ante depositionem pœnitentiæ iugum subire coëgerunt, & Sacramento benedictionis, vt loqui amat Tertullianus, exautorarunt: sed remittentem Ecclesiæ disciplinam, ad Clericorum pœnitentiam & excommunicationem remittimus.

EXERCITATIO VII.

De variis Suspensionum speciebus quæ ordinem spectant.

Concesso Ordinis exercitio, Suspensio non fit Consessus. Suspensio simplex & secundùm quid. Episcopus suspensus munere fungitur Chorepiscopi, Presbyteri, non autem Diaconi. Presbyterorum nulla iurisdictio. Pœnitentes reconciliare illis non licet.

HACTENVS de nomine & virtute suspensionis disseruimus, quæque huius censuræ praxin antiquissimam spectant, non pauca discussimus. Illius nunc species & differentias consilium nobis est lustrare magis quàm illustrare, notare quàm explicare, enumerare quàm enarrare. In Clericis tria spectanda sunt: Ordinis exercitium, Iurisdictionis autoritas, & dignitas Consessus. Hæc vniuersim vni-

uersa,& singulatim singula Suspēsio cōplectitur. Duo porrò notanda sunt, quorum alterum simile est iis quæ in depositione monebimus, alterum dissimile. Prius est, neque Suspensionem, neque Depositionem fieri posse consessus & cathedræ, concesso ordinis exercitio: Qui enim fungitur officio, sedem retineat necesse est. Posterius, ab ordinis officio suspensum, iurisdictionis exercitio & autoritate fungi sæpius licitum fuisse. Res tota si in partes suas tribuatur, & vnaquæque fonti & capiti suo restituatur & refundatur, & enucleatiùs extricabitur & tersiùs ante oculos proponetur.

Concesso Ordinis exercitio, suspensio non fit Cōsessus.

Suspensio vel est vniuersalis vel specialis, siue simplex, & secundùm quid. Vniuersalis seu simplex ea est, qua Clericus non tantùm sede & loco pellitur, sed omni ordinum exercitio & iurisdictione exuitur. Specialis & secundùm quid, qua Clericis horum vno aut pluribus interdicitur. Hinc multiplices emanant suspensionum partialium variationes. Episcopus ab officio & dignitate Episcopali suspensus, Chorepiscopi munere fungitur, Nicæn.1.c.8 Regiens.c.3. Vtroque multatus presbyterum agit, Ancyr.c.18. Trull.20. Illud est Suspensionis priuilegium: depositus enim Episcopus à munere Pontificio, eâdem operâ & sententiâ Sacerdotali quoque officio & dignitate spoliatur. Itaque nullus Exepiscopus Presbyteri officio defungi potest, vt ex Concilio Chalcedonensi aliàs demonstrabimus: Suspensum verò Episcopum, nisi aliter præscribatur, hoc munus vsurpare nihil est quod prohibeat. An verò Episcopus à munere Pontificio & Sacer-

Suspensionis diuisio.

Episcopus suspensus munere fungi potest Presbyteri, &c.

& Sacerdotali cessare iussus, ad Diaconos ablegari possit, eorum sedem occupaturus, officiúmque administraturus, nec exempla antiqua quibus hoc probem suppetunt, nec hoc modo Episcoporum dignitati satis fore consultum existimo. Presbyteris autem, κατὰ μέρος, & secundùm quid depositis, hanc sortem nonnunquam contigisse probabimus, quid ni & suspensis? Hæc non tantùm pari ratione nituntur, verùm posterius longè fauorabiliori. Quæ igitur de depositione distinguemus, hîc mutato nomine de suspensione & dicta & distincta sunto.

Oppositæ quodammodo his suspensiones non infrequenter occurrunt, quibus videlicet Episcopo quæ episcopalem dignitatem & potestatem καθ' ἑαυτὴν spectant, omnia sarta tectáque conseruantur: Quæ verò Presbyterorum sunt propria munera, ad tempus abrogantur. *Episcopus qui in diœcesi aliena ordinauerit alienos Clericos, vel consecrauerit altaria, anno à Missarum celebritate cessabit*: Aurel. 3. c. 15. 25. Aurel. 5. c. 5. 6. 8. Functiones cæteras, muniáque Episcopalia inuiolata illibatáque remanere patet, cùm ex hac Iurisconsultorum vulgata regula, *Odia sunt restringenda, fauores ampliandi*; tum ex eodem concilio tertio c. 6. & quarto c. 10. *Episcopus pro ordinationis temeritate, sex mensibus à celebrandis officijs sequestretur. Quòd si Missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrum charitate priuetur*. Missas igitur facere prohibitus, Episcopali tamen autoritate, & Ecclesiastica fratrum & Coëpiscoporum communione gaudet. Quid tum agebat Episcopus quæri potest, totóne suspensionis

Episcoporū propria suspensio.

tempore à ſacra Dominici corporis communione exul viuebat? Minimè gentium, à zelo & priſcorum Chriſtianorum feruida pietate abhorret nimis hæc ſententia. Suſpenſionem prætereà communionis Euchariſticæ priuationem non complecti, ſuprà demonſtrauimus. Quod de Presbyteris & Epiſcopis ex æquo intelligendum eſt. Depoſitos Clericos cum laicis cõmunicare omnibus palàm eſt. Quo verò in loco, quo ordine Epiſcopi & Presbyteri à Miſſarum ſolemnijs, cæteríque Clerici ab officio ſuſpenſi, Euchariſtiæ participarent, alius erit explicandi locus.

Vnum eſt quod Epiſcopis eminenter, & καθ' ὑπεροχὴν, quid eminenter dico, vnum eſt quod ſolis Epiſcopis competit, Iuriſdictionis autoritas. Presbyteris enim ex natura ſua officij dignitate, aut characteris virtute nullum vnquam conceſſum eſt iuriſdictionis exercitiũ. Ideo antiqua lex Eccleſiæ Presbyteris adeò ſeuerè edicit ne Pœnitentibus publicam pœnitentiam imponant, ne eos publicè benedicant, aut in pœnitentiæ exitu abſoluant. *Si quis graui lapſu in ruinam mortis inciderit, non agat pænitentiam ſine Epiſcopi conſulto: cogente tamen infirmitate, non eſt presbyterorum vel diaconorum communionem talibus præſtare, niſi eis iuſſerit Epiſcopus:* Eliber. 31. *Benedictionem ſuper plebem fundere, aut Pænitentem in Eccleſia benedicere, Presbytero penitus non licebit:* Agath. 44. Idem S. Leo decernit Ep. 86. ad Epiſc. Germ. & Galliæ. Ex hoc fonte hodierna Eccleſiæ diſciplina manauit; qua Parœciarum Rectoribus, nedũ Presbyteris, omni Iuriſdictione, vt vulgò loquuntur, in foro exteriori interdicitur, atque excommuni-

Presbyteris Pœnitentes reconciliare non licet.

care, nisi speciali Episcopi mandato prohibetur. Hinc euidens est, suspensiones quæ Iurisdictionem spectāt, ad Presbyteros, nisi aliqua dignitate Ecclesiastica fulgeant, nihil pertinere. De hoc suspensionum genere nunc paucis.

EXERCITATIO VIII.

De Suspensionibus quæ Iurisdictionem spectant.

Suspenditur ordinādi potestas. Quid est, Episcopos autoritate in Concilijs priuari. Episcopus exemptus, Diœcesis parte multatur. Suspensiones hypotheticæ. ἀπεγκοποι Clerici. Episcopi Africæ ne ordine suo Primates fiant, aliquando prohibentur.

PRO multiplici Pontificum Iurisdictione multiplices fuerunt suspensionum eiusmodi siue gradus, siue species, quas quisque apud se colligere poterit: Saluo enim & integro Episcopatu, vt ait S. Aug. Ep. 26. variis pœnis in Episcopos vindicatum est. Plurimæ quoque fuerunt, quarum in conciliis aut historiis nulla fortè mentio. Pauculas tantùm ante lectorum oculos proponemus; cæteras illorum diligentiæ committimus. Episcopis aliquando adempta est ordinandi autoritas, cæteris concessis

Ordinādi potestas suspenditur. & illibatis. *Si sciens Episcopus ordinauerit talem*, Pœnitentem, *etiam ab Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate priuetur*: Concil. Carthag. 4. c. 68 & can 69. *Simili sententiæ subjacebit Episcopus, si sciens ordinauerit Clericū eum qui viduam aut repudiatam vxorem habuit aut secundam.* His consentit S. Leo cùm decernit, Episcopos qui cōtra canones Sacerdotes consecrauerint, ordinationis ius vlterius non habere: *Si qui Episcopi talem consecrauerint Sacerdotem qualem non liceat, etiamsi aliquomodo damnū proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius vlterius non habebunt, nec ei Sacramento intererunt, quod, neglecto diuino iudicio, immeritò præstitêre*: Ep. 87. ad Epis. per Maurit. In alios Episcopos simili crimine maculatos seueriùs animaduertit Concil. Taurinat. c. 2. *Ille verò qui ordinauerit, autoritatem in ordinationibus & in concilijs minimè retinebit.* Autoritatem in conciliis retinet qui *Quid autoritate in concilijs priuari.* suffragiorum dicendorum autoritatem habet, qui in concilio Missam publicè celebrat, cæterorúmque Episcoporum communione & charitate gaudet, vt in Exercitationibus de minima excommunicatione docebimus.

Aliquando Metropolitani in prouinciæ suæ Episcopum suspenditur Iurisdictio. *Metropolitani in Suffraganeum potestas suspenditur.* Thebanæ sedis Metropolis est Larissena sedes: Ioānes Larissenus Metropolitanus aduersus Adrianum Thebanum Episcopū iniquam dicit sententiam: hunc ita exautorat S. Gregorius: quanquā à Ioanne, primæ Iustinianæ Primate, confirmata fuisset, vt Adrianum ab omni Ioannis Iurisdictione & subjectione eximat, &, si limites præscriptos transiliat, sacra communione ad extremum

vſque ſpiritum interdicat: l. 2 Epiſt. indict. 11. Ep. 7. Frequentiſſimæ ſunt apud recentiores præcipuè eiuſmodi poteſtatis ſuſpenſiones, & inferiorum à ſuperioribus manumiſſiones, tum apud Latinos cùm apud Græcos: de quibus ſæpiùs libro præcedente egimus. Non tantùm Metropolitanus ob delicta ſua ditionis ſuæ parte, & in Epiſcopatus quoſdam autoritate aliquando multabatur, ſed etiam diœceſi Epiſcopus mutilabatur. Carthag. 3. c. 43. & Afric. Concil. c. 20. Epiſcopus qui fraudibus & artificijs plebis propriæ animis illabitur, vt illius amicitia fretus concilio abeſſe poſſit, collegarúmque ſententiam declinare, non tantùm diœceſi ſpoliatur, ſed etiam Eccleſiâ propriâ. Qua phraſi neceſſariò ſupponitur duplex ſuſpenſionis gradus: Minor, quo omni in diœceſim autoritate cadebat in Eccleſiam principem autoritate ſuperſtite: Major, quo vtrâque ſimul. *Dico circa hos non tantùm diœceſes eſſe ſeruandas, verùm & de propria Eccleſia quæ illis malè fauerit, omnino adnitēdum vt etiam autoritate publica reijciantur, atque ab ipſis principalibus cathedris remoueantur. Oportet enim vt qui vniuerſis fratribus ac toti concilio inhæſerit, non ſolùm ſua iure integro ſed & diœceſes poſſideat. At verò qui ſibimet putant plebes ſuas ſufficere, fraterna dilectione contempta, non tantùm diœceſes amittant, ſed, vt dixi, etiam proprijs publica careant autoritate.* Eadem pœna affectus eſt Antonius quidam S. Auguſtini Presbyter Fuſſalēſis, recèns creatus Epiſcopus. *Honorem itaque integrum ſeruauimus iuueni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis præeſſet vlterius, cum quibus ſic egerat vt dolore iuſto eum ſibi præeſſe ferre omnino nō poſſent:*

Diœceſis parte mulctatur Epiſcopus.

August. Epist. 261. Quo sensu dicatur diœcesis, facilè colligitur ex can. 23. Conc. Afric. & c. 46. Carthag. 3. Eodem planè sensu quo nunc accipimus, vel pro omni territorio Episcopali, vel eius parte, ita vt oppidũ Matrici subjectum, ex vsu Ecclesiæ Africanę, diœcesis dicatur. *Audiuimus constitutum, vt diœceses non mereantur Episcopos accipere, nisi cum consensu eius sub quo fuerint constitutæ*, &c. & paulò post, *singulis Episcopis seruatum est quod decebat, vt ex Massa diœcesum nulla caperetur vt proprium Episcopum haberet, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi*, &c. Longè alia est apud Iurisconsultos huius nominis potestas; non enim Prouinciæ partem significat, sed multarum prouinciarum aggregationem, & in vnum veluti corpus coalitionem, aliáque nonnulla habet significata notatione digna quæ hûc non referimus, cùm de ijs singularem exercitationem libro præcedente instituerimus.

Suspensiones hypotheticæ. Depositiones Clericorum & suspensiones ipsæ aliquando suspenduntur, hoc est, ampliatur Reus, sententiáque non absolutè sed diffuso die cum certa tẽporis limitatione pronuntiatur. Talem sententiam tulit Cælestinus Pontifex aduersus Nestorium. *Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Christo Deo nostro ea prædices, &c. intra decimum diem, à primo innotescentis tibi huius cõuentionis die numerandum, aperta & scripta confessione damnaueris ab vniuersalis te Ecclesiæ Catholicæ communione dejectum*: Epist. Cælestini ad Nestor. Epist. ad Clerum & populum Constant. & ad Ioan. Antioch. & alibi in concil. Ephes. parte 1. Pari clementia Patres Chalcedonenses in fine act. 4. exci-

piunt Monachos Carosum, Dorotheum & Barsumam. Antequam enim aduersùs eos diffinitiuam sententiam ferant, omníque exuant dignitate & communione, πρὸς ἐπίσκεψιν διωρίαν ἡμερῶν τριάκοντα παρέχουσι, inducias illis non 20. sed 30. dierum deliberatorias cōcedunt. Sententias eiusmodi necessariò non modò in suspensionibus, quæ ab homine, vt loquuntur, sed etiā frequēter in ijs quæ à iure infliguntur, ferri oportuisse, præter iuris æquitatem & ἐπιείκειαν expostulat innata Ecclesiæ in miseros mansuetudo.

Non infrequentes occurrunt aliûs generis Censuræ, quibus non suspenduntur, deponuntur aut excommunicantur Clerici, sed gradibus in quibus deprehēduntur, conseruatis, vel breuissimi temporis suspensione inflicta, restitutis, ad superiores inhabiles renuntiantur. Hos S. Basilius vnico verbo ἀπροκόπους vocat c. 69. δεχθήσεται μένων ἀπρόκοπος, *recipietur non vlterius promouendus.* Eadem pœna Trullani Patres afficiunt Clericos qui post ordinationem vxores duxerunt; c. 3. *Similiter & eos qui post ordinationem vni matrimonio se applicarunt, hoc est, Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos, breui aliquo tempore à sacro ministerio prohibitos & punitos, rursus proprijs gradibus restitui, ad alium gradū nequaquam promouendos, eis nefario videlicet dissoluto coniugio.* Hæc Censura ἀκανονισία quædam & Irregularitas est. Simili pœna in non omnino dissimili crimine afficiunt Clericos, eos videlicet qui liberis ab ordinatione dant operam: Siricius, Ep. 1. c. 7. Innocentius 1. Ep. 3. c. 1. Concil. Agath. c. 9. *Placuit etiam, vt si Presbyteri vel Diaconi coniugati, ad torum vxorū suarum redire voluerint,*

ἀπρόκοποι Clerici qui dicuntur.

Papæ Innocentij ordinatio, vel Sirićij Episcopi autoritas, quæ est his canonibus inserta, seruetur. Quòd si ad aliquos formula illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ à Siricio Episcopo ad Prouincias commeauit, non probabitur perueniſſe, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitus incipiāt abstinere: Et ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint sic retineant, vt ad potiora eis non liceat ascendere. Huius Censuræ vsus quidam in Ecclesia Africana fuit peculiaris: cuius ratio & origo vt explicetur, notandum est quod primus animaduertit & multis testimoniis comprobauit vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Sirmundus, Societatis Iesu Presbyter, Propépticį l. 2. c.

Primates Afris qui dicuntur.

9. Primates siue primæ sedis Episcopos Afris singulari quadam notione nuncupari, non qui in Metropoli, sed qui cæteris Episcopis prouinciæ, ordinationis Episcopatúsque ætate anteibāt, οἱ κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας προτερεύοντες, vt loquitur Iustinianus Cod. de Episcopali Audientia. Hoc inter Primates Africæ & Metropolitanos aliarum gentium erat discrimen, quòd Metropolitanos, Metropoles ipsæ faciebant: At primas sedes Episcopi constituebant. Metropoles fixæ & statæ semper erant: Primæ autem sedes desultoriæ quodammodo & nunquam eædem, sed nunc hæ nunc illæ. Metropolitani denique deligebantur: Primates ordine succedebant. Hinc Censuræ genus Afris singulare exortum est, quo Episcopus Episcopali dignitate & autoritate inuiolata, Primatûs tamen ordine suo adipiscendi iure excidebat. Hâc Censurâ Priscum notatum refert S. August. Ep. 261. *Clamet Priscus prouinciæ Cæsariensis Episcopus: Aut ad Primatum*

Primatûs ordine suo adipiscendi iure pri.

tum locus, ſicut cæteris & mihi patere debuit, aut Epiſcopatus mihi remanere non debuit: eâdemque notauit eos S. Gregorius l. 1. Ep. 75. qui è Donatiſtis ad Epiſcopatũ peruenerant: *In Primatibus conſtituendis conſuetudinem immotam permanere concedimus, exceptis his qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatũ peruenerunt; quos prouehi ad Primatus dignitatem, etiam cùm ordo Clericorum ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commiſſæ ſibi plebis tantummodo curam gerere.*

EXERCITATIO IX.

De Depoſitionis nomine & definitione.

Λεπτολογήματα *fugienda. Depoſitio Cenſura. Depoſitionis variæ Græcorum deſcriptiones. Anathema varia ſignificat. Depoſitionis definitio ex Apoſt. can. & Antioch.* ἀκοινωνήτου ϗ ἀποσυναγώγου *quatuor ſignificata. Laica communio explicata.*

DEPOSITIONIS, de qua nunc verba nobis facienda ſunt, vſus eſt adhuc in Eccleſia non infrequens. A Suſpenſione naturâ & ſubſtantiâ ſuâ non diſtinguitur, ſed tẽpore & quibusdam circumſtantiis. Depoſitio enim perpetuam officij & dignitatis priuationem ſignificat; Suſpenſio verò temporariam: Illa hominem condi-

Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Episcopi autoritas, quæ est his canonibus inserta, seruetur. Quòd si ad aliquos formula illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ à Siricio Episcopo ad Prouincias commeauit, non probabitur perueniße, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitus incipiat abstinere: Et ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint sic retineant, vt ad potiora eis non liceat ascendere. Huius Censuræ vsus quidam in Ecclesia Africana fuit peculiaris: cuius ratio & origo vt explicetur, notandum est quod primus animaduertit & multis testimoniis comprobauit vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus Sirmundus, Societatis Iesu Presbyter, Propéptici l. 2. c. 9. Primates siue primæ sedis Episcopos Afris singulari quadam notione nuncupari, non qui in Metropoli, sed qui cæteris Episcopis prouinciæ, ordinationis Episcopatúsque ætate anteibát, οἱ κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας προτερεύοντες, vt loquitur Iustinianus Cod. de Episcopali Audientia. Hoc inter Primates Africæ & Metropolitanos aliarum gentium erat discrimen, quòd Metropolitanos, Metropoles ipsæ faciebant: At primas sedes Episcopi constituebant. Metropoles fixæ & statæ semper erant: Primæ autem sedes desultoriæ quodammodo & nunquam eædem, sed nunc hæ nunc illæ. Metropolitani denique deligebantur: Primates ordine succedebant. Hinc Censuræ genus Afris singulare exortum est, quo Episcopus Episcopali dignitate & autoritate inuiolata, Primatûs tamen ordine suo adipiscendi iure excidebat. Hâc Censurâ Priscum notatum refert S. August. Ep. 261. *Clamet Priscus prouinciæ Cæsariensis Episcopus: Aut ad Primatum*

Primates Afris qui dicuntur.

Primatûs ordine suo adipiscendi iure pri.

tum locus, sicut cæteris & mihi patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere non debuit: eàdemque notauit eos S. Gregorius l. 1. Ep. 75. qui è Donatistis ad Episcopatũ peruenerant: *In Primatibus constituendis consuetudinem immotam permanere concedimus, exceptis his qui ex Donatistis ad Episcopatũ peruenerunt; quos prouehi ad Primatus dignitatem, etiam cùm ordo Clericorum ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere.*

EXERCITATIO IX.

De Depositionis nomine & definitione.

Λεπτολογήματα fugienda. Depositio Censura. Depositionis variæ Græcorum descriptiones. Anathema varia significat. Depositionis definitio ex Apost. can. & Antioch. ἀκοινώνητον καὶ ἀποσυνάγωγον quatuor significata. Laica communio explicata.

DEPOSITIONIS, de qua nunc verba nobis facienda sunt, vsus est adhuc in Ecclesia non infrequens. A Suspensione naturâ & substantiâ suâ non distinguitur, sed tẽpore & quibusdam circumstantiis. Depositio enim perpetuam officij & dignitatis priuationem significat; Suspensio verò temporariam: Illa hominem condi-

tione & statu deturbat, atque, vt ita dicam, capite minuit, vestéque & habitu clericali spoliat; hæc verò nihil horum præstat. Sed harum Censurarum substantialia discrimina, & specificas differentias, si quæ sunt, Metaphysicorũ more, minutè & ieiunè non consectabimur, ne λεπτολογοῦντες ματαιοσοφεῖν videamur. Deinde dispunctiunculis istis rem agere, nihil est aliud quàm contentionum semina facere, litémque lite resoluere. Depositionem è numero Censurarum Canonistæ subtili admodum & tenui distinctione expungunt: Sed cùm de interdicto nihil simus dicturi, ternarium tamen Censurarum numerum nobis constare voluimus. Præterea Censuras Ecclesiasticas S. August. reuoluens, suspensioni & excommunicationi depositionem adnumerat; cùm ait, l. contr. Donat. post collat. c. 4. *non quiescere in Ecclesia emendationis vigilantiam, corripiendo, degradando, excommunicando.* Censuræ denique nomen cùm apud autores prophanos, tum apud sacros, Cyprianum maximè & sæpissimè, ampliori longè significatione vsurpatur, quàm apud Canonistas: Nobis autem his in opusculis, antiquis verbis, modò non obsoletis, sicut & moribus inhærere propositũ est. μικρολογία enim ista, & verborũ minutiarúmq; nimis exacta persecutio, καθάπερ ἐπὶ τῶν συμβολαίων, inquit Aristoteles, καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἀνελεύθερον εἶναί ποι δοκεῖ, *sicut in contractibus, ita in sermonibus & disputationibus, videtur ingenium sapere minus liberale & ingenuum.* His igitur omissis rem ipsam aggrediamur.

λεπτολογήματα fugienda.

Depositio Censura.

Depositionem Græci vnico verbo καθαίρεσιν vocãt, & Clericos deponi, καθαιρεῖσθαι dicunt: cuius significa-

Depositionis variæ descriptiones.

tionis exemplá plurima Græcorum ſcripta Apoſtolicos præſertim & Trullanos canones legentibus occurrunt. Eam periphraſi aliquando explicant, ἐκπίπτειν τῆς ὑπηρεσίας, *miniſterio excidere*, dixit S. Baſil. ad Amphil. c. 51. τοῦ βαθμοῦ καταπίπτεσθαι, *gradu deturbari*, c. 32. τοῦ βαθμοῦ καθαιρεῖσθαι, *à gradu deponi*, c. 55. ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμοῦ, *proprio gradu excidere*: Chalced. c. 27. Trull. c. 92. ἐκκήρυκτον γίνεσθαι, *abdicari* Ancyr. c. 18. & Greg. Thaumat. c. 4. quem ſic explicat Zonar. in Epiſt. Patrum canonicas, *abdicatum dixit*, ἀντὶ τοῦ ἀπόβλητος, καὶ ἀλλότριος: *Abdicari namque dicuntur filij cùm ob aliquod crimen à paterna hæreditate eijciuntur, omnique cognationis iure priuati cenſentur.* Eadem phraſi, in eadem cauſa ſæpius vtitur Syneſius: τῆς ἱερωσύνης γυμνοῦσθαι, *Sacerdotio nudari*: Epiſt. Flauiani ad Leonem, Chalced. Concil. part. 1. κινδυνεύειν εἰς τοὺς ἰδίους βαθμοὺς, *de proprio gradu periclitari*. Chalced. c. 2. & 22. eodem ſenſu farrago Carthag. c. 108. & Tolet. 4. c. 18. *Iacturam Clericatus ſuſtinebit.* Anathematizare aliquando eſt deponere, ſic quod dixerát Trullani Patres, ἀναθεματίζομεν, interpretantur can. 82. ἀπογυμνοῦσθαι τοῦτον τῆς ἱερατικῆς ἀξίας προστάσσομεν: *dignitate Sacerdotali hunc denudari præcipimus.* Aliquando communione Euchariſtica priuari, vt eodé canone Trullano, & c. 92. ibid. *ſtatuit ſancta ſynodus, ſi ſint quidem Clerici, proprio gradu excidere, ſi verò Laici*, ἀναθεματίζεσθαι, & Chalced. c. 27. Sæpiùs tamen ſupremam in ſcelera vindictam Anathema ſignificat, vt apud Chryſ. hom. de Anathemate. ἀνάθεμα, inquit, παντελῶς τοῦ Χριστοῦ ἀποκόπτει, *Anathema omnino à Chriſto reſcindit*, in Concilio Gangrenſi ſæpiſſimè atque alibi.

Anathema varia ſignificat.

Quid verò propriè sit depositio, definit Canon Apost. 15. *Clericus qui præter sui Episcopi sententiam in alia paræcia manet, eum non amplius celebrare iubemus, maximè si eum adhortante Episcopo vt rediret, non paruit,* ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ: *is tamen vt Laicus communicet.* Hunc Canonem iisdem verbis repetit synodus Antioch. c. 3. & depositionem tali Clerico portendi affirmat: εἰ δὲ ἐπιμένοι τῇ ἀταξίᾳ, παντελῶς αὐτὸν καθαιρεῖσθαι τῆς λειτουργίας: *Si in ordinis perturbatione perseueret, is omnino à sacro ministerio deponatur.* Addunt Patres hæc verba quæ ab interprete omittuntur, ὡς μηκέτι χώραν ἔχειν τῆς ἀποκαταστάσεως, *ita vt nullum amplius speret restitutionis locum.* Qui enim semel erat depositus primis illis Ecclesiæ temporibus, rursus in Clerum adlegi non poterat, sed Laicorum locum & stationem perpetuò sortiebatur. Nihil est igitur aliud depositio, quàm à sacro ministerio perpetua cessatio, & Clerici in ordinē & communionē Laicorū relegatio. Qui hoc fulmine tacti sunt, vocat ἀκοινωνήτους, excōmunicatos, Nicæna Synod. 1. Canone 5. sunt enim excommunicati à communione Sacerdotali.

Depositionis definitio.

Multa significant, ἀκοινώνητοι καὶ ἀποσυνάγωγοι εἶναι, apud antiquitatis Ecclesiasticæ Græcos autores, sed quatuor præcipuè: Depositionem, vt canone allegato: Suspensionem, vt Chalced. concilij c. 20. *Si qui Episcopi post hoc decretum, Clericum qui ad alium Episcopum pertinet, susceperint,* εἶναι ἀκοινωνήτους καὶ τὸν δεχθέντα *&c. placuit esse excommunicatos, eumque qui susceptus est, & eum qui suscepit, donec Clericus qui migrauit, in suam Ecclesiā redeat.* Excommunicatos vertit Interpres, sed ex materia subiecta & rei hypothesi subaudiendum, à communio-

ἀκοινώνητοι quatuor significata.

ne Ecclesiastica. Cùm autem excommunicatio illa temporaria fuerit, nihil aliud fuit quàm suspensio: subauditionem autem illam necessariam esse multa euincunt. Primò similes canones plurimi, qui idem crimen suspensione officij, aut maximè depositione tantùm afficiunt, deinde criminis natura quæ tam seueræ animaduersioni repugnat, denique restitutio in integrum, quam Clericus huiusmodi tandem consequebatur. Istius enim concilij tempore Clericis depositis & ad Pœnitentiam excommunicatione redactis, pristinam dignitatem recuperare non licebat. Eodem sensu legitur idem nomen Concil. Nicæn. 1. can. 16. & sæpius in actis Conciliabuli quod extat parte secunda concilij Ephesini ad finem act. 1. Tertiò laicorum excommunicationem minorem seu pœnitentiæ classes nonnunquam significat, vt can. 6. Ephes. concil. *Si qui voluerint, quæ in sancta Ephesina Synodo de singulis acta sunt, quouis modo labefactare, decreuit sancta Synodus, si sint quidem Episcopi, vel Clerici, à proprio gradu omnino excidere; si autem laici,* ἀκοινωνήτους ὑπάρχειν, *excommunicatos manere.* idem decernit concilium Chalced. c. 8. clarissimè omnium S. Basilius ad Amphilochium, c. 56. 57. & sequentibus. *Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est, viginti annis Sacramento non communicabit,* ἀκοινώνητος ἔσται τοῦ ἁγιάσματος. *Viginti autem anni sic in eo dispensabuntur: Debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorij, & fideles ingredientes rogans, vt pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: Septem autem an-*

nis cum ijs qui in ſubſtratione orant, egredietur. In quatuor annis ſolùm ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis, erit ſacramentorum particeps. Excommunicatio igitur iſta & ἀκοινωνησία, ſicut & ἀφορισμὸς, ſæpè quoſuis amplectitur Pœnitentiæ gradus, qui aliquando à canonibus ipſis definiuntur, vt à S. Baſilio, locis citatis, & aliis compluribus: aliquando Epiſcoporum prudentiæ creduntur, vt ſuprà demonſtrauimus, & teſtatur ipſe Baſil. eodem in loco c. 54. *Eſt autem tuæ prudentiæ pro circumſtantiæ proprietate pœnas intendere vel remittere.* Sæpè denique, ἀκοινώνητον εἶναι excommunicationem maximam ſignificat, atque ab omni fidelium commercio repulſam, vt c. Apoſtol. 10. *Si quis cum excommunicato, ἀκοινωνήτῳ, vel in domo vnà precatus fuerit, is ſegregetur.*

Excommunicatio omnes Pœnitentiæ gradus amplectitur.

Idem præterea ſignificat & apud Græcos, & apud Latinos Clericum communione laica frui: Phraſis enim iſta nihil eſt aliud quàm depoſitionis periphraſis, vt luce meridiana clarius eſt ex can. 15. Apoſt. iam citato: S. Baſil. ad Amphiloch. c. 3. & 32. aliiſque innumeris. Sic habet Canon 3. *Diaconus poſt Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eijcietur, in laicorum autem locum extruſus à communione non arcebitur, quoniam antiquus eſt canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc ſolo punitionis modo puniantur, &c. Diaconus verò ſemel habet quod ſufficiat depoſitionis iudicium. Tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu, in ea ſola punitione ſteterunt.* Eodem ſenſu hæc ſcribit Innocentius primus, Ep. 22. c. 4. *Noſtræ lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab Hæreticis, per manus impoſitionem laïcam tantùm tribuere communionem,*

Laica cõmunio explicata.

nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare. Quid est igitur Clerico laicam tantùm tribuere communionem, nisi Clericum omni dignitate Clericatus abdicare? Quid verò eiusmodi abdicatio nisi depositio? vnde conquerentibus quod Trophimum post lapsum Sacerdotio restituisset, Cyprianus respondet, eum vt laicum communicare, Sacerdotis verò munia non obire: *Sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet, non secundùm quod malignorum literæ ad te pertulerunt, quasi locum Sacerdotis vsurpet.* Cypr. Ep. 52 ad Anton. hanc sententiam dilucidè explicat Guilielmus Bibliothecarius Anastasij continuator in Hadrian. 2. *Teutgandus,* inquit, *Treuirorum Archiepiscopus, & Zacharias Anagninus Episcopus, qui à domno Nicolao Sacerdotio denudati, etiam communione caruerant, simulque Anastasius, qui dudum à Leone Benedictoque Pontificibus Presbyterio denudatus inter laicos communicare solitus erat, Ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperunt.* Sed illustrissimum & euidentissimum huius rei argumentum suppeditat nobis Aimonius de Gestis Francorum lib. 5, c 29. Refert enim, Carlomannum Caroli Calui Francorum Regis & Imperatoris filium, Senonensisque Ecclesiæ Diaconum, perduellionis in Patrem conuictum, *secundùm sacras regulas ab omni gradu Ecclesiastico, laicâ sibi communione seruata,* Syluanecti in Episcoporum Synodo depositum fuisse. Hac animaduersione fractus non est regij iuuenis animus, sed contrà audentior in cœpta ruit: *Existimauit enim* inquit Aimonius, *eo facilius ad nomen & Potentatum regium se conscendere posse, quia ordinem Ecclesiasti-*

cum non haberet, & Episcoporum iudicio gradum Ecclesiasticum amisisset. Nihil est igitur, laicè communicare, quàm Ecclesiasticè non communicare, officiisque Ecclesiasticis non defungi. Cuius interpretationis argumenta non leuia sunt, nusquam nisi in causa & condemnatione Clericorum laicæ communionis mentionem fieri: Laicam communionem Clericis nunquam infligi, nisi ob peccata quibus depositionem alij canones decernunt: Laicis denique laicam communionem nunquam inuri, vt omnia & singula testimonia examinantibus erit manifestum. Hûc omnia propè congerere facile fuisset, sed hæc ad institutum nostrum satis: Cui satis non erunt, eruditissimas illustrissimi Albaspinæi Aurelianensis Episcopi Obseruationes consulat; lib. 1. Obseruatione quarta: quod erit, satis superque nanciscetur. Digitum in fontes nostros intendisse, riuulósque fontibus refudisse, nobis abundè est.

EXERCITATIO X.

Quid ſit Clerico Laicam communionem non concedere, In fine tantùm concedere, & ne in fine quidem.

Peccantium Clericorum triplex gradus. Quare in Clerici depoſitione ſubſiſtit Eccleſia. Clericus ſceleratus, aut contumax, Pœnitentiæ erat reus. Ob quædam crimina ab Eccleſia ejerabatur.

PRÆCEDENTE admiſſa Laicæ communionis interpretatione, quam tot ſuadent & euincunt teſtimonia, tria ſuperſunt cuique explicatu non obuia, quæque plurimis atque etiam doctis negotium faceſſere poſſunt. Eſto, inquies, Clericum ad Laicam communioné damnare, nihil aliud ſit quàm ab omni ſacro miniſterio deponere; quem ſenſum affinges Sardicenſi Canoni primo, atque μεγάλῳ ϗ πρεσϐύτῃ Oſio ibidem loquenti? *Exiſtimo eos*, Epiſcopos, *ne Laicorum quidem communionem habere debere:* quem Felici III. Pontifici hanc cõmunionem in morte tantùm reſtituere Epiſtolâ ſeptimâ præcipienti; quem denique concilio Sardicenſi can. 2. ne in morte quidem concedatur, ſeuerè interminanti? Vt huius diffi-

Vu

cultatis tenebras omnes dissipare, eique lumē aliquod effundere possimus, triplex distinguendus est, breuitérque enarrandus, & peccantium & peccatorum gradus. Plures, cùm de excommunicatione nobis erit agendum, enumerabimus, & nominibus certis velut propriis & signatis appellabimus. Quæstioni propositæ dissoluendæ hi supererunt.

Peccantiū Clericorū triplex gradus.

Primus gradus.

Primus gradus erat criminum, id est, peccatorum capitalium & mortalium; Secundus, scelerum & criminum repetitorum; Tertius, flagitiorum atque horrendorum criminum. Crimina Depositione plectebantur; quæ criminibus leuiora erant, Suspensione; quæ leuissima, mitissimâ quâdam pœnâ & suspensiunculâ castigata fuisse, æquum sanè fuit. Ne depositione grauiorem pœnam Clericis inferrent, nisi peccati scelere aut pertinaciâ adigerentur, studiosè cauebant Antiqui Patres: Sic enim edicit Apostol. Canon. 25. *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus, fornicationis, vel perjurij, vel furti conuictus deponatur, & non segregetur: dicit enim scriptura, Nō vindicabis bis in idipsum. Similiter reliqui quoque Clerici, &c.* Eundem Canonem sancit S. Basil. ad Amphiloch. c. 51. *Aduersus Clericos indefinitè Canones statuerunt, vnum in ijs qui lapsi sunt, supplicium decerni iubentes, à ministerio scilicet motionem; siue sint in gradu, siue etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur.* Apostolorum rationem repetit Basil. c. 32. *Ne bis in idipsum vindicetur.* Bis enim puniretur idem crimen, si Clerici depositione non satisfacti Patres, eodem fulmine illum ad pœnitentiam vt Laicum præcipitarent. Causam aliam affert Basilius Can. 3. quæ antiquâ & maximè notandâ

In Clerici depositione subsistit Ecclesia.

consuetudine nititur. Laicus excommunicatus pœnitentiâ crimen eluit, pristinúmque gradum recuperat: At, inquit S Basilius, Diaconus (de cæteris Clericis idẽ intellige) semel exautoratus, dignitati non amplius restituitur. Iniquum igitur foret seueriori disciplinâ in eũ animaduertere. Ideò Patres perpetuò ferè, quod suprà monuimus, crimen quod in Laicis excommunicatione, in Clericis depositione puniunt.

Aliquando tamen tanta erat criminis grauitas, tam exosa omnibus fœditas, vt vtrâque animaduersione plecteretur Clericus: quod dupliciter contingebat, vel propter criminis nefas, vel propter peccatoris in crimine contumaciam. Vtriusque exempla non pauca extant Apost. c. 30. *Si quis Episcopus secularibus principibus vsus per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur & segregetur*: & Concil. Eliber. c. 20. *Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstineri.* Eodem sensu dixit Concil. Tolet. 4. c. 45. *Oportet Canonibus in tali scelere proditum, à Clericatus ordine submoueri, & Pœnitentiæ triennio deputari.* Similiter Clericus criminis postulatus, depositus, atque in Laicorum ordinem coactus, si illud iterare contingat, armáne deerunt Ecclesiæ quibus illum coërceat? Minimè. Priori crimine Laicus est effectus; posteriori, vt Laicus castigabitur, & in Pœnitentium classes ablegabitur. Priori crimine Ecclesiastica communione pulsus Laicam consecutus est; posteriori, ne Laicâ quidem dignus cẽsebitur. Sic decernit synodus Neocæsar. Can. 1. *Presbyter, si vxorem duxerit, ordine suo moueatur: Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur,*

Secundus gradus.

Clericus quando Pœnitentia reus.

& ad pœnitentiam deducatur. Sic eſt intelligendus Canon iſte, ne cum Balſamone perperam exiſtimemus ei S. Baſilium Canonibus ſuprà citatis contradicere.

Tertius gradus. Tertius gradus erat horrendorum atque grauiſſimorum criminum; quorum autores omni penitus Chriſtiana Communione interdicebantur, atque extra Eccleſiam eiiciebantur; quíque, licèt aliquando Eccleſia miſerante Pœnitentiæ dono fruerentur, omni tamen poſtliminij iure ceciderant, & ad finem vſque vitæ, vel cum Flentibus ante fores Eccleſiæ, vel cum Audientibus in porticu Pœnitentiam ducebant. Vltimæ huius Cenſuræ obuia ſunt exempla, pauca delibaſſe ſit ſatis. Apoſt. c. 29. *Si quis Epiſcopus per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbyter vel Diaconus, deponatur & ipſe, & qui eum ordinauit, & à communione omnino exſcindatur, vt Simon Magus à me Petro.* Hanc ſeueriſſimam aduerſus Simoniacos animaduerſionem mitigauit concilium Chalced. can. 2. & depoſitione tantùm affecit. Eandem pœnam irrogat quibuſdam Hæreticis can. Apoſt. 51. *Si quis Epiſcopus à nuptiis, carnibus, & vino, non propter exercitationem ſed propter abominationem abſtinet, &c. vel corrigatur, vel deponatur, ϰ͂ τ͂ ἐκκλησίας ἀποϐαλλέσθω, & ex Eccleſia eiiciatur:* Et meticuloſis Chriſto perfidis can. 62. *Si quis Clericus, propter metum humanum, vel Iudæi, vel Græci, vel hæretici, negauerit: Si quidem nomen Chriſti, eiiciatur; Si autem nomen Clerici, deponatur.* Idē aduerſus ſimilia ſcelera edicunt, Laodic. c. 36. Agath. 68. Trull. 61. Tolet. 4. c. 57. Vigil. Ep. 1. c. 6. Tolet. 8. c. 7. &c.

Difficultatem nunc cominùs aggrediamur. Tripli-

ci ista Laicæ communionis dispensatione ad triplicem alludi dico scelerum in Clericos vindictam: Tria sunt apud Antiquos, vt ostendimus, pœnarum in Clericos præcipua genera, depositio, pœnitentia, ejectio, atque, vt loquitur Tertullianus, communicationis interdictum; quarum hic est ordo & substitutio, vt depositioni Pœnitentia, Pœnitentiæ ab Ecclesia ejectio succedat, nisi vnico fulmine extra Ecclesiam deturbari criminis grauitas expostulet. Tres hi pœnarum gradus tribus istis loquẽdi formulis à Laica communione petitis, sibíque substitutis, significãtur: Laicæ communionis concessione Depositio; denegatione, Pœnitentia; concessione verò in fine tantùm, vel ne in fine quidem, ab Ecclesia eliminatio. Primum multis argumentis suprà demonstratum est. Secundi argumentum plus satis efficax, est rei necessitas. Aliter enim fieri non potest vt Clerico, cui Laicè communicare non licet, Pœnitentis nota non inuratur; cùm hoc ipsum Laicè non communicare, sit Pœnitẽtiæ iugo in classe saltem συςάσεως seu Cõsistentiæ, subditum esse. Ne autem pœnitentiam Clericorum cum pœnitentia Laicorum promiscuè confundamus, cautio est. Ideo cùm de vtriusque comparatione hîc & alibi verba facere cogimur, quæ de vtriusque discrimine paulò post in Exercitationibus de pœnitentia seu maiori Clericorum excommunicatione dicemus, hûc reuocanda & retrotrahenda erunt. Hanc interpretationem euidenter adstruunt hæc verba Theoph. Alexandrini in Commonitorio apud Balsam. *de Byto qui in Ereba constitutus est Presbyter, quærendum est: Et si*

Quid Laicam communionẽ denegare.

alicui quidem mulieri separatæ viuente marito vim attulit, non sinatur esse Presbyter. Nam nec vt Laicus quidem, debet communicare, cùm eos qui tales sunt, separare consueuerit Ecclesia. Laica igitur communione interdici, & post depositionem separari, excommunicari, abstineri, & ad pœnitentiam redigi, æqualia sunt.

Quid Laicam communionē in fine tātùm concedere.

Postremum denique, Laicam communionem in fine tantùm, vel ne in fine quidem concedi, ab Ecclesia expulsionem portendere: cùm res ipsa probat (Censura enim præcedente ista grauior est, grauior autem pœnitentiâ præter eiectionem Censura nulla est) tum alia multa, sed maximè Felicis III. in Synodo Romana canon secundus: *Vsque ad exitus sui diem* (de Clericis qui sese rebaptizari permiserunt) *in pœnitentia si resipiscunt, iacere conueniet, nec orationi modo fidelium sed nec Catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio Laica tantum in morte reddenda est.* Quibus igitur communio Laica in fine tantum exhibebatur, ij ab omni fraternitatis communicatione arcebantur, atque vel resipiscentes lõgè à fidelibus, vel extra Ecclesiam cum Flentibus, vel in Ecclesiæ porticu cum Audientibus stabant, omni benedictionis Sacramento toto vitæ tempore exautorati. Quibus animam agentibus Laica cõmunio restituebatur, hoc est, Clerici isti moribundi, vt Laici fideles peccatorum absolutione accepta, Eucharistiæ Sacramento, quod est Laicæ communionis apex, cumulus, & coronis, communicabant. Aliquando verò seueriore sententia, vt Patrum Sardicensium, ne animam quidem agentes, supremáque verba singultientes & eiulantes, Laica communione potieban-

Quid Laicam communionē ne in fine quidem concedere.

tur, hoc est, Eucharistiæ viatico: ne quibus Clericè viuere non libuerat, Laicè mori liceret. Ne autem eo in loco Laicæ communionis denegatio de absolutionis Sacramentalis viatico intelligi possit, duo in primis obstant, alterum concilij Nicæni. I. autoritas can. 12. ne quis hoc necessario viatico frustretur, præcipientis: Alterum ipsa communionis Laicæ vis, & natura, quæ communionem Eucharisticam complectitur. Omnis enim Laicorum communio quæ Eucharistica non est, communio simpliciter & absolutè dici non potest, sed communionis inchoatio & initiatio.

EXERCITATIO XI.

Degradari & Deponi, Antiquis esse synonyma.

Crimen quod Canon vnus degradatione, alter depositione punit. Abstineri & Segregari, quid. Post depositionem Clericum degradare, à Græcis mutuata phrasis. Quid verbis nudis, à Clero remoueri.

CLERICVM degradare, apud Antiquos nihil aliud erat quàm deponere: Nunc tamen vsus Ecclesiasticus paulo aliter inualuit. Distingunt enim Canonistæ à Depositione Degradationem; hanc illi so-

lemnes quaſdam cerimonias, & tituli Clericalis priuationem ſuperaddere docentes, ita vt degradatio & animo concipiatur, & reuera ſit Cenſura depoſitione longè grauior. Sed his omiſſis quæ illi fusè tractant, riuulos in fonte, ramuſculos in radice, fructus in flore, & radios in ſole quæramus, atque iiſdem criminibus à S. Patribus pœnas deputatas conferamus. Can. Apoſt. 44. *Epiſcopus, &c. pecunias mutuò datas cum fœnore exigens, ἢ παυσάσθω ἢ καθαιρείσθω, vel ceſſet vel deponatur*: repetitur hic Canon à Nicænis patribus c. 17. & Trullanis c. 10. Latinè audi quibus verbis hæc pœna enuntietur: *Clericus à Diaconatu & ſupra, pecuniam non commodet ad vſuras, &c. quòd ſi quis aduerſus hæc ſtatuta venire præſumpſerit, communione conceſſa ab ordine degradetur.* Aurel. 3. c 26. *Exactor fœnoris, aut vſurarum poſſeſſor, ſecundùm ſtatuta Patrum degradetur.* Tarrac. c. 10. Seuerior pœna à Concilio Eliber. c. 20. indicitur: *Si quis Clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit degradari & abſtineri.* Eandē pœnam his verbis explicat Arelat. 2. Concil. c. 14. *Si quis Clericus pecuniam dedit ad vſuram, &c. depoſitus à Clero, à communione alienus habeatur.*

Depoſitio & degradatio, eadē pœna.

Fornicationem & furtum ſic puniunt Canones Apoſtolici, *Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus, fornicationis vel furti conuictus, deponatur & non ſegregetur*, c. 25. Sic vero Patres Aurelianenſes: *Si quis Clericus furtum aut falſitatem admiſerit, quia capitalia ſunt crimina, communione conceſſa ab ordine regradetur.* Concil. Aurel. 3. c. 8. & Can 4. *Si de adulterio Clericus fuerit conuictus, in regradatione honoris priorum Canonum ſtatuta ſeruentur.* Ex hac paucula Canonum collatione duo conſectanea obiter

obiter nota, quæ aliis argumentis ſupra demonſtrauimus: depoſitionem, communionem Euchariſticam includere; abſtineri verò & ſegregari poſt depoſitionem, eandem excludere. In rem facilem diligentiùs incumbere, lectori eſt tædium & moleſtiam creare. Addam vnicum S. Auguſt. teſtimonium l. cont. Donat. poſt collat. c.4. *Non quieſcere*, ait, *in Eccleſia emendationis vigilantiam, corripiendo, degradando, excommunicando*, &c. Quid aliud intelligit quàm ſuſpenſionem, depoſitionem & excommunicationem? Phraſis iſta à Græcis petita eſt, apud quos frequentiſſimum hanc Cenſuram his verbis edicere, τοῦ βαθμοῦ κατάγεσθαι, καθαιρεῖσθαι, ἐκπίπτειν, à gradu deturbari, deponi, excidere.

Quid ſegregari & abſtineri poſt depoſitionem.

Duæ apud Antiquos depoſitionis ſpecies in vſu fuiſſe videntur: quarum prior eo quòd nudis verbis fieret, depoſitio ſimplex & nuda fuiſſe videtur; poſterior verò cũ degradatione moderna coïncidere, propter ceremoniarum cum quibus infligebatur, paritatem. Priorem ſpeciem confirmare videtur Concil. Arelat.1. c 13. *De his qui Scripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum; placuit nobis vt quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine Cleri amoueatur.* Poſteriorem multa teſtantur: Concil. Tolet.4 c.27. *Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus, ſi à gradu ſuo iniuſtè deiectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, orarium, annulum & baculum: Si Presbyter, orarium & planetam: ſi Diaconus, orarium*

& albam: Si Subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperant. Eadem repetit ex Concilio Maguntinensi Gratianus 11. q 3. c. Episcopus, Presbyter. & Synod. 8. act. 7. initio. Cùm enim Clerici ordinabantur, eiusmodi ornamentis donabantur, vt constat ex Concil. Carthagin. 4. c. 5. & sequentibus. Isidoro lib. 2. de Officiis Eccles. c. 6. & Aquisgran. capit. 9. æquum igitur erat iis in depositione spoliari. Priorem tamen illam depositionis speciem quæ nudis verbis infligebatur, cùm nullo nitatur testimonio, commentitiam existimo. Verba enim canonis Arelatensis citati, *Verbis nudis ab ordine Cleri amoueatur*, suspensionem significant non depositionem: Verbis nudis fit suspensio non depositio. Hoc est, quod emendant Patres, iubent enim Clericos qui eiusmodi crimen commiserunt, non suspendi tantùm, sed deponi. Traditores autem eiusmodi deponendos & depositos fuisse, multis contendit aduersus Donatistas Optatus. Alia est depositionis species quæ nudis verbis fieri quodammodo dici potest, cùm scilicet Clericus ita deponitur, vt abrogato gradus officio honos illibatus ei conseruetur: De qua depositionis specie in sequentibus plura.

EXERCITATIO XII.

De Depositione simplici, eiusque speciebus.

Depositionis variæ distinctiones. Depositiones possibiles, sed Antiquis non vsitatæ. Ancyr. c. 2. bis correcta versio. Aquisgran. Concilij Canon restitutus. Ab ordine depositus honore seruato fit Ecclesiæ alumnus. Item ante depositionem Pœnitens. Autoritate negatâ dignitas concessa. Episcopus Hierosl. exemptus. Chalced. & Nicænus ordine innouato honorati. Balsamonis error.

TRIA rursus in Clericis nobis consideranda sunt. Ordinis exercitium, iurisdictionis autoritas, & dignitas consessus: Quæ inter se ita comparata sunt, vt primum à medio non à tertio, tertium ab vtroque separari & distrahi possit; medium ab extremis & collateronibus ex natura sua, & posteriorum seculorum vsu separari quidem potest, ex vsu verò antiquæ Ecclesiæ separatum non memini. Depositio quæ virtute sua hæc tria spectat & amplectitur, respectu solius ordinis fit, vt cum Aristotele loquar, vel ἁπλῶς, vel κατά τι, simpliciter, aut secundùm quid. Simpliciter, cùm vniuersorum ordinum; secundùm

Depositionis diuisiones.

quid, cùm vnius, aut plurium exercitio cæteris concessis Clericus abdicatur. Respectu verò horum trium quadrupliciter variari potest. Aut enim depositio est ἁπλῶς ἁπλῆ, simpliciter simplex, cùm Clericus graui intercedēte peccato, simul & semel ordinis exercitio, iurisdictionis autoritate & consessus dignitate multatur, &ad communionem Laicam omni communione Sacerdotali & Ecclesiastica pulsus planè redigitur. Aut secundùm quid simplex, idque trifariàm: vel enim ordinum functionibus abdicato iurisdictionis autoritas & consessûs dignitas, vel abrogata iurisdictione solus consessus, vel denique negato consessu sola iurisdictio concedi potest. Primum & vltimum ab vsu antiquo aliena sunt. Nulli enim ab ordinibus vniuersaliter deposito autoritas vlla Ecclesiastica superfuit. Duæ sunt igitur depositionis simplicis species: simpliciter simplex & secundùm quid simplex, cùm deposito consessus honos conseruatur.

Depositionis genera non vsitata.

Ordinario iure & consuetudine cùm aliquis καθαιρεθεὶς depositus dicitur, de simpliciter simplici & absoluta depositione, hoc est intelligendum: Secunda enim species, seu secundùm quid depositio, ob quasdam speciales causas infligebatur, à seueritate consueta declinante paululum Ecclesiâ, vt exempla ferè omnia quæ extant, hoc testantur. Meletius turbulenti schismatis autor ea conditione à Nicænis Patribus officio Sacerdotali & omni iurisdictione abdicatur, vt honos consessûsque Episcopalis illibatus ei conseruetur. Sic de istius Schismatici depositione Patres ipsi loquuntur in Epistola ad Alexandrinam, cæterásque

Depositio secundùm quid ex Ecclesiæ misericordia nata.

Ægypti Ecclesias apud Theodoretum lib 1. cap. 9. & lib. 2. histor. Tripart. c. 12. *Concilium clementiùs aliquanto in Meletium animatum (nam si accuratè in eum inquisitum fuisset, nihil certè commeruisset veniæ) decreuit vt in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamque habeat potestatem vel cuipiam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi, vel in aliquam ciuitatem, vel regionem eius rei gratia commeandi; sed vt solùm dignitatis & officij nomen retineat,* ψιλὸν γὰρ τὸ ὄνομα τῆς τιμῆς κεκτῆσθαι, *nudum honoris nomen poßideat.* Ni fecissent Patres, hæreseως radices & fibras non euulsissent, sed ramos efferatiùs luxuriaturos amputassent. Eâdem indulgentiâ dignantur Patres Ancyrani miserabiles quosdam Presbyteros & Diaconos, qui tormentorum crudelitate victi idolis sacrificauerant, certaménque postea redintegrantes, gloriosè decertauerant. τούτους ἔδοξε τῆς μὲν τιμῆς τῆς κατὰ τὴν καθέδραν μετέχειν: *Visum est eos cathedræ quidem honoris esse participes: non licere autem ipsis offerre, aut sermones conferre, vel omnino sacerdotale aliquod munus obire:* can. 1. Idem canone secũdo in Diaconos. *Diaconos similiter qui sacrificarunt, postea autem reluctati sunt, illum quidem honorem habere, ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, & panem vel calicem offerendi vel prædicandi.* Bis corrigenda est versio, *ab omni Sacerdotali ministerio cessare,* vertendum, à sacro ministerio cessare, ἱερὰ enim λειτουργία, munus, non tantùm Sacerdotale aut Presbyterale significat, sed sacrum quodlibet officium, quod ἀπὸ τῶν ἱερατικῶν, à sacratis ministris, seu maiorum ordinum Clericis, peragitur. Hîc verò cùm de Diaconis lis vertatur, Sacerdotale verti

Ancyrani Cõcilij bis correcta versio.

non debuit. Præterea, *panem vel calicem offerendi*, legendum, *deferendi*: Græcè enim est διαφέρειν, non προσφέρειν, vt canone primo, cùm de Presbyteris agebatur. Diaconos deinde sacrificium legitimè aliquando obtulisse est inauditum: Si quando illud ausi sunt, sacris canonibus in eos est animaduersum, vt exempla prostant: Arelat. Concil. 1. cap. 15. Laodic. c. 25. Agath. 43. Aquisgran. 78. *quòd non oporteat Subdiaconos panem dare vel calicem benedicere*, reponendum, *Diaconos*: quáquam enim id officium præstare Subdiaconis non liceat, ad eos tamen hæc prohibitio non spectat, cùm eam temerasse nunquam commemorentur. Deinde desumitur hic canon, sicut nonnulli præcedentes & sequentes, è Concilij Laodiceni canone citato, qui de Diaconis necessariò est intelligendus.

Plura sunt huius Censuræ exempla quæ antiquitatis studiosus apud se colliget: Pauca præcedentibus addam, aliquantulum fortè ab iis variabunt. Sed meminerit, præmia pœnasque repagulis quibusdam, numerorum & naturarum Philosophicarum instar, in atomos indiuiduosque apiculos non cogi & angi, sed solutis carceribus stadium liberè decurrere, atque pro iudicum arbitrio sub eodem genere intendi modò modóque remitti. Eustathius simpliciter simplici depositione damnatus hac conditione restituitur, *vt retineat nomen Episcopi & honorem & communionem, non tamen ordinet, neque officio Sacerdotis in ea Ecclesiâ fungatur*: noua conditio additur, quæ alibi fortè nunquam legitur, *nisi adiutor assumatur, vel ei permittatur à fratre & Coëpiscopo*. Ephes. Concil. Ep. ad Concil. Pam-

phyliæ Act.7. fine. Simili pœna Presbyterum castigat S.Basil. cap.27. Vult enim illum, *esse quidem cathedræ participem, à reliquis autem actionibus abstinere.* Quid hoc sit, paulò post definit, *Nec priuatim nec publicè benedicat, nec Christi corpus alijs impertiat, nec aliquod aliud sacrum ministerium obeat, quòd præsideat contentus.* Hunc canonem renouat iisdem ferè verbis Trull. Concil. c.26. Gratiam paulò largiorem concedere videntur Patres Neocæsar.c.9. *Ne offerat*, inquiunt, *manens in alijs*. præter sacrificium cætera videntur elargiri. Concil. Cæsaraugustanum 2.c.1. de Arianis Presbyteris, qui vitam impunè egerunt, si fidem amplexentur, hâc fert sententiam superioribus consimilem: *Cæteri verò qui hanc supra scriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi, sint in Clero.* Gradus omnes dilucidè explicat Concil.Trull.c.3. Alios enim deponit, alios à ministerio cessare iubet honorem cathedræ & stationem retinentes, alios denique breui tempore ab officio prohibitos propriis gradibus restitui. Hoc tandem artificio infamiæ notam depositione simplici, sine communione laica Clericorum fronti inustam, veluti spongiâ quadam sanctissimi Patres absterserunt: Hac depositionis remissione, & Clericorum depositorum è sorte laica qualiquali subductione, velut epithemate quodam vulnus Censurâ illatum delinierunt & obduxerunt.

Vt distinctio depositionis in simpliciter simplicem, & secundùm quid simplicem clarior euadat, inter vtramque discrimen aliud non est reticendum. Clericorum vnumquemque pro dignitate sua plebis

Christianæ eleemosynis & oblationibus ab Ecclesia propria sustentatum fuisse nemo est qui neget: sed meritò quæri potest, quænam erat de depositis Clericis Ecclesiæ sententia. Vt quæstioni huic satisfiat, distinctio superiùs explicata ob oculos reponenda est. Si depositio erat vniuersalis absolutè, seu simpliciter simplex, ita vt Clericus hoc fulmine ad conditionem siue communionem laicam deturbaretur, nulláque cum Ecclesiasticis, neque ministerij, neque honoris societate iungeretur, nulla illi ex Ecclesiæ reditibus, fideliúmque oblationibus annona suppeditabatur, sed Exclericus iste victum, vestitum, cæteráque vitæ necessaria, si iis commodè frui vellet, proprio marte & industriâ sibi comparabat, nisi fortè extremæ paupertatis, senectutis, calamitosæ conditionis intuitu commota, vel cuiusdam scandali vitandi causa, clementiùs Ecclesia eiusmodi hominum generi consuleret. Huius clementiæ exemplar nobis præbet actio 7. Concilij Chalcedon. qua Domno ab Episcopatu Antiocheno deposito, ex misericordia singulari Ecclesiæ Antiochenæ sumptibus alimonia suppeditatur. Sic Synodum alloquitur Maximus ipse Antiochenus Episcopus: *Deprecor sanctam hanc & vniuersalem Synodum, humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Episcopus: dignemini & statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est.* Maximi precibus fauent sedis Apostolicæ Legati: *Siquidem,* inquiunt, *memoratus vir Episcopus Maximus sub arbitrio, Domno voluerit esse consultum, vt sumptus ei de sua Ecclesia (miserationis intuitu prout æstimauerit) largiatur, vt contentus alimonijs quiescat*

Quando Clericus depositus ab Ecclesia sustentabatur.

quiescat in posterum. Sententiam hanc postquam Anatolius C P. Episcopus confirmauit, addit, Domnum præter hoc nihil requirere. Vniuersa denique Synodus idem consilium probauit. *Quod de Domno*, ait, *probauit Maximus, & nos eidem consentimus, quæ sunt eius arbitrio derelinquentes de Domni honorificentia.* Ex posterioribus verbis constat Domnum planè fuisse depositum: Ex prioribus verò totiúsque sermonis circumstantiis vniuersaliter depositis annonam illam debitam non fuisse, sed gratuitò & clementer suppeditatam. Longè alia fuit ratio Clericorum secundùm quid depositorum. Dupliciter hoc modo deponi possunt, vel secundùm ordines quosdam: hac in specie gaudet Clericus oblationum partibus quæ gradui & ordini quem sustinet, & cui inseruit ex instituto Ecclesiæ, debentur. Presbyter est ad Diaconos ablegatus, Diaconorum quadrâ & mensâ viuet; idem de cæteris dictum esto. Vel deponitur Clericus simpliciter ab omni ordine, veste sola & honore clericali saluo & incolumi: Ab Ecclesia tum pro honoris cõcessi ratione sustentatur. Hoc factitatum videmus ex antiqua & canonica consuetudine, act. 12. Concil. Chalced. Bassianus & Stephanus, ambo iniustè Episcopatum Ephesinum possederunt. De ambobus Legati sedis Apostolicæ, & Anatolius C P. Episcopus hanc ferunt sententiam: *Ambos quidem esse remouendos, tanquam præter regulas factos, alterum verò ordinari, prædictos autem habere Episcopi dignitatem, & à sanctissima Ephesina Ecclesia nutriendos. Sancta Synodus exclamauit: Hæc pia interlocutio, hæc secundùm regulas est.* Quanti au-

tem æstimari debeat annona ista, definiunt iudices Imperiales, *Habeant dignitatem Episcopi, & ex reditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ, nutrimenti gratia & consolationis, annis singulis solidos ducentos accipiant.* Cui sententiæ applaudit vniuersa Synodus.

Pœnitentibus Clericis, postquam ante depositionem in Pœnitentiam missi sunt, idem alimoniæ ius & priuilegium concessum est. Ita enim iis consulit S.Gregor. lib.1. Ep 42. *Si qui ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel Leuitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alij lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico iuri non subtrahi. Ad vsum tamen suum accipiant, vnde ad pœnitentiam subsistant: ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, onerosi sint.*

Contrariâ prorsus ratione, negatâ aliquando iurisdictione, sola conceditur sedis & honoris dignitas, non depositione aut aliqua alia Censura, sed honoris amplitudine & maiestate. Ita Hierosolymitanus Episcopus nomine tenus Patriarcha audiebat, solóque sedis honore potiebatur, autoritate Cæsareensi Metropolitano conseruatâ, vt ex can.7.Nicæno constat, & Ep. sancti Hieronymi contra Ioannem Hierosol. Cùm autem Patriarchæ Antiocheno, nedum Metropolitano Cæsareensi subiici immodestè ferret Episcopus Hierosolymitanus, ad dignitatem Patriarchalem à Concilio Chalcedonensi actione 7. euectus est, tribus Palæstinis ab Antiocheno Patriarchatu auulsis, & illi attributis. Ignorantiæ igitur conuincitur Balsamon Patriarcha ipse Antiochenus, qui in can. 6. Concil. Nicæni, asserit illius Concilij decreto

Balsamonis ἀμαρτία.

Hierosolymitanum Episcopum ab autoritate Metropolitani fuisse exemptum. Hac dignitate donati sunt Episcopus Chalcedonensis, & Episcopus Nicænus, ambo Nicomediensi Metropolitano subiecti: *Episcopi nouo honore donati.* ὀνόματι μητροπόλεως μόνῳ ἐτίμησαν τὸν Νικαέων, προτιμᾶται δὲ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῇ τιμῇ μόνῃ. *Nomine Metropolis solummodo honorauerunt Nicænum, & præponitur reliquis Episcopis prouinciæ honore solummodò.* Chalcedon. Concil. actione 13. ad finem. Idem de Chalcedonensi Episcopo statuerunt Patres ad calcem actionis sextæ. Vtrique vrbi propter concilia celeberrima hæc priuilegia se contulisse Patres affirmant. Horum verò priuilegiorum originem can. 12. Chalced. Patres latiùs diffundunt, itavt necessitate quadam victi Imperatorum libidini illam susque deque agendam prostituere videantur: *Quæcunque ciuitates,* inquiunt, *per literas Imperatoris Metropolis nomine honoratæ sunt, solo honore fruantur, & qui eius Ecclesiam administrat Episcopus, seruato scilicet veræ Metropoli suo iure.* Quàm porrò inconstanter, intemperanter, ne dicam iniquè, Imperatores Græci hac autoritate abusi fuerint, quàm importunè & ridiculè disciplinam Ecclesiasticam posterioribus sæculis immutarint & peruerterint, quàm audacter & impiè temerarint, & pessumdederint, tum exponemus cùm de Primatibus & Exarchis erit nobis instituenda disputatio.

EXERCITATIO XIII.

Quid in antiquis canonibus Clericum ab honore & dignitate deponi.

Ordinis exercitium ab honore & dignitate non separatur. Sedes & honor clericalis duplex. Actiones intra & extra sacrum tribunal. Ab honore deponi, & ab ordine suo, idem.

DIximvs, nemini vnquam denegatam confessus cathedræ & honoris dignitatem, cui concessum esset ordinis exercitium. Plurimi canones conciliorum, præcipuè apud Latinos, quinto & sexto seculo celebratorum, oppositum innuere videntur, mutuámque esse & reciprocam harum rerum ab inuicem separationem: adeò vt sicut honor & confessus sine ordinis functione, ita ordinis functio sine honore & confessu retineri & conseruari possit. Clericos enim multare sæpè videntur sola honoris & dignitatis abdicatione: quales hi sunt Tolet. 4. c. 18. *Si quis deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum Sacerdotij indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus adepti honoris periculo subiacebit.* Aurel. 5. c. 11. *Ipse Episcopus qui magis per violentiam quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatus honore in perpetuum deponatur.* Leo

Ep. 87. c. 1. ad Episcopos Africæ: *Qui duarum simul est maritus uxorum, vel illum qui à prima uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, priuandum honore decernimus.* Ilerd. c. 15. *Qui habet familiaritatem extranearum mulierum, &c. si post primam & secundam commonitionem non se emendauerit, officij sui dignitate priuetur.* Barcinon. 2. c. 3. Matisc. 1. c. 11. Carthag. 3. c. 49. & 5. c. 4. Synodus Romana 4. sub Symmacho c. 6. Tarracon. c. 1. cæteros lectoribus colligendos dimittimus, sequente contenti: *Si quis autem ea quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore quem habet.* Hoc decernit Concilium Antioch. c. 10. aduersus Chorepiscopos.

Vt huius difficultatis nodus non præcidatur, sed dissoluatur, duplex distinguenda est Clericorum sedes, duplex honor, duplicésque actiones, ἐντὸς καὶ ἐκτὸς τοῦ βήματος, intra & extra sacrum tribunal. Quam distinctionem clarissimè innuit Concil. Antioch. can. 1. *Depositi autem etiam externo honore priuentur, cuius sanctus Canon & Dei Sacerdotium fuit particeps.* Hoc paulò fusiùs explicat S. Basil. ad Amphilochium can. 27. & Balsam. in vtrunque canonem & alibi sæpius. Quæ Episcopos & Presbyteros cæterosque ordine suo extra sacrum tribunal contingunt, è multis hæc sunt, prædicare Episcopum Presbyteris, Presbyterum Diaconis antistare, vestem & tonsuram clericalem ordini suo conuenientem gestare, cæterisque Episcopatus aut Sacerdotij priuilegiis gaudere: Intra verò sacrum tribunal, sacrificio præsidere, aut assidere, corporis Christi populum participem efficere, illi benedicere,

quibus cætera iunge quæ ex Ritualium & Pontificalium præſcripto in celebratione Miſſæ peragere neceſſe eſt. Intra ſacrum tribunal, officium & honos; ordinis exercitium & conſeſſus; ſacrificium atque illius miniſterium, vt cuiuis aduertenti patet, nodo Gordiano & ἀδιαλύτῳ vinculo connectuntur, & ex rei natura ſeparari non poſſunt. Si igitur vnum ab altero auelli & diſtrahi poteſt, reſpectu ſedis, honoris & actionum quæ extra ſacrum tribunal celebrantur, hoc contingere oportet. Quod dupliciter fieri poteſt: vel enim ſedes, honos, atque exteræ actiones à Sacerdotio & ordinis functione dirimuntur, quod ſæpiùs in vſu antiquo fuiſſe tota Obſeruatione præcedenti adnotauimus; vel Sacerdotium & ordinis functio, à ſede, honore, atque exteris actionibus; ita vt Clericus ab iis prohibeatur, Sacerdotium verò atque ordinis functionem retineat. Illud porrò eſt quod obiectio contendit. At non tantùm à conſuetudine Eccleſiaſtica abhorret hæc ſententia, verumetiam à recta ratione quæ minora non denegat iis quibus in eadem cauſæ ſpecie maiora conceſſit. Neque canones oppoſiti contrariam ſententiam adſtruunt: Nihil enim aliud in illis canonibus Patres intellexerunt per hæc verba, *honore deponi*, *dignitate priuari*, &c. quàm officio, munere & ordinis exercitio abdicari. Sed ne cauſam conteſtatam ſola ratione, quæ ſæpè incerta & fallax eſt, dijudicare videamur, ad leges legum doctiſſimas interpretes prouocemus. Illæ quæ de Clericorum honore & dignitate ſola videbantur enuntiaſſe de vtroque, officio ſcilicet & ho-

nore non semel explicant, vt honoris & dignitatis abdicatione, officij & ministerij Ecclesiastici abdicationem sese complecti demonstrent. Paucas è multis decerpam. Concil. Epaun. c. 22. *Si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, ab officij honore depositus, in monasterium retrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit, communionem sumendo.* Concil. Agath. cap. 50. eadem verba repetuntur. Ab officij igitur honore deponi, & Clericum ad Laicam communionem redigi, omnique ordinis vsu submoueri paria sunt. Istiusmodi canones passim occurrunt. Tolet. 11. c 6. *Si quisquam tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore priuatus & loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo.* Ilerdense cap. 15. *Si iteratò velut canes ad vomitum reuersi fuerint, non solùm dignitate officij careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non percipiant.* Similia Leo 1. Epist. 84. ad Nicetam Aquil. Epis. Zacharias in Syn. Romana c. 12. De simpliciter simplici seu omnimoda depositione his in locis Patres agere, rei ipsius euidentia demonstrat: idem præterea euincit circumstantiarum descriptio, imò depositioni circumstantias addunt depositione ipsa grauiores. Quibus verò terminis hanc animi sui sententiam declarant? his porrò, *dignitate officij carere, ab officij honore deponi, ordinis honore priuari.* Sunt igitur phrases istæ æquales, à Sacerdotio & ministerio deponi, honore priuari, officio & dignitate moueri, ordinum exercitio & honore abdicari.

EXERCITATIO XIV.

De depoſitione ſecundùm quid, eiúſque ſpeciebus.

Depoſitio ſecundùm quid definitur. Varijs modis diuiditur. Clericus localis, acephalus. Presbyter fit Diaconus, Lector, &c. Epiſcopus quando poteſt eſſe Presbyter. Epiſcopi in Presbyteri locum detruſi. Vocis actiuæ iure multari.

DEPOSITIONEM ſecundùm quid eam voco, qua Clericus non omniũ ordinum, ſed vnius aut plurium exercitio in perpetuum abdicatur. Verbi gratia, Presbytero officio Diaconi fungi licebit, non autem Presbyteri: Diacono officio Hypodiaconi aut Lectoris, non autem Diaconi. Notandum autem, qui maioris ordinis munere gaudet, minoris, modò eum aliquando ſuſceperit, priuilegiis frui poſſe. Quanquam hic ſaltus & ordinis anticipatio antiquitus nunquam, aut rariſſimè acciderit. Omnes enim Clerici locales erant, vt loquitur Concil. Valent. Hiſpaniæ can 6. Nullus, vt ita dicam, volatilis, aut deſultorius creabatur: nulli titulo, nulli Eccleſiæ addictus & conſecratus. Hos eleganter

Clerici locales, Acephali.

ganter Concil. Mogunt. can. 22. Vagos & Acephalos vocat & seuerè castigat: *De Clericis vagis & Acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, &c. Præcipimus vt Episcopi sine vlla mora eos sub custodia constringant*: Concilium verò Chalcedonense, abusus enim antiquissimus est vsus, can. 6. ἀπολύτως χειροτονουμένους, *dissolutè ordinatos*. In eos seuerissimè animaduertit: ordinationem enim illam irritam esse iubet. Eiusmodi igitur Clerici olim iure ipso deponebantur, & in laicorum ordinem abigebantur.

Depositionis secundùm quid variæ diuisiones.

Hoc depositionis genus in species & partes præcedenti consimiles & parallelas scinditur. Quæ igitur de priore dicta sunt, de hac eiúsque speciebus dicta intelligantur. Specialiùs distingui potest in tot partes, quot sunt ordinum species. Poterat Presbyter gradu moueri, & ad Diaconos ablegari, Diaconus ad Subdiaconos, Subdiaconus ad Acolythos, & sic deinceps. Poterat rursus Presbyter vel Diaconus, &c. duobus vel pluribus gradibus agi præceps: Poterant denique hæc omnia & singula variari dupliciter, hoc est, poterant Presbyteri, Diaconi, &c. ab vno vel pluribus ordinibus deponi, vel secundùm ordinem & dignitatem simul, vel secundùm dignitatem tantùm, vt apud Gregorium Magnum lib. 2. Indict. 10. Ep. 14. *Eum qui contra iustitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponimus.* Si dignitatum ratio nobis habenda esset, distinctionum messis, præcipuè posterioribus seculis, confertissima nobis consurgeret.

Sed hæc minutim persequi, minutè nimis esset philosophari. Paucis igitur exemplis hæc cùm illustrauerimus, consilio & officio nostro erimus defuncti. Tolet.Concil.1.c.4. *Subdiaconus, defuncta vxore, si vxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Ostiarios & Lectores.* Bituric. can.5. apud Lemou. act. 2. quem ex manuscriptis codicibus refert canonum ille eruditissimus Collector Antonius August. Archiepiscopus Tarraconensis: *Presbyteri & Diacones & Subdiaconi, sicut lex canonum præcipit, nec vxores, nec concubinas habeant, &c. qui verò derelinquere eas noluerint, à proprio gradu & officio cessent, & inter Lectores & Cantores permaneant.*

Episcopos non manet hoc depositionis genus, aliquando tamen pœna non admodum dissimili plectuntur. Nouatianos Episcopos ad Ecclesiam redeũtes, professione fidei edita, ita admitti iubet Concil. Nicæni can 8. vt in eodem ordine permaneãt, in quo inueniuntur, siue in pagis, siue in ciuitatibus, id est, si Presbyter est ordinatus, Presbyteratu fungatur; si Episcopus, Episcopatu: hac tamen conditione, vt si in illa ciuitate Episcopus Catholicus fuerit constitutus, qui ad Ecclesiam accedit Nouatianus Episcopus Catholico cedat, Presbyteri verò munus exerceat, & Episcòpi nomine nudóque honore gaudeat, nisi Chorepiscopi officio defungi malit. Hanc distinctionem pacis pronubam, & schismatis conciliatricem, canonis verba disertè exprimunt: *Vbi ergo omnes siue in vicis siue in vrbibus, ipsi soli inueniuntur ordinati, qui inueniuntur in Clero, erunt in eodem ordine. Si*

autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero existente, accedunt aliqui, clarum est quod Ecclesiæ quidem Episcopus, Episcopi dignitatem habebit: Qui autem apud eos qui Cathari dicuntur, nominatur Episcopus, Presbyteri nomen habebit, nisi vtique Episcopo placeat ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel Chorepiscopi vel Presbyteri locum excogitabit, vt esse omnino in Clero videatur, ne in ciuitate duo sint Episcopi. Eandem ferè pœnam Episcopis à Meletio ordinatis infligunt Epist. ad Alexandr. Ægyptíque Ecclesias scriptâ, quam referũt Theodor. lib. 1. c. 9. Tripart. histor. lib. 2. c. 12. Gelas. Cyzicen lib. 2. c. 33 Epistolæ textus sic se habet: *Qui ab eo* (Meletio) *in sacrum ordinem lecti sunt, arcanioribus sacratioribusque suffragiis confirmati, ad communionem admittantur. Præterea vt liceat eis quidem honorem simul & functionem ministerij obtinere: secundum autem prorsus locum ab omnibus cuiuscunque Paræciæ & Ecclesiæ exploratis, ac per reuerendißimum fratrem & Collegam nostrum Alexandrum lectis, atque designatis Episcopis ferant.* Addunt Patres huic pœnæ aliud Censuræ genus, quod nunc vocis actiuæ iure multari dicunt. Episcopos enim istos electionis & designationis ad ministeria Ecclesiastica, autoritate & priuilegio spoliant; quidquid verò hac in re tentauerint, irritum esse iubent, nisi id ratum habuerit Episcopus Catholicus. *Cæterùm vt nulla eis sit facultas, quos visum sit, designandi, aut nomina eorum subijciendi, aut omnino faciendi quicquam, præter Catholicæ Ecclesiæ Episcoporum, qui sub Alexandro sunt, sententiam.* Idem non supplicium sed beneficium Episcopis à Parœcia in quam nominati fuerant *Vocis actiuæ iure multari.*

non ſuſceptis ex Concilij Ancyr. c.18. ſententiâ contingebat: A ſua enim Eccleſiâ pulſis ad Preſbyterium quo exciti fuerant, regredi licebat. *Sin autem velint in Presbyterio reſidere, in quo prius erant Presbyteri, ipſos honore non moueri.* Fœdus olim non diſſimile Catholici in Africa cum Donatiſtis inierunt: cuius lex in primis erat, vt cùm duo in vna ciuitate concurrerent Epiſcopi, Donatiſta vnus, Catholicus alter, primas obtineret Catholicus, cederet Donatiſta, ea lege vt Catholico defuncto ſuccederet ipſe non alius.

Exempla tamen non deſunt, quæ Patres hîc gradum non ſtitiſſe, ſed longiùs progreſſos, in locum Presbyterorum Epiſcopos abſolutè coëgiſſe, concludere videantur. Nunquid canon 20. Concil. Trull. hoc diſertiſſimè pronuntiat? *Si quis hoc facere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat, Presbyteri autem munere fungatur*: ſententiámque hanc longè antequam à Concilio pronuntiaretur, executus eſt Euſtathius Beryti Metropolita: duos ille Epiſcopos à Photio Tyri Metropolita ordinatos, καθεῖλε καὶ ἐποίησε πρεσβυτέρους, *depoſuit & Presbyteros fecit*, vt refertur in Concil. Chalced. act. 4. Res tamen longè aliter ſe habet, vt ſequenti Exercitatione nobis eſt demonſtrandum.

EXERCITATIO XV.

An Episcopus ab Episcopatu depositus Presbyter esse possit.

Antinomia Concilij Chalced. cum Trullano conciliata. Episcopus suspensus potest esse Presbyter, non depositus. Aliter statuerunt posteriora sæcula.

EX ipso tamen Concilio Chalcedonensi non parui momenti difficultas emergit. Huic enim depositioni reclamantes habemus plurimos in Concilio Chalcedonensi Episcopos, Sedisque Apostolicæ inprimis Legatos. Depositionem illam irritam esse contendebant, non ex eo tantùm quòd Eustathius typo pragmatico, non Conciliorum decretis, ex Episcopo factus esset Metropolita, distractis & auulsis à Tyro Metropoli nonnullis Episcopatibus: sed præcipuè quòd inauditum erat, Episcopum in Presbyteri gradum deijcere. Sic enim enarratis depositionis illius gestis, quæ loco citato legere potes, exclamant Sedis Apostolicæ Legati: *Episcopum in gradum Presbyteri deijcere, sacrilegium est: Si verò & causa quædam iusta illos ab actu Episcopatus amouet, nec Presbyteri locum retinere debent. Si autem citra aliquod crimen moti sunt dignitate, ad Episcopalem dignitatem re-*

Antinomia Concilij Chalced. cum Trullano.

uertentur. Huic ſententiæ ſuffragantur vna voce omnes qui adſunt Epiſcopi, additque Iulianus Coënſis Epiſcopus, abdicationem illam, *παρὰ πᾶσαν τὴν τῶν κανόνων τάξιν, præter omnem canonum ordinem factam eſſe.* Contradictio illa Legatorum Pontificis atque Anatolij Epiſcopi Cõſtantinopolitani in canones Chalcedonenſes relata eſt; canonémque conſtituit viceſimum nonum.

Antinomia conciliatur.

Hunc nodum ſanè intricatum ſibi extricandum propoſuerunt Zonaras & Balſamon, canonem 20. Trull. commentantes: quorum verba ſi diligenter attendantur, & cum canonibus quos præ manibus habemus, conferantur, profundum hoc non inenatabile experiemur, ſed doctrinam Eccleſiaſticam eruemus altis tenebris obrutam. Nodum iſtum paucis verbis ex eorum mente ſic enodamus: Epiſcopus depoſitus, ad Preſbyteros non ablegatur: *ἱεροσυλία ἐστί*: hoc præſtare ſacrilegium eſt. Non enim deponitur Epiſcopus Epiſcopali officio, niſi capitale crimen cõmiſerit. Nullus autem qui capitale crimen commiſit, ſacerdotio fungi meretur. Quicunque igitur Epiſcopatu ſpoliatur, Preſbyteratus honore per canones iure frui non poteſt. Hæc eſt mens canonis Chalcedonenſis, ratióque palmaris qua in crimine Euſtathij exaggerando nituntur: Non enim Euſtathius Epiſcopos illos ſuſpenderat, ſed depoſuerat, vt cùm multa alia quæ in hac actione inſeruntur, tum verba quæ attulimus, euidenter demonſtrant. Hoc porrò eſt quod exhorrent Patres, & ſacrilegij accuſant. Nam vt ibidem infert Eunomius, Nicomediæ Epiſcopus,

ὁ μὴ ὢν ἄξιος εἶναι ἐπισκοπῆς, οὐδὲ πρεσβύτερος εἶναι δύναται ἄξιος: *Qui Episcopatu dignus non est, neque Presbyteratu.* Qui ergo sacrilegè ageret Episcopum, sacrilegè ageret & Presbyterum.

De Episcopo autem suspenso aut abstento, par nō est ratio. Cùm enim leui de causa abstinerentur, aut munerum Episcopalium exercitio interdicerentur, nihil erat impij aut sacrilegi si quæ Sacerdotis erant, administrare, cum Presbyteris in Ecclesia & extra Ecclesiam sedere, conuersari & communicare permitterentur. De hac Censura est intelligendus canon 20 in Trullo, vt & verba ipsa, & canonis occasio fidem faciunt: *Ne liceat Episcopo in alia quæ ad se non pertinet, ciuitate publicè docere. Si quis autem hoc facere deprehensus fuerit, ab Episcopatu desistat, Presbyteri autem munere fungatur.* Neque enim verba peccatum atrox, neque depositionem sonant: ab Episcopatu desistat, τῆς ἐπισκοπῆς παυέσθω. Episcopum autem leuiusculæ culpæ reum munere & dignitate Episcopali penitus excidere ab omni consuetudine Ecclesiastica alienum est. Nulla igitur est canonum istorum inter se oppositio, nulla collisio, cùm alter Presbyteratus dignitatem deneget Episcopis depositis, alter eandem concedat suspensis. Alia fuit posterioribus seculis Ecclesiæ disciplina. In Concilio enim Remensi cui ipse adfuit, & præfuit Leo IX. Pontifex, Nannetensis Episcopus ita Pontificali dignitate exuitur, vt Presbyteralis illi conseruetur inuiolata: *Iudicio Synodi sublato annulo, & pastorali pedo, priuatus est Pontificali ministerio, condonato ei interuenientibus*

Episcopus suspensus potest esse Presbyter, non depositus.

Aliter statuunt posteriora sæcula.

Episcopis tantummodò Presbyteratus officio. Et in Concilio Romano, anno Christi 964. celebrato, Benedictus V. Pontifex deponitur, & in ordinem Diaconorum cogitur, vt refert Luitprandus lib. 6. c. 11. his verbis: *Ad Domini Leonis Papæ pedes, ipsiusque Imperatoris, idem Benedictus concitè procidens, se peccasse, séque S. Romanæ sedis inuasorem esse clamauit. Post hæc Pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali ferula quam manu gestabat, Domino Papæ Leoni reddidit: quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit: deinde Benedictum in terra sedere præcepit. Pòst autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum S. & Apostolicæ sedis inuasorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore priuamus: ob eleemosynam verò Domini Imperatoris Ottonis, cuius sumus operâ in sedem debitam restituti, Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.*

EXERCI-

EXERCITATIO XVI.

De Excommunicatione eiusque effectibus & Speciebus.

Amicitia vnitatem & ταὐτότητα deperit. Hoc fabulis docent Plato & Arist. Homo Patribus dicitur deificari, Platoni quoque & Aristoteli. Amicitiæ vnitatem Eucharistiâ consequitur, natura non potest. Excommunicatione fit maxima separatio. Triplex vinculum Christianorum. Triplex absolutio. Excommunic. tres species. Istius diuisionis ratio.

SCITVM est Platonicorum, amicitiam in vnione & fruitione obiecti non acquiescere, sed cum eo vnitatem, καὶ τὴν αὐτὴν ταὐτότητα, ipsum, vt ita dicam, ipsissimum, appetere & deperire. Vnde fabula orta est ab ipso Arist. relata Polit. lib. 2. cap. 8. duorum amicorum cum Vulcano fortuitò peregrinantium, quos percontatus quámnam iucundæ & honestæ conuersationis mercedem ab eo domum reportare vellent, Non arma, non diuitias, non opes, regnáque te poscimus, inquiunt, sed vt in ignem à te coniecti, atque hûc & illûc for- *Amicitia vnitatem appetit.*

cipe verſati, & incudi appliciti, veluti recens procuſi ambo in vnum hominem coaleſcamus. Hinc Hermaphroditi & Salmacidis Nymphæ portentum emerſit, Cariæque fontis fabuloſa virtus. Hinc rurſus Platonis figmentum de prima hominum in Androgynos formatione, hominiſque in marem & fœminam ſectione, atque ideo naturalis & priſtinæ vnitatis conſequente appetitu. Tam poëtis ſcilicet, quàm Philoſophis exploratum videtur, amoris ſolicitas ægritudines & tempeſtates ſola vnitate, atque, vt ita dicam, cum obiecto ταυτισμῷ, ſeu identificatione ſanari & placari poſſe. Quæ adeò vera ſunt, vt Dominus Ieſus non ad vnionem modò ſed ad ipſam & ſecum & cum Deo vnitatem diſcipulos ſuos ſæpius inuitet: *Ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti*, &c. *Ego in eis & tu in me, vt ſint conſummati in vnum*. Ioan. 17.

Ex iſta philoſophica & diuina doctrina ſanctis Patribus fons erupit magnificarum locutionum profluentiſſimus: nam myſteriorum noſtrorum ſcopum, deificationem ſæpiùs publicarunt: *Templum Dei*, inquit Auguſtinus c. 56. Enchirid. *ædificatur ex dijs quos facit non factus Deus*. S. Athanaſ. orat. 4. aduerſus Arianos, & epiſt. ad Adelphium. *Chriſtus*, inquit, γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ, *factus eſt homo, vt nos in ſeipſo Deos faceret*. ſimilibus phraſibus non ſemel vſi ſunt SS. Gregorius Nazianz. Damaſcenus & Bernardus, ſed omnibus palmam eripuit S. Dionyſius, Areopagita dictus, qui de rebus diuinis, & noſtra cum Deo vnitione & piè ſentit ſemper,

Homo Patribus dicitur deificari.

& magnificentiſſimè loquitur. Frequentiſſimi ſunt apud illum huiuſmodi ſermones hyperbolici: *Salus obtineri non poteſt*, μὴ θεουμένων τῶν σωζομένων, *ſeruandis non deificatis*: Hierar. Eccleſ. c.1. & c. 3. *nomina communia*, ταῖς ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς ἑνιαίως ἀνηγόρευται: ἑκάστης ἱεροτελεστικῆς πραγματείας καὶ τὰς μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρουμένης: *Nomina communia cæteris ſacris myſterijs vnificè dicuntur; vnaquæque enim ſacra & myſtica operatio vitas noſtras diuiſas ad deificationem reducit vniſimilem, & rerum diuiſarum deiformi contractione cum vno participationem & vnionem largitur.* Hoc principio innixi Platonici non ſecus ac Chriſtiani, de hac vnitate mirificè loquuntur: qua de re Iamblichum conſule l. de myſteriis c. quod inſpiratus vacat ab actione propria, & Deum habet pro anima; quò reſpexit his verſibus qui aureum quod vocant Pythagoræ carmen compoſuit,

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος, θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.

Quinimo Ariſtoteles ipſe cui os ſublime cœlúmque videre à natura datum videtur, vt terrena tantùm ſaperet, aliquoties à terra aſſurgit, vt Ethicorum l.10.c.8. τοῖς μὲν θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος. τοῖς δ' ἀνθρώποις ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει: *Dijs quidem vita omnis beata eſt, hominibus verò in quantum virtutis huius & operationis ſimilitudo quadam ineſt.* Ita etiam ferè definit hanc beatitudinem & deificationem S. Dionyſius: ἡ δὲ θέωσίς ἐστιν ἡ πρὸς θεὸν ὡς ἐφικτὸν ἀφομοίωσίς τε

καὶ ἕνωσις. Deificatio est, cum Deo, quoad fieri potest, aßimilatio & vnitio.

Adminicula verò quibus hæc vnitas & deificatio in terris comparatur, sacramenta esse docent & prædicant Patres, potissimùm Eucharistiam, quam idcirco variis nominibus insigniunt, vt Dionys. τελετῶν τελετὴν, θειότατον καὶ ἀρχισύμβολον δεῖπνον, qui eam vocat *mysterium mysteriorum, diuinißimam & archisymbolicam cœnam*, aliisque pluribus quæ hûc congerere à consilio nostro esset alienum. Nec immeritò: fit enim Eucharistiæ participatione amoris miraculum, miraculorum omnium maximum. Amantium enim vota & suspiria diximus & probauimus in vnione cum re amata restingui non posse, sed vlteriùs aspirare, atque ad vnitatem vsque sese diffundere: quam cùm præstare natura non possit, illam perpetuò & incassum inhiare coguntur. Hoc verò est quod per Eucharistiam omnes Dei amantes consequuntur: Christo enim in hoc sacramento non vniuntur modo, sed in vnum cum ipso corpus coalescunt, & velvti coagmentantur, *vnus panis, vnúm corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, 1.Cor.10. ideò sæpiùs Eucharistia à Patribus, τὸ τέλειον *perfectum* antonomasticè dicitur: Ancyr. can. 4. 5. 6. *soli orationi duobus annis communicare visum est*, καὶ τότε ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *& tunc ad id quod perfectum est, accedere*. Christianismi enim perfectio, &, vt loquitur Dionysius, mysteriorum τελείωσις, vltimáque amoris diuini linea, Eucharistiæ est participatio, qua ad ipsum vnum summum ascendimus, eique vnicè coniungimur.

Homo Eucharistiâ deificationem cõsequitur.

Quamobrem verò, inquies, tam multa de mira ista amoris diuini efficacia, déque naturali, καὶ ὑποστατικῇ cùm Deo vnione nostra, cùm de excommunicatione verba facere nobis sit propositum? Quæ societas lucis ad tenebras? excommunicationis cum Christo? Nulla certè: Oppositorum tamen cùm eadem sit scientia, vt docet Arist. atque sibi inuicem comparata sese mutuò illustrent, facem nobis quæ dicta sunt ad excommunicationis cognitionem præferent. Excommunicatio communicationis est priuatio. Quanquam igitur Religio Christiana rerum tam sublimium hominem participem efficiat, cum Deo arctissimè coniungat, & Christo, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, *naturali vnitate*, vt loquitur S. Hilarius, lib. 8. de Trinitate, nos inserat, *velut si quis liquefactæ ceræ*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 4. in Ioannem c. 17. *aliam ceram infuderit:* Excommunicatio tamen est istorum beneficiorum, aut partis aut omnium denegatio & dissolutio, minima vel maior quorundam; maxima omnium ab solutè. Religio à religando dicta est, eo quòd religione Deo religamur & consecramur. Triplex autem in vniuersum est vinculum, quo Christiani siue cum Deo, siue cum Ecclesia religiosè confœderari & colligari possunt. Primum, sed debilissimum est Pœnitentium; etsi enim à sacramentis & sacrificiis exulent, preces tamen super ipsorum capita Ecclesia fundit, pœnarum & legum impositione ad se pertinere docet, atque ideo pro ipsorum dormitione preces & sacrificia Deo offert, & cum filiis suis sepul-

Excommunicatione fit maxima separatio.

Triplici vinculo Christiani cum Deo & Ecclesia colliguntur.

turæ priuilegio donat. Vinciuntur igitur cum Ecclesia tenui licet filo pœnitentes, atque ab eius vberibus penduli quodammodo gestantur. Alterum vinculum, sed longè arctius & tenacius, Consistentium est, quibus publica à peccatis absolutio conceditur, eoque nomine velut Deo & Ecclesiæ reconciliati publicis sacrificiis precibusque fidelium intersunt. Postremum & arctissimum omnia quæ mente concipi possunt, facilè superans, in quo denique residet sacræ vnitatis apex, & cumulus ex Eucharistiæ perceptione nascitur.

Hæc, vt faciliùs animo cõcipiantur, pauca, (quæ, si de censuris laicorum scribere Deus aliquando dederit, fusiùs nobis enarranda erunt,) breuiter nunc colligamus: qui plura postulauerit, illustrissimi Albaspinæi Aurelian. Episcopi lib. 2. Obseruationes 31. 32. 33. antiqua & succulenta eruditione exundantes interim consulat & euoluat. *Triplex absolutio.* Triplex impertiebatur in stadio Pœnitentiæ absolutio. In ingressu, absolutio ab Excommunicatione; benedictio enim & impositio Pœnitentiæ vinculi, Excommunicationis est cõfractio & contritio. In progressu, absolutio à peccatis, cùm scilicet à Substratione ad consistentiam fieret ascensus. In egressu, absolutio à pœnis canonicis, cùm à Consistentia ad μέθεξιν, siue ad societatem transirent fidelium, iusque illis fieret Eucharistiæ participandæ, & vnitatis mysticæ acquirendæ. E prima dispositiones ad gratiam virtute clauium enascebantur; è secunda, gratia ipsa; è tertia, gratiæ complementum, μυστηρίῳ τῷ πάντων ἱεροτελεστικωτάτῳ καὶ θεαρ-

χικωτάτῳ. Hic eſt triplex funiculus qui difficilè ſoluitur; hæc tria vincula quibus cum Deo in vnitatem omnem vnionem excedentem connectimur. Excõmunicatio maxima hæc omnia vincula ſoluit, abrumpit, conterit; ita vt eiuſmodi homines nullo ampliùs nodo cum Deo vel cum Eccleſia cohæreant, rerumque viciſſitudine miſerabili ad priſtinam Ethniciſmi conditionem redeant, Satanæ mancipia, dæmonum ludibria, furuæque inferis hoſtiæ mactentur. Catechumenos Eccleſia in vtero geſtat, Pœnitentes in ſinu lactat, Fideles diuino alimento in altari paſcit; Excommunicatos verò procul à ſe abigit, igni & aqua, omnique diuino & humano commercio iis interdicit. Quæ cùm omnibus grauia & intolerabilia ſint, Sacerdotibus ſanè ſunt grauiſſima. Nõ enim, vt ait ſanctus Dionyſius, Hierar. Eccleſ. c. 1. ex munere ſuo Hierarchico perficiuntur tantùm & deificantur, ſed vt alij perficiantur & deificentur, autores ſunt & adminiſtri: Oportet, inquit, αὐτόν τε ἱεράρχην τελεσθῆναι κατὰ τὰ θεῖα, καὶ θεωθῆναι, καὶ τοῖς ὑποβεβηκόσι μεταδοῦναι, κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς ἐγγινομένης αὐτῷ θεόθεν ἱερᾶς θεώσεως.

Quare omnium pœnarum quas infligit Eccleſia, maxima & maximè formidabilis eſt Excommunicatio, extrema ſcilicet & gradu ſuprema. Illa enim non tantùm peccatorem à ſacrorum celebratione aliquantum temporis arcet, vt ſuſpenſio; aut ſtatu & dignitate Eccleſiaſtica in perpetuum mouet, vt depoſitio; ſed ab omni omnino ſocietate Chriſtiana & participatione diuina expellit & fugat. De ea nunc

nobis eiusque siue gradibus siue speciebus, quà clericos spectant, verba facienda sunt. Pro instituti igitur nostri ratione omissis iis quæ vulgò disputantur, quis fuerit illius in primæua Ecclesia antiquissimus vsus, inquiramus & aperire enitamur.

Tres excommunicationis species.

Antequam verò id aggrediamur, excommunicationem in genera sua breuiter digerere operæpretium est. Excommunicare ex notatione nominis nihil aliud est quàm communione priuare: Eodem sensu eâdemque nominis potestate Græci dicunt, ἀκοινώνητον vel ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι. Tria autem sunt quorum communione multari possumus: Personæ, res, vel vtrumque: Personæ autem duplices, vel Ecclesiasticæ, vel laicæ. Hinc triplex emergit Excommunicationis genus: vel enim Clerici à Clericorum & Collegarum, vel Sacramentorum, vel etiam Laicorum communione & commercio arcentur: Vniuscuiusque præterea excommunicationis plures sunt gradus & ampliationes: His imponemus vulgaria nomina & vsitatissimis quàm proxima. Prima igitur vocetur minima quæ Clericum à Clericorum & Collegarum commercio frequentatione & conuictu eliminat; Secunda maior, quæ Sacramentis participandis inhabilem reddit. Tertia maxima, quæ non modò à Collegis aut diuinis mysteriis, sed etiam ab omni fidelium communicatione & conuersatione remouet & expellit.

Si quis distributionem nostram vlteriùs persequi voluerit, suspensionem & depositionem in sinu suo eam complecti facilè deprehendet. Quemadmodum

enim

enim perſonas quas reſpicit excõmunicatio, in duas ſpecies diſtinximus, Eccleſiaſticas & Laicas: ita res ipſæ quæ nihil aliud ſunt quàm Sacramenta, & quæ Sacramenta conſequuntur, dupliciter conſiderari poſſunt. Vel enim Clerici Sacramenta conſecrant, aut conſecrandis inſeruiunt, vel iam conſecratis ad ſalutem propriam vtuntur. Priore autoritate bifariàm multantur, aut ad certum tempus, aut in perpetuum: Si ad tempus, ſuſpendi; ſi in perpetuum, deponi dicuntur. Cenſuræ iſtæ, vt præmonuimus, atque vt rei natura comprobat, excommunicationes iure appellari poſſunt, eoque nomine nonnunquam à Patribus vocantur. Sed cùm à longo tempore hæ appellationes obſoleuerint, in earum verò locum ſuſpenſionis & depoſitionis voces inoleuerint, diſtributionis noſtræ partem illam quæ miniſterium ſpectat vel actionem in ſacramenta, velut ab vſitato excommunicationis ſenſu alienam, nihilque ad ea quæ dicturi ſumus pertinentem, conſultò omiſimus. Cenſuram denique minimam quanquam à Sacramentis neque ſuſcipiendis, neque conficiendis reum arceat, excommunicationis tamen nomine appellauimus antiquam denominationem ſecuti, cuius exempla nõnulla Patrum canones Exercitatione decima octaua nobis exhibebunt. Rei verò naturam ſi acu tangere velimus, à Sacramentis arcet etiam minima excommunicatio. Etſi enim Epiſcopo ſic excommunicato communio cum Eccleſia propria concedatur; reſpectu tamen Epiſcoporum cum quibus communicare prohibetur, Sacramentis interdicitur. Cum iis enim

in concilio agens, vel ſolitarius, in eorum Diœceſi occaſione aliqua degens, ἀλειτούργητος, vt loqui amant Patres Græci, καὶ ἀνενέργητός ἐστι, omni ſacerdotali munere ſpoliatur, vt ſequentes Exercitationes legentibus cumulatè conſtabit. Si cui autem his rationibus ſatisfactum non eſt, rem teneat: Cenſuræ verò huic ipſis antiquiſſimis Patribus, per me licet feliciùs nomen imponat.

EXERCITATIO XVII.

De minima Clericorum Excommunicatione.

Quibus verbis enuntiatur. Ante ſuſpenſionem Epiſcopos tantùm ſpectat: Poſt ſuſpenſionem omnes Clericos. Infligitur ſimul cum ſuſpenſione, vel poſt ſuſpenſionem. Quibus rebus priuat. Arcta Epiſcoporum cum Metropolitano communio; Eâ priuari grauis pœna.

Quibus verbis minima excommunicatio enũciatur.

MINIMA excommunicatio his ferè verbis à ſacris Canonibus enunciatur: *Charitate fratrum, charitatis communione priuentur, à communione & charitate fraterna ſint alieni, à fratribus & comprouincialibus maneant excommunicati: Eccleſiæ ſuæ communione ſint contenti.* Hæc pœna ad Epiſcopos præcipuè ſpectat. Exempla quibus inferioribus clericis

Hæc cenſura ad Epiſcopos præcipuè ſpectat.

illa inferatur, vix supersunt: quotquot nobis cognita sunt (sunt autem hæc plurima) Episcopis pœnam istam infligunt. Huiusce disciplinæ, quæ Episcopis hanc Censuram inurit, Presbyteros verò cæterósque inferiores Clericos ab ea eximit occasio, & ratio ab ipsa necessitate petita videtur. Cui enim magis, vt cum Dialecticis loquar, conceditur, minus denegari inconsentaneum est: sed Presbyteris, Diaconis, cæterisque mysteriorum ministris in hac excommunicationis specie ex hypothesi nostra, diuina officia defungi licet; mutua igitur, ἐντὸς τοῦ βήματος, *intra sacrum tribunal*, vt loquitur Balsamon, communione & commercio frui necesse est extra Ecclesiam. Igitur communicationis, colloquij, amicitiæ & familiaritatis mutuis pignoribus illos priuari, absonum omnino foret. Episcopi verò cùm à se inuicem longè dissiti sint, sacráque solitarij cum Presbyteris & Diaconis suis obeant, à Metropolitano & Coepiscoporum commercio & externa communione, internâ illæsâ & integrâ facilè suspendi possunt: cuius rei testimonia plurima iam iam afferimus, quibus canones nonnullos hactenus implicatos, & densis tenebris inuolutos, facilè explicabimus & euoluemus.

Priusquam tamen hoc enarrare aggrediamur, dubio occurrendum est quod statim ex dictis animum subit. Esto, Presbyteri, cæterique inferiores Clerici ante suspensionem, ea de qua verba facimus, excommunicatione non feriantur., post suspensionem, καὶ ἀλλ{ ιυργησίαν, eá-ne plecti possunt? Sacerdotali & ciuili ab inuicem communione, Ecclesiastica & Politica

ſimul vnâ eâdemque ſententia eos multari mós-ne fuit aliquando? Ita eſt. Non modò Epiſcopi, ſed etiã Clerici inferiores poſt ſuſpenſionem hac Cenſura plectebantur, idque dupliciter: vel enim vnica ſententia ſuſpenſioni addebatur hæc excommunicatio; vel ſi delictum adeò graue non eſſet, ſuſpendebantur tantùm: accedente verò ad delictum pertinacia, vel leuiori aliquo peccato, excommunicatione iſta præterea feriebantur. Prioris diſciplinæ exemplum nobis præbet cum multis aliis Conciliis Tolet. 1. c. 15. *Si quis laicus abſtinetur, ad hunc vel ad domum eius nullus Clericorum vel Religioſorum accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, à Clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehenſus, etiam ipſe abſtineatur.* Abſtinere, Eccleſiaſticum verbum antiquum, Hiſpanis & Afris vſitatiſſimum, de quo ſuprà monuimus, cùm de Clerico dicitur, ante depoſitionem, ſuſpenſionem ſignificare; cùm verò de laico, Euchariſtiæ priuationem. Similiter ex huius legis præſcripto animaduertunt Patres Aurelianenſes in Epiſcopos, qui laicum intempeſtiuè, & nondum regulis & cerimoniis Eccleſiaſticis initiatum, in Epiſcopum conſecrant. *Si hoc quiſquam Epiſcoporum tranſcendere quacumque conditione præſumpſerit, anno integro ab officio & charitate fratrum habeatur extraneus*: Aurelian. 5. c. 9. In Epiſcopos qui laicis permittunt res Monaſteriorum velut Abbates gerere, ſic animaduertit Meld. c. 10. *Si deinceps iſtud ſine vindicta dimiſerint, tribus menſibus hoc Synodali iudicio à Miſſarum ſolemnijs ſe abſtineant, & ſuæ tantùm Eccleſiæ communione contenti fiant.* In illo

Clerici hac cenſura plectebatur poſt ſuſpenſionem.

canone 10. Meld. hoc citatur ex Concilio Holoniensi. Habitum est Concilium illud sub Sergio II. Vniuersalis lex illa non fuit: sæpius enim, vt diximus, suspendebatur tantùm; posteà verò simili vel alio crimine commisso, aut contemptu & peruicacia animum obfirmante, suspensioni addebatur hæc nostra excommunicatio. *Si quis Episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis siue Presbyterij, contra ius Canonum promouere præsumpserit, nouerit se vnius anni spatio ab omni officio Sacerdotij esse suspensum. Cui si fortè sententiæ subiacere contempserit, à communione eius vsque ad magnam Synodum se fraternitas vniuersa suspendat*: Aurel. 4. 10. & 3. c. 6. *Nullus Pœnitentem, nullus digamum, nullus viduarum maritos, in prædictis honoribus audeat ordinare, &c. Et ideò quicunque ab hac die, contra ea quæ superiùs sunt comprehensa, Clericum ordinare præsumpserit, ab ea die, anno integro missas facere non præsumat. Quam rem si quis obseruare noluerit, & contra consensum fratrum faciens, Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum charitate nouerit se alienum*: Arelat. 3. c. 3. Eadem pœna atque etiam vtrâque à nobis explicatâ seuerior Episcopos manet, ex decreto Concil. Arelat. 2. c. 30. *Secundùm instituta Seniorum, si à communione Sacerdotali fuerit autoritate suspensus Episcopus, hunc non solùm à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi.* Obseruantia fuit illa Ecclesiæ Arelatensi singularis, cæteris hac in parte rigidior. Sunt igitur inferiores Clerici Episcopis post suspensionem in minima Excommunicatione pares; ante verò suspensionem, vt ra-

tione & exemplorum inopia demonstrauimus, impares.

Quibus rebus Episcopum priuat.

Minima verò excommunicatio, quæ Episcoporum specialis est censura, ea est qua Episcopi Collegarum & Coepiscoporum communione & charitate spoliantur. Communio & Ecclesiastica necessitudo, quæ Episcopo intercedit cum Collegis suis, quatuor fere capitibus continetur: Mutua visitatione; solemnium in Collegarum Diœcesi, dum in ea moraretur, etiam præsente Collega celebratione; literarum formatarum & commendatitiarum reciproca missitatione & acceptatione; in Conciliis denique autoritate, suffragiis & consessu. Quorum omnium compotem esse, dum stetit disciplina Ecclesiastica, (*Censuraque diuina soluta non fuit*, maximi fuit momenti. Tanta enim erat & tam arcta inter Episcopos societas & confœderatio, vt omnes Prouinciæ Episcopi sub eodem Metropolitano velut fratres sub eodem patrefamilias vitam degerent, Diœcesesque suas administrarent. Omnes bis quotannis aut minimum semel ad Synodum confluebant, de variis Ecclesiæ suæ negotiis deliberaturi & pronuntiaturi. In hoc cœtu ab Episcopis appellationes cognoscebant, eorum iudicia retractabant, de Episcopis ipsis sententiam ferebant, atque pro criminis grauitate illos deponebant, suspendebant, aut à charitate, communione & fraternitate mutua, vt ipsi loquebantur, ὡς τῆς συνοδίας ἀπόσχους, eiiciebant & fugabant: quod vltimum non secus ac præcedentia, vt dedecus ingens notamque infamiæ profundè inustam, vt par erat, Episcopi fere-

Arcta Episcoporum cum Metropolitano communio.

bant ægerrimè. Tanta prætera erat Episcoporum erga Metropolitanum reuerentia, tanta Metropolitani in Episcopos autoritas & maiestas, vt ab eo diuelli aut seiungi non secus ac à vite palmites, ab arbore rami, à fonte riuuli, aut à Sole radij nusquam paterentur: Ita vt Episcopis separationem illam & auulsionem, vt pœnam non minimam Synodi nonnunquam interminarentur. *Si Episcopus secundò admonitus aut mittere aut venire distulerit, tamdiu à charitate Metropolitani sui nouerit se esse suspensum, donec ad præsentiam eius veniens, causæ ipsius de qua petitur, reddiderit rationem*: Aurelian.5.c.17. Plura erant eiusmodi communionis Episcopalis pignora & symbola, seu tesseræ, quæ nunc longo sæculorum ductu intermortua, & prope extincta sunt: quorum ideò iacturam facere, iis quibus hæc non satis perspecta sunt, nullius momenti infortunium videbitur; censuram verò pœnamque grauem reputari, fortassis etiam ridiculum. Huius disciplinæ ignoratio, vel potius incogitantia, plurima quæ luci meridianæ tenebras offundunt, tenebris Cimmeriis hominum æstimatione effecit obscuriora; sed longè diuersa sententia antiquorum Christianorum mentes insederat, vt ex testimoniis quæ sequuntur, cumulatè constabit.

Priuatio communionis Episcoporum cum Metropolitano, grauis pœna.

EXERCITATIO XVIII.

Variis testimoniis minimæ Excommunicationis natura demonstratur.

Minima Excommunicatio sacramenta non respicit, neque actiuè, neque paßiuè. Quæ præcipuè peccata hac puniantur. Qui cum Episcopis non communicat, neque cum eorum Ecclesiis. Hæc censura à concilijs Excommunicatio dicitur. quæ maior Synodus. cùm sperneretur, ei addita est communionis Ecclesiæ propriæ priuatio. Minima Excommunicatio Episcopi communionem cum Ecclesia propria includit. Hoc Canonibus exprimitur, cùm non exprimitur subaudiendum. Hæc Censura Græcis non erat in vsu.

HIs quatuor communionis capitibus, quæ suprà retulimus, Episcopum priuat minima, de qua verba facimus Excommunicatio: cum Coepiscopis neque ciuiliter, neque religiosè cõmunicat: ab eo commendati Clerici non suscipiuntur; neque illi est cum Collegis formatarum commercium: autoritate denique, suffragiis & consessu in conciliis abdicatur. Illi tamen in Ecclesiam & Diœcesin

Diœceſin propriam autoritas & dignitas; cum Clericis verò & plebe diœceſana communio integra & illibata conſeruatur. Neceſſitudinem enim & cognationem qua Epiſcopus Eccleſiam propriam, aut poteſtatem qua ſacramenta attingit, ſiue ἐνεργητικῶς, ſiue παθητικῶς, non afficit hoc Excommunicationis genus, ne limites à nobis ductos tranſiliens, naturæ propriæ limites exiliat, in aliámve ſpeciem ſiue ſuſpenſionis ſiue excommunicationis degeneret. Qui ſequuntur canones iſta confirmant. de Epiſcopis cōtendentibus quibus Primas dedit Iudices, ſic ſtatuunt Africani Patres: *Quiſquis prouocatus, repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare Iudicibus: cùm hoc primæ ſedis Epiſcopo fuerit probatum, det literas, vt nullus ei communicet Epiſcoporum, donec obtemperet,* Afric. 89. & Mileuit. c. 24. In eadem cauſa ſic pronunciat Aurel. 4. c. 12. *A charitate fratrum, qui diſtulerit, habeatur extraneus.* Lugdunenſe verò primum c. 1. *Tribus menſibus ſe à charitate fratrum nouerit eſſe ſequeſtratum Epiſcopus qui Synodi iudicium refugit.* In diuerſa verò, *Eidem Epiſcopo ab aliȷs non communicetur Epiſcopis*: Afric. 99. Carthag. 7. c. 5. his ſimiles Afric. 90. Mileuit. c. 25. Qui indictæ à Metropolita aut Primate Synodo per ſe aut per alium non adfuit, hac pœna plectitur: *Si quis autem adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam diſſoluatur concilium, crediderit deſerendum, alienum ſe à fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus*: Arelat. 2. c. 19. *Si quis Epiſcopus commonitus à Metropolitano, ad Synodum, nulla graui intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit, ſicut ſta-*

Hæc Cenſura ſacramenta non reſpicit.

tuta Patrum ſanxerunt, vſque ad futurum concilium, cunctorum Epiſcoporum charitatis communione priuetur: Tarracon. ſub Hormiſda c.6. Matiſcon. 2. c.20. Vormac. ſub Adriano II. c.16. Eandem pœnæ ſpeciem, ſed in diuerſi cauſa decernit Aurel. 1. c. 7. *Publicè à comprouincialibus Epiſcopis confundatur. Quòd ſi nec ſub tali ſe confuſione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus, minores verò vt dignum eſt diſtringantur.* Epiſcopo autem qui comprouincialibus non communicabat, cum eorundem Eccleſiis nulla erat communio: qui enim, vt ait S. Cyprianus, non eſt cum Epiſcopo, non eſt in Eccleſia. Hoc euidenter explicat Concil. Turon. 2. c. 9. Sic punit Epiſcopum qui alium ordinat ſine Metropolitani aut Collegarum conſenſu: *Meritò à charitate noſtra vel noſtris Eccleſiis ſegregantur, qui Patrum ſtatuta contemnunt.* Vltrà audent concilia, præcipuè ex variis prouinciis coacta, vt illud ipſum Turonenſe quod nobis eſt præ manibus; Epiſcopos enim non tantùm à comprouincialium, ſed etiam ab aliorum Epiſcoporũ communione prohibent. *Si quis Epiſcopus ad Synodum venire diſtulerit, vſque ad maiorem Synodum, à Metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia prouincia vllus Epiſcopus intereà communicare præſumat*: Turon. 2. c. 1. Maior Synodus ea eſt quæ ex pluribus prouinciis coaluit, quæ Matiſcon. 2. c. 20. vniuerſalis nuncupatur, & Africano plenarium Concilium c. 64. 65. ſicut & S. Auguſtino non ſemel.

Qui cum Epiſcopis non communicat, nec cum eorum Eccleſijs.

Maior Synodus.

Charitate fratrum & communione Epiſcoporum priuati genus eſſe Excommunicationis non tantùm

testatur canon citatus, sed & Toletani Concilij 11. c.15. *Quisquis Episcoporum, excepta ineuitabili causa, se absentauerit à Concilio, vnius anni erit Excommunicatione plectendus.* Ita ferè Tolet. 12. c. 12. sed omnium clarissimè Emerit. c. 7. *Decretum est priscis canonibus semel in anno fieri concilium*, &c. *Sunt nonnulli, qui pro hoc admonitionem sui Metropolitani, & regiam iussionem accipiunt, & minimè implent quæ iubentur: hos priscorum Canonum sententiæ Excommunicatos esse iubent vsque ad tempus superuenturi Concilij.* Cùm verò pœna hæc vt leuior ab Episcopis non satis reformidaretur, grauiorem eodem canone decernunt: *Quamuis Excommunicationis damno feriantur, nihil tale in his impenditur, quod debeant metuere. Placuit huic sanctæ Synodo vt quisquis ille Episcopus ad concilium venire distulerit admonitus, illic Excommunicationis agat tempus, vbi cum his qui præsentes fuerint, elegerit Metropolitanus*, &c. Ecclesiæ præterea administrationem illi adimunt, eamque dum pœnitentiam agit, Metropolitano committunt: vtraque hac pœna ex aliorum priscorum canonum sententia similiter punit Episcopum Agath. c.35. *Vsque ad proximam Synodum à charitate fratrum & Ecclesiæ communione priuentur.* Vnum est, quod scrupulum Lectori iniicere potest: An scilicet canonum testimonia quæ citauimus, quibus Episcopi cæteri cum certo quodam Episcopo communicare vetantur: Episcopus autem ille à Coëpiscoporum & Collegarum *charitate & communione sequestratur, excommunicatur, priuatur, alienus & extraneus habetur*: Communionem Episcopi istius cum Ecclesia propria, & illius pascendæ

Hæc censura excommunicatio vocatur.

& regendæ autoritatem complectantur. Hîc est quæstionis cardo, totiusque rei caput quod Exercitatione præcedenti explicauimus, & hac demonstrandum suscepimus. Testimonia enim à nobis hactenus allata, Episcopo sic excommunicato concessæ cum Ecclesia propria communionis mentionem nullam faciunt. Fidem igitur sententiæ quam asserimus, facere non videntur. Sed facile est, Lector, ex animo tuo scrupulum istum euellere.

Multa enim sunt exempla, conciliorumque sanctiones, quibus dum Episcopis cum Collegis communio interdicitur, eadem lege cum Ecclesia propria conceditur, quæ cum præcedentibus comparatæ euidenter euincunt, & si in iis cum *à charitate, à communione fratrum alieni sint Episcopi*, edicitur nulla facta huius exceptionis mentione, *Ecclesiæ tamen suæ, vel plebis suæ communione fruantur*: Eam tamen re ipsa supplendam & supponendam esse. Antequam ea proferamus, illud ipsum ex iis quæ iam dicta sunt, certis rationibus nobis est euincendum. Trita est iuris vtriusque sententia, odia esse restringenda, fauores ampliandos; vnde efficitur, vt cùm de censuris & pœnis aliquid sancitur, illud nulla sit ratione aut coniectura ampliandum, sed benigna potius interpretatione & explicatione emolliendum, & ad praxim reuocandum. Cùm igitur Episcopis ob delicta quædam cum Collegis fraternitas, communióque negatur, lex illa perperam & inuitis Legislatoribus ad communionem cum Ecclesiâ propriâ trahetur & diffundetur. Denique si his verbis vel similibus, à

charitate & communione fratrum remoueatur, omni Ecclesiæ propriæ communione abdicatur Episcopus, Ecclesiam istam & Diœcesin alicui regendam committere debuerunt Patres, ne Ecclesia diu ἀκέφαλος, & sine rectore damnum caperet, vt Emeritenses c.7. præstiterunt. Cùm enim pœnam illam vt nimis leuem intendere in animo haberent, & Episcopum omni Ecclesiæ communione multare, Metropolitanum creant Diœceseos Oeconomum & Procuratorem, sed rem adeò necessariam nusquam præstant. Indicium est igitur euidens, hac excommunicationis sententia, neque temporalem, neque Ecclesiasticam reo ablatam esse Diœceseos administrationem.

Sed prodeant canones huiusce sententiæ testes, quíque eam euidentissimè comprobent. Hac pœna afficiunt Africani Patres Episcopum, qui alienum Clericum ad Clericatum promouit, aut monachum non suum monasterio suo præfecit. *Episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantùm plebis communione contentus sit, & ille neque Clericus, neque præpositus perseueret*: Carthag. 5. c. 13. Afric. c. 47. his similes sunt can. Carthag 5. 10. Afric. 43. Hanc Ecclesiæ consuetudinem testatur sanctus Augustinus clarissimè: ep. enim 261. enumerans Episcopos Africanos à Romanis Pontificibus variis censuris castigatos, Victorem quendam refert hac conditione reconciliatum, vt solius Diœcesis suæ communione frueretur: *Clamet alius eiusdem Prouinciæ Victor Episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit, nusquam*

nisi in Diœcesi eius ab alio communicatur. Clamet, inquam, aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui. Quæ verba vt planè intelligantur, duo notanda sunt: alterum, Priscum in cuius pœna Victor relictus fuit, spe Primatus adipiscendi cæteris integris exutum fuisse, quod quomodo in Ecclesia Africana fieret antiquitus, supra explicauimus; alterum, Episcopo cui communione fratrum erat interdictum, soláque Ecclesiæ propriæ communio concessa, in propria Diœcesi communicare, cæteris collegis & Coepiscopis licitum fuisse.

Hoc pœnæ genus considerans Balsamon in can. 79. Carthag. nouum vocat excommunicationis genus, illudque eo ferè modo quo enarrauimus, explicat, *σὺ δὲ σημείωσαι καινότερον ἀφορισμόν: alij enim canones accipiunt excommunicationem, quod quidem attinet ad Episcopos, vt nihil sacerdotale obeant. Præsens autem canon eos à sacro ministerio non impedit, sed separat à reliquorum fratrum communione.* Hunc sensum etsi non ita disertè, amplectitur tamen Zonaras in Concil. Carthag. c. 82. 86. Nouum meritò excommunicationis genus vocat Balsamon homo Græcus: Vsitatissima quidem in Occidente hæc censura fuit, vt tam multis exemplis rem planam fecimus, sed in Oriente vix vlla extant huius excommunicationis γνωρίσματα. Iussit quidem S. Leo ep. ad Anatol. 38. Episcopos qui in latrocinio Ephesino ceciderant, suæ Diœcesis communione cōtentos, cæterorum charitate & amplexu multari: Græcos verò & Orientales hac censura vsos me legisse non memini. Leonis verba hûc attexere non

erit superuacaneum: Censuræ enim istius praxim non parum illustrant. Sic de Episcopis nonnullis qui in Ephesino conciliabulo hæresi Eutychianæ consensum præbuerant, & resipiscentes postea communionis Pontificiæ desiderio arserant, ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scribit: *Illud quidem quod præsentibus & agentibus nostris, constitutum est, approbamus vt suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti: sed cum Legatis nostris quos misimus, participata tecum solicitudine, volumus disponatur, quatenus hi qui plenis satisfactionibus, malè gesta condemnant, & accusare se magis eligunt quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur.* Episcopos pœnitentes quidem, sed pœnitentiam criminis expunctricem & peremptoriam non agentes, Ecclesiarum propriarum communione donat Pontifex: suam verò communionem quæ nullo maculæ contagio infici debet, illis denegat. Imitari videtur S. Leo Dauidem Regem, qui rebelli filio nondum planè reconciliatus, reditum ab exilio ea conditione cum eo componit, 2. Reg. 14. *Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Ita Pontifex Episcopis istis Ecclesiam propriam restituit, faciem verò suam & communionem illis subtrahit. Nam vt præclarè eodem loco ait idem Pontifex: *Nec asperè communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda.*

EXERCITATIO XIX.

Ea verba, Communione Ecclesiæ suæ sit contentus Episcopus, superioris esse iurisdictionis.

Hæreticorum error refutatus, ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς.
Censura hac iurisdictionis est argumentum.
Qui eam negligebat, grauiùs plectebatur.

PERSTRINGENDVS est hîc quorundam error, in eo enim euertendo vt diutius immoremur, nec instituti nostri ratio permittit, nec peruersæ interpretationis euidentia postulat. Quoddam est genus hominũ, qui hausto semel odio, & ferali concepto furore, quidquid vident aut intelligunt, vt fabulosa illa Agaue, atro quo imbuti sunt felle illitum statim arbitrantur. Vnde fit vt ἀμετρία τῆς ἀνθολκῆς, sicut eleganter ait sanctus Basilius, τοῦ μέσου διαμαρτάνοντες οὐ παύονται, immoderata quadam & impotenti animi cupiditate in suam partem quæque trahendi & torquendi à medio aberrare non cessent. Hunc igitur canonem & huic similes, *ab aliorum communione separatus, sui populi communione contentus sit*, opponunt hæretici quo Pontificis eleuent autoritatem, excommunicationisque fulmen non obtundant modò sed extinguant. Ex eo enim colligunt belli isti antiquitatis

tiquitatis Ecclesiasticæ vindices, excommunicationem non esse autoritatis & iurisdictionis argumentum, sed mutuæ & reciprocæ tantùm separationis & secessionis indicium. Excommunicare nihil aliud esse, quàm declarare cum hâc vel illâ Ecclesiâ, hoc vel illo Episcopo nolle ampliùs vt vllum secum intercedat religionis commercium. Quæ quidem si iis credere fas est, mutua sunt: Communicare mihi non vis, nec ego tibi: veluti cùm in diuortio vxori nuntius remittebatur, *Res tuas tibi habeto, meas mihi ago.*

Hoc strato caduco & tremulo fundamento, Pontificum excommunicationes in quosvis orbis fines vibratas, adstruunt vniuersalem illius in Ecclesiam autoritatem, atque in istos populos iurisdictionem non conuincere, sed Pontifices istis Ecclesiis nuncium remisisse, illarumque communionem repudiasse tantùm euincere, vel, vt vno verbo dicam, Excommunicatos ab Episcopis, à suâ non autem ab vniuersali Ecclesiâ eliminari. Verùm insanam interpretationem quis sanus confutare adlaborabit? Quis Episcoporum depositionem, suspensionem, excommunicationem, ab Ecclesia omnique cœtu Christiano eiectionem & exterminationem sæpissimè non legit, nisi omnis literaturæ rudis, rudere tantùm didicit? Quid? Num ipsi Ministellos suos exautorandi autoritatem conciliabulis suis vendicant? Cur idem, non dicam Pontifici, sed Carthaginiensibus Patribus non licebit? Inuiolata conceditur quibusdam Episcopis Ecclesiæ propriæ communio, Collegarum commu- *Censura hæc iurisdictionis argumentum.*

nione abrogatâ, non autoritatis defectu, sed criminis leuitate, & Patrum indulgentiâ. Cùm enim non adeò graue esset crimen commissum, remissiore pœna plectendum censuerunt, intentiore nisi corrigatur plexuri, néve à nobis hoc effictum credatur, idipsum testantur ijdem Patres Afric. Concil. c.90.91. & Mileuit. c.25. *Si in matricibus cathedris Episcopus negligens fuerit aduersus hæreticos, conueniatur à vicinis Episcopis, &c. Si eos ad vnitatem Catholicam conuertendos non curauerit, non ei communicetur donec impleat: si autem probatum fuerit, eum de communione illorum mentitum, &c. etiam Episcopatum amittat.* Testatur & S. Augustinus ep. 261. Ibi enim rationibus & exemplis multis contendit, in Episcopos, Episcopatus honore & autoritate inuiolatâ, variis aliis pœnis fuisse vindicatum, atque pœnis istis eam de qua agimus adnumerat: *Aut verò quisquam ita esse debet, siue seueritatis, siue lenitatis exactor, vt qui nonnisi fuerint Episcopatus honore priuandi, nullo modo in eis aliquid vindicetur: aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, Episcopatus honore priuentur. Existat exemplo, &c.* Denique hoc ipsum testantur quæ hucvsque demonstrauimus, genus scilicet pœnæ canonicæ fuisse hanc ἀκοινωνησίαν, excommunicationis speciem. Ab alio igitur quàm ab autoritatem & potestatem habente infligi non debuit. Idem est complexionis portentum, ac si diceres, fur dupli damnas erat, ergo fœnerator, erat indemnis; quadrupli enim damnabitur: leuior pœna in leui crimine, seueriori non præiudicat in scelere. Sed brutam hæreticorum ignorantiam & cæcum furorem missa faciamus.

EXERCITATIO XX.

De maiori Excommunicatione Clericorum.

Maior excommunicatio cum minima comparatur. definitur. Quibus verbis ab antiquis deſcribatur. Prioribus & poſterioribus ſæculis Pœnitentia dicta eſt. Axiomata duo notanda.

HACTENVS de minima Excommunicatione verba facientes, quatuor quæ latiſſimè ſeſe effundunt, è tenebris eruimus, & euidenter demonſtrauimus, quibus in rebus illa conſiſtat, ad quas perſonas præcipuè pertineat: ad ſolos Epiſcopos ante ſuſpenſionem ſpectare, ad Presbyteros quoque cæteróſque Clericos, poſt ſuſpenſionem: aliquando denique ſimul cum ſuſpenſione infligi, aliquando verò Clerico, poſt ſuſpenſionem iterum peccante, ſuſpenſioni addi ſolitam. Secundam excommunicationis ſpeciem priori longè grauiorem nunc explicare aggrediamur. Tria pro inſtituta breuitate ediſſeremus. Quid ſit illa excommunicatio, quando Clerici illâ feriri poſſunt, & quomodo excommunicationem iſtam cum præcedente comparatam maiorem vocamus: prior enim etſi per ſe gra-

Maior excommunicatio cum minima comparatur.

uis, hanc tamen si spectes leuis est. Trita est apud Canonistas sacramentorum participationis distinctio, in actiuam & passiuam; neutrâ prior Clericum spoliat, vtrâque posterior. Duplex in genere est communio, sacerdotalis & laica; vtraque vel externa vel interna; à sacerdotali externa tantùm semouet prior; à sacerdotali vtraque & laicâ internâ, posterior. Censuræ Clericorum propriæ duplices, suspensio & depositio; neutram necessariò supponit prior, vtramque posterior. Excommunicationem igitur maiorem definimus, censuram qua Clericus ab officio depositus omni sacramentorum participatione priuatur: vel quod idem est, qua Clericus ad laicam communionem redactus, laicorum fidelium communione spoliatur, & ad pœnitentium classes amandatur. Maior enim excommunicatio depositionem antea factam supponit, vel eâdem sententiâ cum excommunicationis fulmine faciendam: quod quadringentis & aliquot annis in Ecclesia obtinuit. Itaque tum temporis Clericus propriè ad pœnitentiam non deprimebatur: Clericali enim conditione spoliatus laicam induerat, à qua ad priorem nullus amplius illi patebat accessus. Sed sequentibus seculis clementiùs cum iis agi cœptum est, suspensique Clerici ad pœnitentiam ablegati sunt, à qua rursus, vt ex sequentibus innotescet, velut postliminio ad pristinam dignitatem reuertebantur. Vt igitur breuissimè, & vnico verbo res colligatur & expediatur: Excommunicatio maior nihil aliud est quàm pœnitentia Clericorum.

Quid excommunicatio maior.

Hanc censuram verbo abstinendi aliquando efferebat antiquitas, vt Concil. Eliber. c.20. *Si quis Clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstineri*: cui verbo per omnia respondet Græcorum ἀφορίζεσθαι, can. Apost. c.30. *Si quis Episcopus sæcularibus principibus vsus, per eos Ecclesiam adeptus sit*, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, *deponatur & segregetur*. De huius verbi significatione plura scripsimus in tractatu de suspensione, quæ consule. Aliquando eandem excommunicationem significabant Patres per laicæ communionis denegationem. Concil. Sardic. c.1. *Si omnibus placet, huiusmodi pernicies seueriùs & austeriùs vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis est.* Clerico enim laicam communionem illis temporibus non concedere, nihil aliud erat, quàm post depositionem eum ad pœnitentiam abigere. Quæ enim præter communionis Eucharistiç priuationem Clerico degradato, deposito, & ad communionem laicam redacto pœna alia irrogari potest? nisi fortè cum eadem priuatione pœna adhuc multo seuerior? Cùm igitur edicunt canones, Clericus degradatus, depositus, abstineatur, segregetur, communione laica non donetur, minima quæ post depositionem intelligi potest censura, SS. Eucharistiæ est denegatio. Eiusmodi autem pœna primam à μεθέξει, & conditione fidelium pœnitentiæ classem constituit, quam SS. Gregorius Thaumaturgus, Basilius aliique Græci σύστασιν, consistentiam vocant, Nicæni verò Patres, solius orationis participationem. Sed huius rei ratio

Quibus verbis ab antiquis describatur.

Maior excommunicatio Pœnitentia dicta.

nem & fuſiorem explicationem, cum de depoſitione ageremus attulimus.

Sæpius tamen Clerici à Patribus etiam antiquiſſimis diſertè, & ipſiſſimis verbis ad pœnitentiam damnantur. Ne exiſtimes, Lector, nos tecum coniecturis & ratiociniis tantùm agere. Hoc refert & laudat de S. Cornelio Pontifice, Cyprianus l.1. ep. 4. *Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus ac iuſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuit huiuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.* Sermo autem erat Cypriano de Baſilide & Martiale Epiſcopis lapſis. Eliber. c.76. *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari*, &c. *Si ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere communionem.* Neocæſareenſe pariter, can.1. *Presbyter ſi vxorem duxerit, ordine ſuo moueatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.* Sed ante hos omnes canon Apoſtol. 61. idem de Clerico decernit, μετανοήσας δ' ὡς λαϊκὸς δεχθήτω, *Pœnitentiam agens vt laicus recipiatur.* Poſterioribus ſeculis hæc cenſura frequentius fuit vſurpata. Tolet. 4. c. 42. Clericos relegari ad pœnitentiam iubet, qui conſortia extranearum mulierum appetunt. Idem decernit in eadem cauſa Brac. 3. c. 4. *Huius ergo præceptionis tranſgreſſor, ſex menſibus ſe nouerit Pœnitentiæ legibus ſubiacere.* Neque eo tempore ab hac Cenſura immunes erant Epiſcopi. *Epiſcopus autem qui inuitum aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus, Miſſas facere non præſumat:*

Aurelian.3 c 7.& 2. eadem eſt ſententia Tolet.16.c.2. Concilium verò Ilerdenſe, c. 5. aliis verbis rem eandem ſignificat: *Quòd ſi iteratò, velut canes ad vomitum, reuerſi fuerint, &c. non ſolùm dignitate officij careant, ſed etiam ſanctam communionem niſi in exitu non percipiant.* Clericum communionem non niſi in exitu percipere, nihil aliud eſt quam pœnitentiam ſubire & quidem maximam: eandem pœnam, ſed non ita grauem indixit Concil. Arelat.2. c.14. *Si quis Clericus pecuniam dederit ad vſuram, &c. depoſitus à Clero, à communione alienus habeatur.* eadem pœna eſt quæ à Concil. Eliber. c.20. in idem vitium decreta eſt, *degradetur & abſtineatur.* Poſt depoſitionem enim & degradationem abſtineri, & communione priuari, quid aliud eſſe fingi poteſt, quàm pro ratione criminis ad aliquam Pœnitentiæ claſſem amandari? Sed ne ſola & inuicta ratione ſtemus, interpretationem noſtram ipſiſſimis verbis cõfirmat Concil. Ilerd. c.1. Quod enim de Clericis quibuſdam edixerat, duobus annis tam officio quàm communione priuentur, paulò poſt in eodem canone explicat: *Quod ſi infra definitum tempus negligentiores circa ſalutem ſuam extiterunt, protelandi ipſius Pœnitentiæ tempus in poteſtate maneat Sacerdotis.* Vniuerſaliter hæc duo axiomata, & vera ſunt & obſeruanda. Quoties in Conciliis & Canonibus depoſitionem cõmunionis priuatio ſubſequitur, Clerici ad pœnitentiam relegantur: quoties verò præcedit, ſuſpendi intelliguntur. hæc quoniam fusè cùm de ſuſpenſione ageremus, perſecuti ſumus, nunc à fuſiori enarratione ſuperſedebimus. *Duo notanda.*

EXERCITATIO XXI.

Antiqua gradatio criminum, quibus censuræ respondent.

Peccatorum quinque classes quibus quinque censuræ respondent. Triplici de causa Clerici pœnitentiâ puniebantur. Quare non facilè deponuntur, & simul abstinentur Clerici.

Clericorũ peccata in quinque classes partita.

EX iis quæ iam dicta sunt, & quæ in tractatu de depositione demõstrauimus, facilè eruitur quando Clerici hoc fulmine ferirentur: Hæc paucis accipe. Clericorum peccata in quinque generales classes digerebant Patres; seu in peccatorum deformitate & scelere quinque gradus animaduertebant, qui fortasse his quinque nominibus veluti τεχνικοῖς non incommodè efferentur, & à se inuicem distinguentur: delicta, peccata, crimina, scelera, flagitia, quæ quinque pœnarum generibus parallela sunt. Excommunicationi minimæ, suspensioni, depositioni, excommunicationi maiori, & maximæ.

Quæ censura cuique classi respondeant.

Ob delicta vt plurimum excommunicatio minima infligebatur, hoc est, ob diem litis contestationi vel Synodo præstitutum, non obitum, vadimoniumque derelictum & desertum, cæteræ culpæ priore grauiores, ordinariæ tamen, quæ omnes vulgò peccata dicuntur

cuntur, ſuſpenſione plectebantur, crimina depoſitione, ſcelera pœnitentiâ ſeu maiori excommunicatione, flagitia & nefanda peccatorum portenta maximâ excommunicatione, id eſt, ab omni Eccleſiæ aditu eliminatione, atque ab omni ſocietate & conuerſatione Chriſtiana, expulſione. His ſuppoſitis eiuſmodi eſt ad peccata, & cenſuras pœnitentiæ Eccleſiaſticæ χέσις & relatio.

Triplici de cauſa Clerici pœnitentiâ puniebãtur.

Triplici de cauſa tantùm Clerici pœnitentiâ puniebantur; omnis enim pœnitentia depoſitionem, vel ſupponit, vel includit: Ideo delicta, peccata, crimina Clericorum ſolitaria, pœnitentiâ non plectebantur. *Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurij vel furti conuictus deponatur, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω, & non ſegregetur*, c. Apoſt. 25. hoc eſt, ſufficiat depoſitio, præterea non excommunicetur, ad pœnitentiam non cogatur, à communione laicorum non arceatur. Vt præter rationem ab Apoſtolis redditam, *non vindicabis bis in idipſum*, S. Baſilij autoritas euincit, c. 32. ad Amphiloch. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem deijciuntur, à laicorum autem communione non arcentur: non enim bis vindicabis in idipſum.* Idem aſſerüerat S. Baſilius c. 3. rationémque aliam magni momenti addiderat: occurrit enim huic obiectioni. Cur laici cùm fornicantur, pœnitentiæ colla ſubmittunt, non autem Clerici: huius diſcriminis rationem duplicem affert, Clerici deponuntur, hoc ſatis eſt; bis enim non vindicatur in idipſum. Præterea laici *à loco fidelium eiecti*, pœnitentiæ traditi, *rurſus in eum ex quo ceciderunt, locum recipiuntur.* Clerici

Cur Clerici non deponuntur, & ſimul abſtinentur.

verò ſemel depoſiti omni ſpe reſtitutionis excidunt; iniquum igitur foret, eos cum laicis eodem pœnæ genere inuoluere. *Diaconus verò ſemel habet quod ſufficiat, depoſitionis iudicium. Tanquam ergo ei non reddendo diaconatu in ea ſola punitione ſteterunt.* Quædam verò ſunt peccata adeò grauia & atrocia, quæ ordinis & diſtinctionis ergò ſcelera nuncupauimus, vt vtrâque pœnâ & depoſitione & pœnitentiâ plecti mereantur: qualia plura ſunt exempla, vt can. Apoſt. 64. *Si quis Clericus in Iudæorum vel hæreticorum Synagogam ingreſſus ſit ad orandum, deponatur & ſegregetur.* De peccatorum verò genere vltimo, quod flagitium diximus, cùm ſupremâ vindictâ feriatur, in præſentiarum nihil attinet dicere.

Culpas priores, peccata ſcilicet & crimina ſolitaria, diximus & probauimus pœnitentiâ non plecti: ſi enim ſolitaria non fuerint, hoc eſt, depoſitionem cõſequantur, Clericum vel potius qui Clericus fuerat, pœnitentiæ reum conſtituunt. Clericus igitur ob crimen depoſitus, ſi crimen iterabat, aut ſimile aliud perpetrabat, pœnitentiæ iugo ſubdebatur. Hoc trifariam accidere poterat: Vel enim ſcelus perpetrabat, tunc ab Eccleſia & omni communione Chriſtiana eiiciebatur: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus iuſtè ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando creditum miniſterium attingere audeat, ab Eccleſia omnino abſcindatur*, can. Apoſt. 28. Vel crimen, tum pœnitentiam pro grauitate criminis ſubibat: Vel peccatum, & tunc mitiùs cum eo agebatur: leuioris enim pœnitentiæ vtpote Conſiſtentiæ reus erat. Atque vt bre-

uissimè dicam, Clericus capite minutus, & ad conditionem laicam demissus, vt laicus excipiebatur. Triplici igitur de causa ex dictis manifestò colligere est, Clericum ad pœnitentiam adigi, vnicâ ante depositionem; duplici post depositionem: ante depositionem, si scelus; post depositionem, si peccatum aut crimen perpetrauerat.

EXERCITATIO XXII.

An Clericis suspensis, atque ante depositionem pœnitentiam ingressis, ad Clericatum detur regressus.

Qua pœna afficiebatur suspensus iterum peccans. Clerico pœnitenti antiquitus regredi non licuit, posteà concessum est. Obiectio proponitur.

QVÆSTIO vna superest quæ Lectorum menti obuersari potest. Clericum scelus committentem, vnico fulmine & deponi, & in pœnitentiam deturbari; depositum verò, peccati vel criminis reum, ad pœnitentiam relegari demonstrauimus. Quid erit de Clerico suspenso dicendum? Iterum peccans quo genere pœnæ à Patribus plectebatur? vt huic quæstioni abundè satisfiat, omnisque exhauriatur difficultas,

Pœna Clerici suspẽsi iterũ peccantis.

multiplici responsione opus est. Variè enim pro variis peccatis vel criminibus puniebatur. Aliquando eius intendebatur suspensio: Apost. 12. *Segregetur & qui excepit & qui exceptus est. Sin autem est segregatus, eius intendatur segregatio*, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμός: Aliquando deponebatur, can. Apostol. 58. *Segregetur, & si in socordia perseueret, deponatur*: aliquando denique à communione Eucharisticâ exul, ad pœnitentiam pellebatur. Quæ omnia & ex superioribus, & ex rei ipsius naturâ facilè comprobantur. Vlteriùs tamen acris ingenij Lector progredietur, quæretque, Num Clericus suspensus, antequam deponatur & fiat laicus, in pœnitentiam mitti possit, ita vt pœnitentiæ stadio decurso pristinam dignitatem recuperet? Semel enim exautoratus Clericus ad Sacramenti Ecclesiastici rogationem non amplius admittitur; ideo nec mirum si postea ad pœnitentiam detrusus, postliminio redire non potest: Sed dispar ratio est, si pœnitentiam subeat, quam depositio non præcesserit. In hac igitur hypothesi, Clericus exactâ pœnitentiâ pristinæ dignitati nunquid restituetur? Idem de caussa ista & hypothesi dicendum quod de priore. Pœnitentia enim infamiam fronti pœnitentis inurit, nullo medicamento aut epithemate delebilem: quadam enim ἀχειροτονησία, atque, vt loquuntur Canonistæ, irregularitate pœnitentem afficit, quæ eum ad quosuis ordines suscipiendos inhabilem efficit. *Ex pœnitentibus, quamuis sit bonus, Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur à Clero quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem: si au-*

Clerico pœnitenti antiquitus regredi non licuit.

tem ſciens Epiſcopus ordinauerit talem, etiam ipſe ab Epiſcopatus ſui ordinandi duntaxat poteſtate priuetur: Carth. 4. c. 68. cuius conſuetudinis cùm obuia ſint omnibus exempla, illamque in tractatu de Cenſuris laicorum demonſtraturi ſimus, fruſtra plura proferentur. Concludendum igitur Clericis quauis ex cauſa ad pœnitentiam delapſis, ad priſtinos gradus ex more veteris diſciplinæ viam eſſe irremeabilem. Dilabente tamen tempore dilapſa eſt Eccleſiæ ſeueritas, & cum Clericis pœnitentibus clementiùs agi cœptum eſt. Itaque poſterioribus ſeculis plures videre eſt ſuſpenſos ad pœnitentiam miſſos, ex ea poſtea emiſſos, honorem officij ſtatim recuperaſſe. *Si ſciens Epiſcopus in hac vilitate permixtionis viuentem* (Clericum intelligit ſeſe propriæ miſcentem vxori) *ad officium poſtea admiſerit, & ipſe Epiſcopus ad agendam pœnitentiam tribus menſibus ſit à ſuo officio ſequeſtratus*: Aurelian. 3. c. 2. 7. *De Clericis qui in obſeſſionis neceſſitate poſiti fuerint id ſtatutum eſt, vt qui altario miniſtrant, &c. ab omni humano ſanguine etiam hoſtili ſe abſtineant. Quod ſi in hoc inciderint, duobus annis tam officio quàm communione corporis Domini priuentur:* Ilerd. c. 1. c 8 Emerit. c. 7. Tolet. xi. c. 3.

Poſterioribus ſeculis Clerico pœnitenti regredi licuit.

Huic verò ſententiæ multa repugnant, Concilium ipſum Agathenſe c. 43. *De Pœnitentibus id placuit obſeruare, quod ſancti Patres noſtri Synodali ſententia cenſuerunt, vt nullus de his Clericus ordinetur.* Concilium ipſum Aurelianenſe tertium c. 6. cuius tamen teſtimonium in contrariam partem interpellauimus, de ordinandis Clericis ita ſtatuit: *Ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut Pœnitentiam profeſ-*

ſus, &c. ad ſupraſcriptos ordines promoueatur. Ad ſupraſcriptos dixit, ſuperiores intelligens; ad inferiores enim neceſſitate ſic poſtulante cum iis diſpenſatum eſt ex decreto Concil. Tolet. 1. c. 2. Repugnant præterea plurimorum Pontificum, qui iiſdem & aliquot poſtea ſeculis vixerunt, decreta. Hilarus ep. 1. c. 4. ad Aſcanium, & Tarracon. prouinciæ Epiſcopos: *Proſpiciendum eſt ne ex Pœnitentibus aliquis ad ſacrum miniſterium prorſus ſinatur accedere.* S. Gregor. l. 2. Reg. indict. 10. ep. 25. *Præcipimus ne vnquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, &c. vel Pœnitentem ad ſacros ordines permittas accedere.* Idem edicunt alij complures. Cùm igitur hæ aſſertiones à ſe inuicem tam ſint diſſitæ, qua arte conciliabuntur, quo Hymenæo pronubente ſibi inuicem copulabuntur? Illum quærere operæpretium eſt, quomodo ſcilicet pœnitentiam agerent Clerici; quid intereſſet inter laicorum & Clericorum pœnitentiam, cùm illa pœnitentem ἀχειρότονον, & ad ordines ſacros inhabilem redderet, hæc minimè: hoc eſt noſtri inſtituti tertium caput aggredi, cuius enarratio non tantùm ingeniis politis & antiquitatis amantibus, ſed etiam Barbaris, ἀμούσοις, & glande veſcentibus ſcitu erit pulcherrima.

EXERCITATIO XXIII.

De Spontanea Clericorum Pœnitentia.

Pœnitentia publica duplex. Spontanea definitur. Pœnitentia publica omnem pœnam eluit. Pœnitentia ſpontanea nullam infert irregularitatem. Quando in ea manus imponebantur. Antiquißimus eſt illius vſus.

CLERICORVM ſicut laicorum duplex eſt conſideranda Pœnitentia, priuata & publica; Priuata, quæ laicis vel Clericis peccata ſua ſecretò confitentibus priuatim imponebatur. Nullâ cum ordinibus ſacris ἀντιπάθεια laborabat iſtud pœnitentiæ genus, cùm iſtorum criminum conſcia non eſſet Eccleſiâ, nec publicè conciliatis & proſtratis manus ad criminum purgationem imponerentur: alioquin omnes Clerici & laici ad ordines inhabiles fuiſſent, cùm huic pœnitentiæ vtrique frequentiſſimè colla ſubmitterent. Clericorum rurſus ſicut laicorum Pœnitentia publica duplex erat, ſpontanea vna, iudiciaria altera. Spontanea ea eſt quam Clerici vel laici ſani, ſed vt plurimum Clinici & lecto decumbentes, religione ducti, vel diuini iudicij formidine & horrore concuſſi, ſibi imponi poſtulant. Cùm enim omnibus Chriſtianis antiquitus per-

Pœnitentia duplex, priuata & publica.

Pœnitentia publica duplex, ſpontanea & iudiciaria.

Pœnitentia publica omnem eluit pœnam.

ſuaſum eſſet, pœnitentiam publicam ab Eccleſia impoſitam, & diligenter exactam, omnes peccatorum maculas eluere, hominemque puritati, integritati & innocentiæ quam per Baptiſmum acquiſierat, reſtituere: plurimi, præcipuè diuturnis morbis afflictati, etſi nulla capitalia crimina commiſiſſent, ſynteresi tamen & aculeatâ conſcientiæ mordacitate icti & exagitati; pœnitentiam publicam, vt peccatorum antidotum ſaluberrimum, vt malorum omnium auerruncatricem, & diuinum τὸ ἀθανασίας φάρμακον, ſibi imponi flagrantiſſimis ſtudiis non efflagitabant modò, ſed contendebant Tam piæ & religioſæ contritionis rationem maximam ducebant Epiſcopi, eoſque pœnitentiæ prius benedictione communicata, ad eam publicè agendam clementer admittebát: Vel, vt aliis ſed breuioribus verbis idem dicam: Priuatim peccata ſua Sacerdoti indixiſſe non contenti, eo quod pœnitentiæ priuatim actæ tanta non eſſet ſicut publicæ vis & efficacia, vt omnem elueret pœnam Purgatoriam, ea publicè enunciare & confiteri, vt pœnitentiam publicam agere mererentur, non erubeſcebant.

Pœnitentia ſpontanea nullã infert irregularitatem.

Iſtud pœnitentiæ publicæ genus ad ſacros ordines, vel ſuſcipiendos vel recuperandos, nullum affert canonicum impedimentum, vt disertè quæ de eo meminerunt concilia annotant, duæ modò præſtentur conditiones; ne ſcelera confeſſione diuulgentur, né-ve manus pœnitentibus iſtis publicè imponantur. Tolet. 4. c. 53 *Hi qui in crimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm*

tùm se peccatores esse prædicantes, huiusmodi si reualuerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus Ecclesiasticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum peruenire nullatenus poterunt. Pœnitentes à Clero excluserat Tolet.1.c.2. quos verò Pœnitentes intelligat, eodem canone definit: *De eo verò Pœnitente dicimus, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus grauissimisq; peccatis publicam pœnitentiā gerens sub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.* Aliam conditionem & magni momenti addit Concilium Gerund. c. 9. *Postmodum reconualescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitijs non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.* Caput enim subdere pœnitentiæ, vel, quod idem est, iacêre in tertio gradu pœnitentiæ, & substratum manus impositionem pati, illud est quod κυρίως irregularitatem parit, vt mox clariùs explicabimus.

De hac tamen seueritate posteriora secula remisisse videntur, atque Pœnitentibus, quibus manus publicè impositæ fuerant, Clericatus dignitatem indulsisse: hoc enim euidenter testari videtur Tolet. 13. c. 10. qui canon cùm & prolixus sit & istud pœnitentiæ genus clarissimè definiat, in loco suo legendus est. Quod autem ad causam nostram attinet, sic decernit: *Sancta Synodus definiuit vt stante priscorum canonum sanctione, quicumque Pontificum vel Sacerdotum deinceps per manus impositionem Pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum professione notauerint, tenorem retentandi regiminis non omittant, sed*

per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more ſuſcepta, ſolita expleant ordinis, vel cætera myſteriorum ſibi credita ſacramenta. Exiſtimarim tamen, & hanc ſententiam ſequentia confirmabunt, bis tantùm impoſitionem iſtam manuum illis adhibitam fuiſſe, in carcere videlicet & in meta pœnitentiæ; ſtadium verò à quotidianâ manuum impoſitione Clericos immunes decurriſſe. Quintò demum ſeculo Pœnitentiæ ſpontaneæ conſuetudinem inualuiſſe mea eſſet ſententia, niſi S. Innocentium, eam vt ordinariam & vetuſtam innuere viderem, ep. 1. c. 7. *De Pœnitentibus verò, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Quid enim aliud eſſe poteſt, pœnitentiam ex leuioribus commiſſis gerere, quàm pœnitentiam ſpontaneam agere?

Quando in ea manus imponebantur.

Pœnitentia ſpontanea antiquiſſimus vſus.

EXERCITATIO XXIV.

De iudiciaria Clericorum Pœnitentia, illiusque à Laica distinctione.

Iudiciariæ Pœnitentiæ à spontanea distinctio. Pœnitentes Clerici tertium gradum non subibant. Manus illis non imponebantur. Miserabili & lugubri habitu non incedebant. Quare Clerici propriè pœnitentes dici non poterant.

A SPONTANEA pœnitentiâ longè differt ea quam Iudiciariam vocauimus. Iudiciaria nobis dicitur, eo quòd eâ quam explicauimus ratione ab Episcopis, vt iudicibus & scelerum vindicibus, Clericis imponeretur, illam siue deprecantibus siue detrectantibus, siue etiam nolentibus. Vnde necessitas illis incumbebat eam semel integrè complere, atque, vt dicitur, illius curriculum à carceribus ad calcem vsque currere, nisi ex antiquo & communi iure aliter iudicassent Episcopi, pœnarumque relaxationem & temporis contractionem pro pœnitentium contritione indulsissent. Hæc Clericorum pœnitentia eadem omnino erat cum Laicorum pœnitentia; vnum si exceptum eas, cuius duo *Iudiciaria pœnitentia à spontanea distinctio.*

Pœnitentes Clerici tertiũ pœnitentiæ gradum non ſubibant.

ſunt conſectanea: Secundum, vel vt aliis placet, tertium pœnitentiæ gradum, qui ὑπόπτωσις dicitur, non ſubibant, ſed pro grauitate criminis vel ad Conſiſtentiam pellebantur, vel deſultoriè prætergreſsâ ſubſtratione ad Audientes exilire cogebantur. Hinc duo conſequebantur in quibus Laicæ & Eccleſiaſticæ pœnitentiæ diſcrimen potiſſimũ inſidebat. Duo enim erant præcipua quæ in hoc gradu myſticè circa Pœnitentes agebantur. Prius erat quotidiana manuũ impoſitio, precibus & variis benedictionibus ſemper

Manus illis non imponebantur.

coniuncta; hanc manuum impoſitionem Clericos ſuſtinere nefas erat: Concil. Carthag. 5. c. 11. *Si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, qua eos à miniſterio neceſſe fuerit remoueri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* Euidentiſſimè verò Leo magnus ep. 90. c. 2. ad Ruſticum Narbon. Epiſcopum: *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi.* Quàm autem antiqua ſit hæc conſuetudo, & quamobrem conſtituta, ſtatim declarat: *Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo?*

Habitu lugubri non incedebant.

Poſterius eſt, lugubris & miſerabilis ille pœnitentium habitus, quo publicè in Eccleſia manibus Epiſcoporum ſubſternebantur, cõciliciati ſcilicet, tonſi, concinerati, tamque afflicto, ſupplice & calamitoſo actu, vt *inuidiâ cœlum tundere*, ſicut loquitur Tertullianus; & diuinæ clementiæ vim adferre, atque ab ea

peccatorum veniam veluti violentia quadam exprimere viderentur. Vniuersus iste habitus, austeraque Pœnitentium laicorum disciplina à Clericis longè aberat. Indecorum censuerunt sanctissimi Patres, Sacerdotes & Leuitas qui cæteris manus imponebant, manus impositionem pati; qui cæteris vitæ rationem disciplinámque dictabant, eidem austero subesse dictamini: Indignum eos qui altari seruiebant, laicis inseruire; qui corpus & sanguinem Christi contrectabant, laicorum genua contrectare. Ex his præterea efficitur, Clericos, sacratos præsertim, non modò in curriculo Pœnitentiæ, sed nec in principio quidem aut fine solemnem vllam Pœnitentiæ benedictionem, aut manuum impositionem accepisse: sed postquam scelera commisissent, absolutè in pœnitentiam missos fuisse; ea verò exacta, emissos, reconciliatione non publicè cæterorum Pœnitentium more accepta, *in medium*, vt ait Tertullianus, *prostratos, ante viduas, ante Presbyteros omnium lacrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes*: sed in Ecclesia priuatim & secretò pœnitentiam aut illis indictam, aut ea completa, reconciliatos, plebe non vocata, nec orationibus publicè conceptis, quemadmodum nunc pœnitentiis publicis intermortuis pœnitentes nobis reconciliare mos est.

Ab hoc numero excipiendi sunt qui ἐθελοπερισσοθρησκείᾳ, & exuberante religione & pietate, sese spontaneæ & immeritæ pœnitentiæ deuouerant; vtrique enim, vt demonstrauimus, publicæ & solemni benedictioni erant obnoxij. Cùm autem propriè & κατ'

ἐξοχὴν Pœnitentes dicerentur, qui in ſecunda ſtatione noctu diúque excubias auſteritateſque agerent: (ita enim interpretatur Concil. Tolet. 1. c. 2. nam poſtquam Pœnitentes à Clero excluſit, quos Pœnitentes intelligat, ſic definit: *Eum verò Pœnitentem dicimus, qui poſt Baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus grauiſſimiſque peccatis publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario*:) Neceſſariò colligitur, impropriè, & καταχρηστικῶς, nomen Pœnitentium fuiſſe Clericis attributum.

Impropriè nomen pœnitentium Clericis attributũ.

EXERCITATIO XXV.

Quales pœnæ Clericis pœnitentibus imponebantur.

Omnis afflictio corporis in tertio gradu pœnitentiæ. Pœnitentiæ ab Eccleſia impoſitæ ſpontaneis longè efficaciores. Clericis publicè peccantibus pœnæ imponuntur priuatæ non publicæ. Poſterioribus ſeculis pœnitentiæ agendæ cauſa in monaſteria trudebantur. Obiectionis propoſitæ dilucida enodatio.

Omnis afflictio corporis in tertio gradu Pœnitentiæ.

HIC non immeritò fluctuans aliquis percontabitur, qua multâ, quo pœnæ aut afflictationis genere Clerici ad Pœnitentiam damnati afficiebantur? Omnis enim pœna, afflictio, ieiunatio, auſteritas, corporiſque inclementia, in tertio

pœnitentiæ gradu, à quo immunes erant Clerici, exercebatur. Præterea pœnæ ab Ecclesia præscriptæ & susceptæ tanti æstimabantur, vt iram diuinam penitus extinguerent, peccatoremque innoxium & omni supplicij reatu absolutum dimitterent: Cæteræ verò sponte & marte proprio susceptæ, ab istarum virtute longè deficiebant, vt hæc, cùm de laicis agemus, fusiùs explicabimus: sed pœnas istas in secundo tantùm gradu præscribebat Ecclesia, in primo autem vel tertio spontaneæ erant & arbitrariæ. Clerici igitur qui à secundi gradus ærumnis & molestiis immunes erant, eâdem operâ earum meritis maximis pœnam Purgatoriam funditus exhaurientibus priuabantur. Denique cui fiet probabile, eos qui duplici titulo ad vitam piè sanctéque agendam tenentur, qui Deo & Religioni sacri sunt, vitam sacrilegam agentes, vulgaribus & ἀμυήτοις hominibus clementiùs excipi? *Cùm augentur dona*, inquit S. Gregorius, *rationes etiam crescunt donorum*. Ingrauescunt igitur & rationes pœnarum. Huic dubio necessariò nobis est occurrendum; illius enim enodatio qua in re Clericorum Pœnitentia præcipuè & ἐξαιρέτως consistat, dilucidè explicat. Certissimum quidem est, & à nobis demonstratum, pœnitentiâ illa anxia, laboriosa, lugubri & dedecorosa Clericos publicè non fuisse defunctos: fulmina tamen quibus eorum scelera feriret, non omnia è manibus deposuerat Ecclesia. Pœnas enim grauissimas sceleribusque pares ab iis repetere solebat. Pœnitentias enim & ἐπιτίμια, vt loquuntur Græci, priuatim & domi agenda, quandiu cum Audien-

Pœnæ ab Ecclesia præscriptæ spontaneis efficaciores.

Clerici peccantes graues pœnitentias priuatim agebant.

tibus versarentur lapsis Clericis canones præscribūt. Sicenim Leo epistola, quam citauimus, subiungit: *Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio digna sit etiam fructuosa.* Quales autem & quàm graues pœnæ illæ fuerint, typum habes Synodi 8. Generalis Act. 2. & Hibern. Syn. sub Leone III. præter enim suspensionem Episcopis, Presbyteris & Diaconis lapsis hoc imponit epitimium Ignatius Patriarcha: *Si carnibus vescuntur, abstineant à carne, caseo & ouo: hi verò qui carnes non comederunt, abstineant à caseo & ouo & piscibus. Quarta feriâ & parasceue legumina & olera cum pauco oleo & pauco vino (edant) faciantque genuflexiones quinquaginta per singulos dies, dicant Kyrie eleison, centies, &, Domine peccaui, centies, &, Domine ignosce mihi peccatori, centies, recenseantque sextum Psalmum & ;o. & 50. Hæc mādo tibi custodire vsque ad Christi Natiuitatem,* &c. Presbytero qui in fornicationem incidit, in decem annos pœnitentiam prorogat Hybern. Synodus, eámque variè dispensat, cuius dispensationis selecta quędam ob oculos proponam, vt qualis fuerit Clericorum pœnitentia, veluti penicillo depingam. Sic igitur loquuntur Patres: *Decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus siquidem mensibus priuato loco à cæteris remotus solo pane & aqua à vespera in vesperam vtatur. Diebus autem Dominicis & præcipuis festis, modico vino & pisciculis atque leguminibus recreetur, sine carne, sine sagimine, ouis & caseo, sacco indutus humo adhæreat; die & nocte iugiter omnipotentis Dei misericordiam imploret: finitis tribus continuis mensibus exeat, tamen in publicum non procedat;*

cedat; ne grex fidelis in eo scandalum patiatur: nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere, sicut Laicus, &c. Tanta erat disciplinæ Ecclesiasticæ austeritas etiam posterioribus seculis, anterioribus sanè multò rigidior. Ilerd. Concil. c. 1. grauissimè punit sacratum Clericum, qui hostilem sanguinem etiā innoxiè fuderit: *Si in hoc inciderint, duobus annis tam officio quàm communione corporis Domini priuentur, ita vt his duobus annis, vigilijs, ieiunijs, orationibus & eleemosynis, pro viribus quas Dominus donauerit, expientur.* Antiquissimis seculis cùm omnes Clerici simul & sub eodem tecto cum Episcopo, aut Cardinale Presbytero tanquam liberi sub eodem patrefamilias vitam agerent, pœnas pœnitentiales quas in secundo pœnitentiæ gradu laici sustinebant, domi in Presbyterio sustinere cogebantur. Paulatim tamen disciplina illa Ecclesiastica remittente, & cœnobitica vita refrigescente, dubitari cœptum est, an pœnas impositas priuatim sibi infligerent. Ne igitur fraudi aliquid subesset, né-ve impunè scelera committerentur, Clericos ad pœnitentiam damnatos ad eam peragendam in monasteria vt plurimum truderunt. Hæc pœna quinto, sexto & sequentibus seculis frequentissimè decernitur: *Clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, amisso ordinis sui gradu, in monasterium contradantur pœnitentiæ*: Tolet. 4 c. 44. Aurel. 3. c. 7. Tolet. 7. c. 4. & 8. c. 7. Gregorius magnus eandem pœnam indicit, vt l. 1. Ep. 42. Idem multis posteà elapsis seculis decreuit Innoc. 3. extra de pœnit. c. tuæ dissensionis. Hoc tamen priuilegio gaudebant Episcopi, vt pœnitentia multati eam apud Metropolitanum complerent.

Clerici pœnitētia agenda causa in monasteria trudebantur.

Emerit. c. 7. Tolet 7. c. 3. & Tolet. x. c. 3.

Ne autem difficultatis propositæ obliuio quædam nobis ſubrepere videatur, eius reſolutionem ex dictis colligi non difficilé breuiſſimè colligemus: Ad ordines ſuſcipiendos priuatâ pœnitentiâ inhabilitaté antiquo iure nemo ſiue Clericus ſiue Laicus contrahit: Publica verò ſed ſpontanea hanc maculam primum non inurebat, deinde ea de re dubitari cœptum eſt, denique in fauorabiliorem partem eſt quæſtio definita. De publicâ autem neceſſaria pœnitétia bifariàm pronuntiandum. Ante ſacrorum ordinum initium qui pœnitentiam inierat, erat irregularis; poſt initium, minimè: Prima verò & antiquiſſima conſuetudine vtroque modo, ante & poſt initiationem.

EXERCITATIO XXVI.

De maxima Clericorum Excommunicatione.

Excommunicatio maxima definitur, & teſtimonijs illuſtratur. Ob triplicis generis peccata vario ordine infligitur. Epiſcoporum arbitrio aliquando imponitur.

Quid maxima Clericorũ excommunicatio.

MAXIMA Clericorum Excommunicatio, vt ex ſuperioribus euidés eſt, & ex ſequentibus euidentius erit, nihil aliud eſt quàm Cenſura qua clericus ab omni prorſus communione Chri-

ſtiana,ſiue Eccleſiaſtica ſiue Laica,pellitur,atque,vt ait Tertullianus, ab omni communicatione fraternitatis arcetur,ab Eccleſia eieratur, omnique eius non modò limine, verumetiam tecto ſubmouetur. Huius Cenſuræ apud antiquos promiſcua ſunt exempla: è multis pauca delibabimus. *Si quis Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus,vel omnino ex ſacerdotali numero, à nuptijs carnibus & vino,non propter exercitationem ſed propter abominationẽ abſtinet,*&c.*vel corrigatur,vel deponatur,& ex Eccleſia eijciatur*:can. Apo.51 & concil.Laodic.c.36.*Non oportet, eos qui ſunt ſacrati vel Clerici, eſſe magos, &c. vel facere amuleta:eos autẽ qui ferunt,eijci ex Eccleſia iuſſimus.*Concil. Tolet. 4. c. 58. qui repetitur ijſdem verbis in concilio Meldenſi ſub Carolo Caluo,cap.73.Anathema præterea addit, vimque & naturam huius cenſuræ efficaciùs exprimit:*Quicumq; deinceps Epiſcopus,Clericus,&c.Iudæis contra fidem Chriſtianam ſuffragium vel munere vel fauore præſtiterit,verè vt prophanus & ſacrilegus,anathema effectus ab Eccleſia Catholica,& regno dei habeatur extraneus.*Arauſic.apud Grat. 1. q. 3. §. Canonica: *autoritate dei & iudicio ſancti Spiritus à gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, & à conſortio totius Chriſtianitatis eliminamus.*

Superius explicatæ de peccatis hypotheſi inhærentes,ob triplicis generis peccata infligi ſolitam inuenimus, ob crimina, ſcelera & flagitia,hoc tamen ordine & diſtinctione: Propter flagitium Clericus nulla anteriori Cenſura notatus,vno fulmine ab altari extra limen Eccleſiæ deturbatur. Apoſt.c. 29.*ſi quis Epiſcopus per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus,vel Presbyter,vel Diaconus, deponatur & ipſe & qui eum ordinauit.* καὶ ἐκκο-

Ob triplicis generis peccata infligitur.

πλέσθω πάντη πάσι καὶ τῆς κοινωνίας, & à communione omni exſcindatur: ſicut Simon magus à me Petro. & can. 62. *ſi quis Clericus, &c. negauerit ſi quidem nomen Chriſti, eijciatur, ſi autem nomen Clerici, deponatur.* Clericus verò Cenſura aliqua innodatus, vt pote ſuſpenſus vel depoſitus, ob ſcelus, aliquando etiam ob crimen excõmunicatione maxima percellebatur. Apoſt. c. 28. *ſi quis Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus iuſtè ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando creditum miniſterium attingere audeat, ab Eccleſia omnino abſcindatur.* Nonnunquam tamen certis de cauſis, temporique prudenter obſequentes Epiſcopi remiſſiùs vel grauiùs cum Laicis & Clericis agebant: & concil. Matiſc. 2. c. 4. ob cauſam non admodum grauem quoſuis inobedientes vltima ferit excommunicatione: *Propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, &c. omnes autem qui definitiones noſtras per inobedientiam curare contendunt, anathemate percellantur.*

Ad Epiſcoporũ arbitrium aliquando imponitur.

EXERCITATIO XXVII.

An maxima Excommunicatione Excommunicatis Ecclesiam ingredi aliquando liceret.

Missæ tres partes, primæ adsunt Excommunicati.
Missæ Catechumenorum non licet illis adesse.
Vesperis, aliisque officiis intererant pœnitentes, non excommunicati.

EXPLICATA Excommunicationis maximæ natura, grauitate, causis effectisque vniuersalibus, nondum res ad vmbilicum perducta est, plurima adhuc supersunt, sed ea vel communia sunt cum Excommunicatione maxima Laicorum, vel à Canonistis fusè pertractata: à quibus nunc abstinemus. Pauca quæ sunt vel minùs obuia, vel huic tempori aliter vsitata, notare, & breuissimè proponere ab instituto nostro non erit alienũ. Quatuor hîc non inutiliter quærentur. Primum, an Excommunicatis Ecclesiam ingredi nulla de causa liceret? Huius propositionis negatio vniuersalis neganda est: Excommunicatis enim, sacris concionibus interesse semper concessum fuit. Quod vt distinctiùs animo concipiatur, ex antiqua consuetudine Missa in tres partes distinguenda est; in Missam Catechumenorum, Missam Fidelium, & quæ vtrique erant præambula, Introitus, Lectiones Epistolarum & Euangeliorum. *Missæ tres partes.*

GGg iij

Missæ Catechumenorum, ne dum Fidelium, illis adesse nefas erat: Præambulis aderant perorato sermone statim egressuri. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum dei, gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Catechumenorum*, concil. Carthag. 4. c. 84. *De his qui se incestus pollutione commaculant, placuit, vt quouſque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur: cum quibus etiam nec cibum sumere vllum Christianorum, sicut iussit Apostolus, oportet*: Ilerd. c. 4. Rationem huius rei reddit concil. Valent. Hispaniæ c. 1. *Censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in missa Catechumenorum, in ordine Lectionum, post Apostolum, legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis non solùm Fideles, sed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui è diuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos attractos ad fidem euidenter scimus.* Canonum istorum verba innuere videntur, anterioribus seculis aliam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, omnesque eiusmodi homines, non modo à sacris sed etiam ab ipsa Euangelii inter Missarum solemnia lectione fugatos, & à sermonibus consequenter, & homiliis quæ Euangelij lectionem consequebâtur. Cùm enim pacem precaretur populo diaconus Euangelij lectionem iamiam inchoaturus, eamque ante lectiones Missæ populo impertiretur Episcopus, ab Ecclesia abesse oportebat Excommunicatos, Iudæos, Gentiles, hæreticos cæterosque omnes, qui paci Ecclesiæ non com-

Primæ adeuñt excommunicati.

municabãt. Pari igitur ratione à sermonibus fidelium abesse illos oportuit, qui pacis pronuntiationi & Euangelij recitationi succedebãt. Ideo probabile est, primis illis tẽporibus sermones duplices ab Episcopis & Christianis oratoribus habitos fuisse, alios ad fideles, alios ad Gentiles & Iudæos. Fideliũ sermones inter Missarũ solemnia, vt fieri nunc solet, post Euangelij lectionem pronunciabantur; Gentilium verò sermones proprij multis in locis in Ecclesia ante Missam inchoatam, domi verò, vt occasio ferebat. His sermonibus Ethnicis & Excommunicatis adesse licebat; prioribus verò minimè. Ex hac distinctione duæ conclusiones scitu non inutiles eliciuntur. Prima est, Pœnitentes primæ & secundæ classis, qui scilicet in fletu vel auditione stabãt, sermones fidelium non audiuisse, nullique Missæ parti interfuisse: Secunda, Prædicatores cùm in sermonibus de Eucharistiæ mysterio, alijsque nonnullis verba faciebant, eam reticentiæ formulam, Fideles norunt, tunc non vsurpasse. Pluribus fortasse hæc sibi explicari quæret lector: sed iam plura sunt quàm proposito nostrò conueniat.

Seueriùs cum Excommunicatis agit Ecclesiæ posterior disciplina: sacro enim loco, si sacra celebrentur, illos aut iubet cedere; aut si cogi non possint, sacerdotem, modo Missæ canonem non inceperit, secedere. A cæteris officijs publicis horisque Canonicis excommunicatos arcent Canones omnes noui & antiqui, hac in parte, sicut & in cæteris, pœnitentibus longè inferiores. Pœnitentes enim, etiam Audientes & Flentes, qui Missæ non intererant Catechumeno-

Cæteris officijs diuinis non intererant excommunicati.

rum, diuinis tamen omnes promiscuè intererant officijs. Vt ex Nomoc. Nesteutæ excerpsit Balsamon: *In rei sacræ celebratione omnes qui pœnitentiam agunt, & non communicant, diximus Catechumenorum edicto debere ex templo egredi & stare in ferula: in matutino autem, vesperis & reliquis, templi aditum non eis esse prohibitum.*

EXERCITATIO XXVII.

An omnem absolutionem ab Excom. præcedere debeat causæ examen & iudicium.

Quadruplex Excommunicatio. Vnicuique generi nouo iure quomodo dispẽsatur absolutio. Antiquo iure nulli concedebatur absolutio ante litem diiudicatam. Sardicensium canonum Latinus textus Græco præstat. Absolutio ad cautelam nupera quidem, ab antiqua tamen consuetudine originem trahit. Illius causa. Antequam absolutio ad cautelam esset in vsu, quid fiebat, cùm Excommunicatio esset nulla.

QVÆRENDVM secundò, nec immeritò, quando Excommunicatis absolutio concedenda est, an causæ cognitionem & examen necessariò sequatur, an præcedat aliquando? Vsus fori moderni è Pontificum decretalibus oriundi, sic habet: Qua-

Quadruplex excōmunicatio.

Vnicuique generi nouó iure quomodo dispēsatur absolutio.

Quadrupliciter variatur excommunicatio: vel enim est manifestè iusta, vel manifestè iniusta, vel dubia, vel prætenditur nulla. Si sententia est manifestè iusta, vt lata propter manifestum excessum; iudex per appellationem causæ cognitor, Excommunicato, nisi facti illum pœniteat & satisfaciat, relaxationem non elargietur: si manifestè iniusta, mox erit absoluendus: si dubia, quod aut accidit aut prætenditur plerumque, antequam absolutionem Reus imploret, defensionis locus ei negatur: quæ absolutio ante cognitionem causæ, ad cautelam, vt aiunt, & sub conditione ei semper concedi solet, dato iudiciali pignore seu cautione saltem Iuratoria, qua Ecclesiæ mandatis se pariturum pollicetur: quibus peractis ad litis diiudicationem sese accingunt. Si denique sententiam nullam esse excommunicatus conqueratur, Excommunicato integrum erit aut absolutionem petere, aut non petita, causam nullitatis agere. Si petat, absolutio ad cautelam illi denegari non debet: si non petat, sed sententiam nullam esse sese probaturum profiteatur, illi causam hanc dicere licebit: in alijs minimè audiendus. Vnde patet ante causæ recognitionem & litis contestationem recentiori iure fere semper absolutionis relaxationem esse concedendam. Hæc ab vsu variant antiquo, qui excommunicatum quemuis ad sui defensionem admittit, nullique absolutionem nisi causa diiudicata indulget. Oraculum enim erat apud antiquos vniuersale, ad omnes siue Laicorum siue Clericorum Censuras spectans, quod temerare grande erat piaculum. *Ne ab Episcopo*

Antiquo iure nulli concedebatur absolutio ante litem diiudicatā.

excommunicatione absoluit; sub ea tamen definitione vt Antiochia non excederent, donec sententiam caussa perciperet: Si autem exirent, antequam finem caussa perciperet, maiori pœnæ essent damnationis obnoxij, vt refertur act. 10. Concil. Chalced. inter acta Concil. Berit. Ad idem Genus reducitur communio illa Episcoporũ cum Excommunicato; cuius mentio fit Agath. Conc. c. 3. cuius caussæ rationésque cùm in canone enarrentur, illum hûc referre erit plus satis. *Episcopi si sacerdotali moderatione postposita, innocentes aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur: Et, si parêre noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore morte præueniantur.* Ex his canonibus velut ex causis & fundamentis omnes absolutionis ad cautelam variationes, modificationes, dispensationes facile est eruere; Sed Canonistarũ adyta recludere nunc non vacat: quod ab initio suscepimus, antiquis moribus inhæreamus.

Illius caussa & rationes.

Percontabitur aliquis, si ita est, absolutionem istam hypotheticam antiquis inusitatam esse, quo iuris subsidio vtebantur cùm excommunicatio euidenter nulla erat, vt pote ab Hæretico, vel alio iurisdictionem non habente prolata, vel post legitimam appellationem interposita, vel errorem continens, qui vulgò dicitur intolerabilis? Sic iniustè & incassùm anathemate perculsus, nunquid causæ discussionem præstolari tenebatur? Tam euidenter iniquæ sententiæ ne-

Quid fie-

mo deferebat, non Excommunicatus, non Collegæ, non populus. Sic à patribus decernitur, Sardic. c. apud Græcos 17. *Si quis Episcopus vim passus, iniustè eiectus sit, vel propter scientiam, vel propter Catholicæ Ecclesiæ confessionẽ, &c. & fugiens periculũ, innocens execrationi subiectus in aliam vrbem venerit, ne prohibeatur illic tandiu agere donec reuertatur, vel à facta sibi iniuria possit liberationem inuenire. Durum enim est atque adeò grauissimum, eum qui iniustam eiectionem passus est, à nobis non suscipi.* Idem docet Gelasius Põtifex de excommunicatione Dioscori Patriarchæ Alexandrini sed Eutychiani. *Cui illata est sententia, deponat errorem; & vacua est. Sed si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia. Ita ergo ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* apud Gratian. 11. q. 3. c. Cui. Duæ nobis quæstiones supersunt enodandæ, quibus ceremonijs excommunicatio maxima soluebatur: & id præstare cuius erat autoritatis: Sed cùm ambæ sicut duæ præcedentes sint excommunicationi Laicæ non secus ac Clericæ communes, & paucis verbis posterior expediri non possit, illarum explicationem in tractatum quem de Censuris Laicorum meditamur, differimus: præstat enim de rebus difficilibus & arduis nihil dicere, quàm pauca & obscurè.

bat cùm excommunicatio esset nulla.

ἀπέχεσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, & à communione omni exſcindatur: ſicut Simon magus à me Petro. & can. 62. *ſi quis Clericus, &c. negauerit ſi quidem nomen Chriſti, eijciatur, ſi autem nomen Clerici, deponatur.* Clericus verò Cenſura aliqua innodatus, vt pote ſuſpenſus vel depoſitus, ob ſcelus, aliquando etiam ob crimen excõmunicatione maxima percellebatur. Apoſt. c. 28. *ſi quis Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus iuſtè ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando creditum miniſterium attingere audeat, ab Ecçleſia omnino abſcindatur.* Nonnunquam tamen certis de cauſis, temporique prudenter obſequentes Epiſcopi remiſſiùs vel grauiùs cum Laicis & Clericis agebant: & concil. Matiſc. 2. c. 4. ob cauſam non admodum grauem quoſuis inobedientes vltima ferit excommunicatione: *Propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, &c. omnes autem qui definitiones noſtras per inobedientiam curare contendunt, anathemate percellantur.*

Ad Epiſcoporũ arbitrium aliquando imponitur.

EXERCITATIO XXVII.

An maxima Excommunicatione Excommunicatis Ecclesiam ingredi aliquando liceret.

Missæ tres partes, primæ adsunt Excommunicati. Missæ Catechumenorum non licet illis adesse. Vesperis, alijsque officijs intererant pœnitentes, non excommunicati.

EXPLICATA Excommunicationis maximæ natura, grauitate, causis effectisque vniuersalibus, nondum res ad vmbilicum perducta est, plurima adhuc supersunt, sed ea vel communia sunt cum Excommunicatione maxima Laicorum, vel à Canonistis fusè pertractata: à quibus nunc abstinemus. Pauca quæ sunt vel minùs obuia, vel huic tempori aliter vsitata, notare, & breuissimè proponere ab instituto nostro non erit alienũ. Quatuor hîc non inutiliter quærentur. Primum, an Excommunicatis Ecclesiam ingredi nulla de causa liceret? Huius propositionis negatio vniuersalis neganda est: Excommunicatis enim, sacris concionibus interesse semper concessum fuit. Quod vt distinctiùs animo concipiatur, ex antiqua consuetudine Missa in tres partes *Missæ tres partes.* distinguenda est; in Missam Catechumenorum, Missam Fidelium, & quæ vtrique erant præambula, Introitus, Lectiones Epistolarum & Euangeliorum.

Missæ Catechumenorum, ne dum Fidelium, illis adesse nefas erat: Præambulis aderant perorato sermone statim egressuri. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum dei, gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Catechumenorum*, concil. Carthag. 4. c. 84. *De his qui se incestus pollutione commaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur: cum quibus etiam nec cibum sumere vllum Christianorum, sicut iussit Apostolus, oportet*: Ilerd. c. 4. Rationem huius rei reddit concil. Valent. Hispaniæ c. 1. *Censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in missa Catechumenorum, in ordine Lectionum, post Apostolum, legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis non solùm Fideles, sed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui è diuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos attractos ad fidem euidenter scimus.* Canonum istorum verba innuere videntur, anterioribus seculis aliam fuisse Ecclesiæ consuetudinem, omnesque eiusmodi homines, non modo à sacris sed etiam ab ipsa Euangelii inter Missarum solemnia lectione fugatos, & à sermonibus consequenter, & homiliis quæ Euangelij lectionem consequebâtur. Cùm enim pacem precaretur populo diaconus Euangelij lectionem iamiam inchoaturus, eamque ante lectiones Missæ populo impertiretur Episcopus, ab Ecclesia abesse oportebat Excommunicatos, Iudæos, Gentiles, hæreticos cæterosque omnes, qui paci Ecclesiæ non com-

Primæ adeſ rāt excommunicati.

municabāt. Pari igitur ratione à ſermonibus fidelium abeſſe illos oportuit, qui pacis pronuntiationi & Euangelij recitationi ſuccedebāt. Ideo probabile eſt, primis illis tēporibus ſermones duplices ab Epiſcopis & Chriſtianis oratoribus habitos fuiſſe, alios ad fideles, alios ad Gentiles & Iudæos. Fideliū ſermones inter Miſſarū ſolemnia, vt fieri nunc ſolet, poſt Euangelij lectionem pronunciabantur; Gentilium verò ſermones proprij multis in locis in Eccleſia ante Miſſam inchoatam, domi verò, vt occaſio ferebat. His ſermonibus Ethnicis & Excommunicatis adeſſe licebat; prioribus verò minimè. Ex hac diſtinctione duæ concluſiones ſcitu non inutiles eliciuntur. Prima eſt, Pœnitentes primæ & ſecundæ claſſis, qui ſcilicet in fletu vel auditione ſtabāt, ſermones fidelium non audiuiſſe, nullique Miſſæ parti interfuiſſe: Secunda, Prædicatores cùm in ſermonibus de Euchariſtiæ myſterio, alijſque nonnullis verba faciebant, eam reticentiæ formulam, Fideles norunt, tunc non vſurpaſſe. Pluribus fortaſſe hæc ſibi explicari quæret lector: ſed iam plura ſunt quàm propoſito noſtrò conueniat.

Seueriùs cum Excommunicatis agit Eccleſiæ poſterior diſciplina: ſacro enim loco, ſi ſacra celebrentur, illos aut iubet cedere; aut ſi cogi non poſſint, ſacerdotem, modo Miſſæ canonem non inceperit, ſecedere. A cæteris officijs publicis horiſque Canonicis excommunicatos arcent Canones omnes noui & antiqui, hac in parte, ſicut & in cæteris, pœnitentibus longè inferiores. Pœnitentes enim, etiam Audientes & Flentes, qui Miſſæ non intererant Catechumeno- *Cæteris officijs diuinis non intererant excommunicati.*

rum, diuinis tamen omnes promiscuè intererant officijs. Vt ex Nomoc. Nesteutæ excerpsit Balsamon: *In rei sacræ celebratione omnes qui pœnitentiam agunt, & non communicant, diximus Catechumenorum edicto debere ex templo egredi & stare in ferula: in matutino autem, vesperis & reliquis, templi aditum non eis esse prohibitum.*

EXERCITATIO XXVII.

An omnem absolutionem ab Excom. præcedere debeat causæ examen & iudicium.

Quadruplex Excommunicatio. Vnicuique generi nouo iure quomodo dispẽsatur absolutio. Antiquo iure nulli concedebatur absolutio ante litem diiudicatam. Sardicensium canonum Latinus textus Græco præstat. Absolutio ad cautelam nupera quidem, ab antiqua tamen consuetudinẽ originem trahit. Illius causæ. Antequam absolutio ad cautelam esset in vsu, quid fiebat, cùm Excommunicatio esset nulla.

QVÆRENDVM secundò, nec immeritò, quando Excommunicatis absolutio concedenda est, an causæ cognitionem & examen necessariò sequatur, an præcedat aliquando? Vsus fori moderni è Pontificum decretalibus oriundi, sic habet: Qua-

Quadruplex excõmunicatio.

Vnicuique generi nouó iure quomodo dispẽsatur absolutio.

Quadrupliciter variatur excommunicatio: vel enim est manifestè iusta, vel manifestè iniusta, vel dubia, vel prætenditur nulla. Si sententia est manifestè iusta, vt lata propter manifestum excessum; iudex per appellationem causæ cognitor, Excommunicato, nisi facti illum pœniteat & satisfaciat, relaxationem non elargietur: si manifestè iniusta, mox erit absoluendus: si dubia, quod aut accidit aut prætenditur plerumque, antequam absolutionem Reus imploret, defensionis locus ei negatur: quæ absolutio ante cognitionem causæ, ad cautelam, vt aiunt, & sub conditione ei semper concedi solet, dato iudiciali pignore seu cautione saltem Iuratoria, qua Ecclesiæ mandatis se pariturum pollicetur: quibus peractis ad litis diiudicationem sese accingunt. Si denique sententiam nullam esse excommunicatus conqueratur, Excommunicato integrum erit aut absolutionem petere, aut non petita, causam nullitatis agere. Si petat, absolutio ad cautelam illi denegari non debet: si non petat, sed sententiam nullam esse sese probaturum profiteatur, illi causam hanc dicere licebit: in alijs minimè audiendus. Vnde patet ante causæ recognitionem & litis contestationem recentiori iure fere semper absolutionis relaxationem esse concedendam. Hæc ab vsu variant antiquo, qui excommunicatum quemuis ad sui defensionem admittit, nullique absolutionem nisi causa diiudicata indulget. Oraculum enim erat apud antiquos vniuersale, ad omnes siue Laicorum siue Clericorum Censuras spectans, quod temerare grande erat piaculum. *Ne ab Episcopo*

Antiquo iure nulli concedebatur absolutio ante litem diiudicatã.

vno abstentus, suspensus, depositus, excommunicatus, priùs ab altero susciperetur quàm causa à Metropol. vel Concilio retractata & discussa, æquitas elucesceret. Hinc literarum formatarum, pacificarum, commendatitiarum, encyclicarum, aliarumque eiusmodi origo, delatio, mutuáq; missitatio: Ne videlicet à Planis, Erronibus, Excommunicatis, aliisq; eiusdem farinæ tenebrionibus incauti circumuenirentur. Id disertè antiqua monumenta testantur. Nicæn. c. 5. *de ijs qui à communione segregati sunt, siue Clericorum siue Laicorum sint ordinis, ab Episcopis qui sunt in vnaquaque prouincia valeat sententia, secundùm canonẽ qui pronuntiat, eos qui ab alijs eiecti sunt, non esse ab alijs admittendos. Examinetur autem nunquid vel simultate vel contentione vel aliqua eiusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint, &c. & sic quos Episcopum offendisse constiterit, iustè esse à congregatione separati apud omnes videantur*, &c. can. 17. Sardic. *Tamen priusquam omnia diligẽter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere vt communioni societ.* Sic citatur hæc pars canonis à Cresconio, Gratian. 11. q. 3. si Episcopus quis, Et extra, de sent. excom. c. per tuas, §. in Sardic. Græcus textus Zonaræ & Balsam. paulo aliter se habet, neque est ita expressus: sed in Sardicensibus canonibus Latinus textus Græco longè præstat: atque his Græcis autoribus longè est antiquior Cresconius. His similia c. 12. Antioch. *si quis à proprio Episcopo fuit excõmunicatus, ne priùs ab alijs suscipiatur quàm fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel facta Synodo accedens se defenderit, & persuasa Synodo aliam sententiam retulerit. Idem autem*

Sardicensium canonum Latinus textus Græco præstat.

decretum aduersus Laicos & Presbyteros & diaconos & eos qui sunt in Cleri catalogo, obseruetur. Frequentia sunt eiusmodi testimonia quæ excommunicatis ante causæ recognitionem omnem absolutionis spem eripiunt: Res enim videtur nupera, absolutio ad cautelam, antiquis inaudita, atque ipsi Gratiano incognita: quam consuetudinem asserere, è lege Ecclesiæ communionem & omne cum Excõmunicatis commercium prohibentis, natam esse, non tantùm est absurdum sed etiam ridiculum: Lex enim illa ad iudices legitimos nec spectauit vnquam, nec spectare potuit: sed ab Ecclesiæ misericordia ortum habuit, Excommunicatos tanto tempore quanto ad causæ diiudicationem opus est, anathemati subiacere ægerrimè ferentis. Quanquam pro priuilegijs modernis, vix vnquam vrgeat huius absolutionis necessitas. Quilibet enim Sacerdos peccatis audiendis cõmissus, quantum ad conscientiæ forum attinet, & salutem animæ è periculo eripiendã, excommunicationis à iure latæ, nec reseruatæ, vincula laxare potest: ita vt nullum amplius in mora sit periculum: Quam tamen formidabilem Decretales asserunt, extra, de sent. excõm. c. sacro. §. Caueat, & in sexto, de sent. excomm. c. venerabilibus. §. Sanè. Et cuius causã absolutionem ad cautelam clementer aut inuenerunt, aut inuentam confirmarũt. Diligentiùs tamen antiquorũ monumenta scrutanti hoc absolutionis genus non omnino inusitatum fuisse deprehendetur; ab eo enim prope abest absolutio à Domno Antiocheno Patriarcha quibusdam Presbyteris concessa; *propter festiuitatem illos ab*

Absolutio ad cautelã res nupera.

Absolutio ad cautelã ab antiqua consuetudine originẽ trahit.

excommunicatione absoluit; sub ea tamen definitione vt Antiochia non excederent, donec sententiam causa perciperet: Si autem exirent, antequam finem caussa perciperet, maiori pœnæ essent damnationis obnoxij, vt refertur act. 10. Concil. Chalced. inter acta Concil. Berit. Ad idem Genus reducitur communio illa Episcoporũ cum Excommunicato; cuius mentio fit Agath. Conc. c. 3. cuius causæ rationésque cùm in canone enarrentur, illum hûc referre erit plus satis. *Episcopi si sacerdotali moderatione postposita, innocentes aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur: Et, si parêre noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore morte præueniantur.* Ex his canonibus velut ex causis & fundamentis omnes absolutionis ad cautelam variationes, modificationes, dispensationes facile est eruere; Sed Canonistarũ adyta recludere nunc non vacat: quod ab initio suscepimus, antiquis moribus inhæreamus.

Illius causa & rationes.

Percontabitur aliquis, si ita est, absolutionem istam hypotheticam antiquis inusitatam esse, quo iuris subsidio vtebantur cùm excommunicatio euidenter nulla erat, vt pote ab Hæretico, vel alio iurisdictionem non habente prolata, vel post legitimam appellationem interposita, vel errorem continens, qui vulgò dicitur intolerabilis? Sic iniustè & incassùm anathemate perculsus, nunquid causæ discussionem præstolari tenebatur? Tam euidenter iniquæ sententiæ ne-

Quid fie-

mo deferebat, non Excommunicatus, non Collegæ, non populus. Sic à patribus decernitur, Sardic. c. apud Græcos 17. *Si quis Episcopus vim passus, iniustè eiectus sit, vel propter scientiam, vel propter Catholicæ Ecclesiæ confessionẽ, &c. & fugiens periculũ, innocens execrationi subiectus in aliam vrbem venerit, ne prohibeatur illic tandiu agere donec reuertatur, vel à facta sibi iniuria possit liberationem inuenire. Durum enim est atque adeò grauissimum, eum qui iniustam eiectionem passus est, à nobis non suscipi.* Idem docet Gelasius Põtifex de excommunicatione Dioscori Patriarchæ Alexandrini sed Eutychiani. *Cui illata est sententia, deponat errorem; & vacua est. Sed si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia. Ita ergo ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* apud Gratian. 11. q. 3. c. Cui. Duæ nobis quæstiones supersunt enodandæ, quibus ceremonijs excommunicatio maxima soluebatur: & id præstare cuius erat autoritatis: Sed cùm ambæ sicut duæ præcedentes sint excommunicationi Laicæ non secus ac Clericæ communes, & paucis verbis posterior expediri non possit, illarum explicationem in tractatum quem de Censuris Laicorum meditamur, differimus: præstat enim de rebus difficilibus & arduis nihil dicere, quàm pauca & obscurè.

bat cùm excommunicatio esset nulla.

EXERCITATIO XXIX.

De Interdicto, & eius origine.

Excommunicatione quando Iudæi uti cœperunt. Triplex erat apud eos. Gradus Pœnitentiæ Excomm. Iudæorum respondentes. Interdicto non est usa Ecclesia Iudaica. Originis Interdicti demonstratio. Interdicti vox quando usurpata. Interd. antiqua descriptio. Eius origo & Epoche. Interdictum locale antiquissimum. Interdictum luctus est Ecclesiæ: Primùm dicebatur excommunicatio publica. Seueritas Interdicti quando remissa.

DE Interdicto nihil nobis ex instituto nostro dicendum esset: Hanc enim Censuram non ante multa tempora in Ecclesia Catholica cœpisse comperio. Deinde ijs quæ de Interdicto à Canonistis vulgò differuntur, addendum nobis nihil hactenus occurrit. Verùm cùm de illius antiquitate exiliter nimis & parcè nonnulli sentiant, & scribant, quæ de ea nobis obseruata sunt, vice velut mantissæ his Exercitationibus addere, Lectori non ingratum fore iudicauimus: Postquam Iudæis jus gladij, merúmque imperium ademptum est; veréque dixerunt, *Non licet nobis occidere quenquam*; Excommunicatio-

Excom.

nibus frequentiſſimè vſi ſunt: Hinc illud apud Ioannem c. 9. *Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.* Similia referuntur c. 12. & 16. Eâdem phraſi ἀποσυνάγωγοι γίνεσθαι in eodem ſenſu diu vſa eſt Eccleſia Catholica, vt ex Concilio primo Nicæno, & ijs quæ diximus, facilè demonſtratur. Excommunicationis autem apud Iudæos tres erant gradus, quos ſic enumerat in radice שמתא Eliæ Leuitæ Thesbites נדוי חרם ושמתא *Nidui, cherem & Schamatha. Nidui*, remotionem, ſeparationem, & expulſionem propter immunditiem & ſpurcitiem aliquam propriè ſignificat: Vnde mulier, propter menſtrua, aut recentem partum immunda נדה *nidah* dicitur. Hoc excommunicationis fulmine tangi, eſt extra Synagogam fieri: Ita enim verbum נדה à quo נדוי in Eſaiæ prophetia, c. 66. *fratres veſtri odientes vos & abijcientes propter nomen meum*, interpretari videtur Dominus noſter Ieſus Chriſtus; cùm ait Ioan. 16. *Abſque Synagogis facient vos*. Huic excommunicationis ſpeciei reſpondet Græcorum ἀφορίζεσθαι, & Latinorum *abſtineri*, ſeu ὑπόπτωσις, *Subſtratio*; ad quam Pœnitentiæ claſſem ablegabantur ij qui ob immunditiem ex grauibus peccatis contractam indigni cenſebantur, non tantùm qui myſterijs communicarent, ſed etiam qui ea conſpicerent.

municati. quando cœpit apud Iudæos.

Excommunicatio apud Iudæos triplex.

Secunda Excommunicationis ſpecies à genere nomen mutuatur: dicitur enim חרם, *Cherem*, *Excommunicatio*. De hac Excommunicatione ita loquitur Elias ואם לא היה שב היו מחרימין אתו ונקרא חרם שנכנס ברמח אבריו *Si verò eum non pœnitet, excommunicant, & vocatur*

Secunda Excommunicationis ſpecies.

Cherem, Excommunicatio, eo quòd penetret in 248. *membra eius.* Alludit Rabinus ille ad numerum quem componunt literæ nominis חרם: Vulgatum est autem apud Rabinos, corpus humanum, ex ducentis quadraginta octo membris componi. Ad hanc Censuræ speciem allusisse videtur Apostolus Epist. 1. ad Corinth. c. 5. *Jam iudicaui &c. tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Eiusmodi Excommunicationi consimilis ea fuit in Ecclesia Catholica, qua qui grauiora peccata commiserant, ad ἀκρόασιν, *Auditionem*, pellebantur. Super eiusmodi enim nullæ preces, nullæ benedictiones, nulli Exorcismi concipiebantur; concionibus tantùm publicis cum Ethnicis, & primæ classis Catechumenis fas illis erat interesse: Nullam aliam istorum salutis siue corporis siue animæ curam gerebat Ecclesia, ne Energumenorum quidem benedictionibus, & mysticis curationibus adesse illis concedebat.

Tertia Excommunicationis species.

Tertium & grauissimum Excommunicationis genus apud Iudæos שמתא *Schamatha* vocatur. Huius vocabuli rationem reddit Elias Leuita eodem loco ואם לא חיה שב חיו משמתין אותו ופי שמתא שם מיתה *Si non resipiscit, mortis eum condemnant: ita vt sensus sit, Schamatha, velut, Scham Mitah, ibi mors.* Propter eandem rationem idem autor in suo מתורגמן hanc Excommunicationem vocat חרם חמור *Excommunicationem grauem & absolutam.* Huic Iudaicæ Excommunicationi respondet Christianorum Excommunicatio maxima; qua peccator nō tātùm ab Ecclesia eieratur,

& ab

& ab omni Ecclesiæ limine & tecto submouetur, sed etiam omni ciuili commercio & communicatione interdicitur: quales erant ij quibus Aue precari vetat S. Ioannes, Epist. 2. qualésque sæpius nobis commemorant vetusti Conciliorum canones. In eiusmodi Excommunicatione verè mors est spiritualis: Hac enim perculsi nullo spiraculo vitam deificam hauriunt, nullóque vinculo cum Ecclesia connectuntur. Censuram istam non spiritualiter, sed, vt verba sonant, inflixit S. Petrus, cùm Ananiam & Saphiram mendacij conuictos solo oris verbulo morte affecit. De Iudæorum Excommunicationibus plura, cùm de Laïcorum censuris verba faciemus. Interdicto nunquam vsa est Iudaïca Ecclesia, nec vti potuit. Cùm enim in solo templo Hierosolymitano illis sacrificare liceret, si ibi à sacrificando cessatum fuisset, omnis cultus diuinus autoritate Ecclesiastica abrogatus fuisset. *Interdictum apud Iudæos nullum.*

Hæc fortassis causa fuit cur Patribus antiquis in mentem non venit, vt in Magnatum & Principũ coërcẽda in peccatis peruicacia, interdicto & à diuinis cessatione vterentur. Cùm enim Excommunicationis species plerasque & ceremonias è Iudæorum præcipuè disciplina deriuassent, quod ab eorum vsu abhorruit, non vsurparunt. Lapsu tamen temporis cùm ex potentissimæ Carolouingiorum familiæ ruinis & ruderibus, Principum numerus propè infinitus in Gallia, Italia & Germania consurrexisset, singulis Comitibus, Ducibus & Præfectis, Prouincias, quas precariò rexerant, sibi vindicantibus, easque filijs & nepotibus velut patrimonium diuidentibus, nouum *Interdicti occasio in Ecclesia Catholica.*

Interdicti fulmen excogitarunt Sancti Episcopi; quo Regulos istos, Excommunicationem nonnunquam floccipendentes, compescerent, atque in officio continerent. Ipsi præterea Episcopi, eodem tempore, Comites, Duces regionúmque domini esse cœperunt; ideo cùm armis Nobiles, Ciuitatésque rebelles subigere non possent, sibi parere, Interdicto & generali quadam Excommunicatione coëgerunt. Confugiebant quidem Episcopi aliquando ad summos Reges, & Imperatores, vt Regulos illos tyrannidem exercentes, & Nobiles, ciuitatésque rebelles armis coercerent, Ecclesiámque ab illorum iniurijs tuerentur: sed summos illos Reges & Imperatores difficilibus sæpe bellis & negotijs implicitos experiebantur. Deinde Reguli isti nonnunquam ita necessitudinibus potentes erant, armísque strenui, vt ipsis Regibus & Imperatoribus formidabiles essent. Itaque Episcopi hac sæpe derelicta Ecclesiæ protectione, ad Interdicti Censuram, tanquam ad sacram anchoram confugerunt.

Originis Interdicti demonstratio.

Istam Interdicti originem non esse omnino improbabilem præter ea quæ dicta sunt, duo maximè comprobant; Primum, ipsa Interdicti causa, & occasio: notum est enim Interdicto feriri Prouincias, Ciuitates, Collegia, ob Principum, Magnatum, & Rerumpublicarum crimina, à quibus pœnas aliter exposcere non potest Ecclesia. Alterum est, Interdicti ortus, & velut epoche; quæ ad ea tempora quæ notauimus, necessariò referenda est; vt quæ dicturi sumus, euidenter euincunt. Perperam enim & imperi-

tè nonnulli scripserunt, ante tempora Alexandri III. Pontificis qui Pontificatum inijt anno Christi, 1160. Interdicti memoriam nullam extare: vnico argumento freti, quòd Interdicti apud Gratianum nulla fiat mentio. Sed huic argumento certissimis autoritatibus facilè præscribitur, silentiúmque huic Gratiani silentio imponitur. Gratiano enim longè antiquiora supersunt huius Censurę indicia. Nam interdicto vt Censura ordinaria vtebantur Episcopi Galliæ, ante quingentos annos, vt testis est Iuo Epist. 50. ad Richerium Senonensem Episcopum scribens, *Præcipite itaque Stampensi Archipresbytero, vt vel eos ad satisfactionem adduc[illegible] vel, ipsis Excommunicatis, & locis in quibus morant[illegible]iuinum officium interdicat.* Et Epistola 62. *De Clericis autem vel Monachis Puteacensibus, qui contra Interdictum vestrum Missas celebrauerunt, mortuos sepelierunt, chrisma aliunde acceperunt; hoc vobis respondeo & consulo, &c.* Eadem Epist. 264. & 266. Epistolâ verò 111. Interdictum appellat, *à diuino seruitio suspensionem*; Ante verò Iuonem Interdicti Censuram sæpius commemorat Gregorius VII. qui anno Christi 1073. Pontifex creatus est: Loca satis erit indigitasse l. 1. Epistol. 81. & lib. 2. Ep. 5. & 23. l. 7. Epist. 16. & 18.

Interdicti autor non fuit Gregorius VII. eo enim vsi commemorantur ante Gregorium Galliæ Episcopi in Concilio Prouinciæ Bituricensis apud Lemouices celebrato: cuius fragmenta multa refert illustrissimus Cardinalis Baronius anno 1034. & præcedentibus, ex codice manuscripto doctissimi Cano- *Interdicti autor non fuit Gregorius VII.*

num Collectoris Antonij Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi; quæ fragmenta poſtea Seuerinus Binius vir de Literis & antiquitate Eccleſiaſtica optimè meritus diligentiſſimæ ſuæ Conciliorum editioni inſeruit. Eiuſdem Concilij codicem manuſcriptum à viro doctiſſimo Cordeſio Lemouicēſi Canonico mutuò acceptum legimus: qui viginti quinque canones ab ijsdem Patribus editos continet. Hi canones ſanctis Epiſcopis digniſſimi, Baronio & Binio incogniti fuerunt; quanquam eos citet nonnunquam Antonius Auguſtinus. Huius Concilij tempore Interdicti vox nondum videtur vſurpata fuiſſe: res tamen ipſiſſima ſub latiſſimo Excōmunicationis nomine vſurpabatur. Omnia enim, & plura quàm quæ poſtea Pontificum decretales in Interdicto obſeruari iuſſerunt, ſeuerè tum obſeruabantur. Ea concilij ipſius verbis commodiùs quàm noſtris explicabuntur: Ita enim clara ſunt & perſpicua, vt eorum nuda & ſimplici narratione Interdicti natura, & antiqua praxis ſatis ſuperque demōſtretur. Non igitur te pigebit, Lector, ſi in ijs referendis contra morem noſtrum paulò longiores ſimus.

Interdicti vox quādo vſurpata.

Odelricus familiæ beati Martialis pater, à Synodo de contumacia Principum militiæ Lemouicenſis ſententiam rogatus, Patribus iſtiuſmodi autor eſt conſilij: *Niſi de pace acquieuerint, ligate omnem terram Lemouicenſem publica Excommunicatione; eo videlicet modo, vt nemo niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adueniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemouicinio ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad*

Interdicti antiqua deſcriptio.

ſepeliendum portetur: Diuinum officium per omnes Eccleſias latenter agatur, ſed Baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant: Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur: Altaria per omnes Eccleſias, ſicut in Paraſceue, nudentur, & cruces & ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus, & triſtitiæ omnibus eſt. Ad Miſſas tamen quas vnuſquiſque Sacerdotum ianuis Eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur, & iterum poſt Miſſas nudentur: Nemo in ipſa Excommunicatione vxorem ducat: Nemo alteri oſculum det: Nemo Clericorum aut Laïcorum vel habitantium, vel tranſeuntium in toto Lemouicinio carnem comedat, neque alios cibos quàm illos quibus in quadrageſima veſci licitum eſt: Nemo Laïcorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes, & capita populorum per omnia ſancto obediant Concilio. Si quis verò probatus fuerit aliquo modo huius vinculi violator, non recipiatur niſi cum digna Pœnitentia. Eccleſiæ à filijs ſuis afflictæ & oppreſſæ lugubris iſte apparatus quam Excommunicationem publicam vocant, Excommunicationi priuatæ non præjudicabat: hoc eſt, quominus certi quidam criminis autores, & fautores, priuatim & nominatim Excommunicatione præterea ferirentur, non impediebat. *Hi tales*, inquit eadem Synodus, *& priuatim excommunicentur, vt ſint ſegregati à communione corporis & ſanguinis Domini: in Eccleſiam intrandi nullam habeant licentiam: cum Chriſtianis non comedant, neque bibant neque ambulent, carnem non come-*

Interdictũ Excommunicationi priuata non praiudicabat.

dant, vinum non bibant: non tondeantur neque radantur, ad nullas orationes proficisci præsumant: Si infirmi fuerint, non visitentur à Clerico: morientes in ipsa Excommunicatione, non sint de loco leuati, in quo mortui fuerint, nec cooperiantur lino, neque petra neque aliqua munitione: substantiam eorum nullus pro animábus eorum in eleemosynam accipiat.

Eiusdem moris sub eodem Excommunicationis nomine meminit Fulbertus, Epistola 93. ad Regem Francorum Robertum. Florebat doctus ille Carnutensium Episcopus initio regni Roberti ante Concilium Bituricense aliquot annis. Edicto, Galliæ Principes & Episcopos Aureliam vocauerat Rex, consilium de componenda pace habiturus. Ad eum de hac re sic scribit Fulbertus; *De pace componenda gaudeo, sed audito quòd Aureliana ciuitas, videlicet incendio vastata, sacrilegiis prophanata, & insuper Excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror & paueo. Quanto enim dolore putas afficiendos esse Sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei & tuam ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint, vbi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi Sacrosanctam Eucharistiam absoluiè percipere?* Ex Epistola 3. ad eundem Regem, hanc publicæ Excommunicationis consuetudinem illo tempore iam inualuisse colligitur: sic enim apud Regem, de quodam Gaufrido Vicecomite conqueritur: *Tristitiam nostram attestari quodammodo iussimus, officiúmque diuinum hactenus in Ecclesia nostra per Dei gratiam cum magna cordis & oris iubilatione celebrari solitum, depressis modò miserabiliter vocibus, & penè silentio proximis sie-*

ri: Et paulò post, *Quòd si nec per vos, nec per illum irrita fuerit hæc quasi perpetua nostri loci confusio, quid restat aliud nisi vt penitus interdicatis agi diuinum officium in toto Episcopatu nostro?* Ab huius consuetudinis fontibus iam propè absumus; digitum in eos intendamus. Hos indigitat & recludit Ademarus S. Eparchij Engolismensis Monachus ad annum 994. Chronici sui, quod habet manuscriptum Cordesius ille noster. Viuebat Ademarus ille anno Christi 1020. Hæc de Alduino Lemouicense Episcopo ad annum salutis 994. adnotat, vt nos ab omnibus literarum studiosis laudandus admonuit Cordesius. *Sæpe idem Alduinus pro nequitia populi nouam obseruantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare à diuino cultu & sancto sacrificio, & populum quasi paganum à diuinis laudibus cessare: & hanc obseruantiam Excommunicationem censebat.* Ex Ademari verbis facile est colligere, Alduini temporibus, hoc est, regnantibus in Gallia Lothario & Ludouico Carolouingiæ stirpis postremis Regibus, & Hugone Capeto Christianissimæ Regum nostrorum familiæ primo parente & capite; tum primùm in Ecclesia Interdicti seu Excommunicationis publicæ ritum innotuisse: Ex Fulberto verò & Concilio Bituricensi statim totam Galliam peruasisse. Interdicti localis, tacito tamen Interdicti nomine, vestigia quædam refert Concilium Tribur. c. 32. & Cabilon. 2. sub Carolo Magno, c. 26. Cùm enim rixæ obortæ essent inter Ecclesiæ Patronos, his & illis Ecclesiam sibi vindicantibus, Presbyterósque in eam intrudentibus, decernunt Patres,

Interdicti origo & Epoche.

Interdictū locale antiquissimum.

quod cùm *Simultates inter eos surrexerint, per quas Sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, pracipiatur ab Episcopo ciuitatis, vt nullomodo ibi missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio Ecclesia illa Sacerdotem canonicè habeat, qui liberè ibi suum ministerium peragere possit.* Eiusmodi interdicta quæ locum spectant, quæque ob Ecclesiæ & loci alicuius prophanationem, Magnatum & Patronorum dissensiones, aut similes alias causas infliguntur, ab omni antiquitate Christiana vsitata fuisse, rei ipsius natura euidenter demonstrat. Sed ingens est discrimen inter Interdictum locale, & personale de quo agimus.

Interdictū luctus est Ecclesiæ.

Qui hæc omnia apud se diligenter perpenderit, à vero non multum aberrauerit, si interdicta originem duxisse affirmauerit à luctu & mœrore, quem de Principum & Magnatum aduersus Canonicas sanctiones contumacia & peruicacia, Ecclesia cōcipiebat. Quemadmodum enim apud Iudæos antiquitus in calamitate publica Sacerdotes & altaria ciliciis tegebantur, vt testatur liber Iudith, c. 4. Ita Ecclesia Christiana Regum & Principum grassante oppressione, quæ calamitas quædam est publica, ornamentis Ecclesiasticis, omnibúsque Sacrificiorum & officiorum publicorum solemnitatibus, sibi interdicebat, vt atratis & squalidis Matris vestibus, & miserabili habitu commoti Principes sæuitiam deponerent, mœrentisque matris animum pœnitentia recrearent, lacrymásque & ægritudinem abstergerent. Hinc labente tempore, non improbabile est, Episcopis nonnullis occasionem

natam

natam esse, mœstitiam istam lugubrem in pœnæ Canonicæ genus quoddam sub Excommunicationis latissimo nomine conuertendi: Quæ consuetudo cùm frequenti Principum, Magnatum & ciuitatum aduersus Ecclesiam contumacia[l] p[er]titer increbresceret, pœna hæc tandem ab vniuersali mysteriorum & communionis pignorum interdictione, Interdicti nomen sibi comparauit.

Interdictum priùs dicebatur Excommunicatio publica.

Cùm primùm Interdicto seu Excommunicatione publica vsa est Ecclesia, omnia fuerunt ad terrorem & horrorem populis concutiendum maximè comparata: Vniuersa enim officia diuina interdicebantur, exceptis morientium pœnitentiis, & paruulorum baptismo, vt pluribus enarrabat Odelricus Monachus in Concilio Bituricensi. Ducentis annis hunc morem seuerè obseruauit Ecclesia, vt colligitur, extra de sponſ. & matrim. C. Non est vobis. Sed de hac seueritate posteriora sæcula plurimùm remiserunt, vt ex Decretalibus Gregorij IX. Bonifacij VIII. & Canonistarum commentariis elucet. Innocentius III. qui anno 1200. floruit semel in hebdomada Prædicare & Baptizatos confirmare licitum esse declarauit, de Sent. excom. C. Responso. Præterea Clericis, qui Interdictum obseruauerant, in cœmeterio cum silentio sepeliri; in conuentualibus Ecclesiis, voce remissa, ianuis clausis, non pulsatis campanis, horas canonicas binos vel trinos recitare concessit. De Pœnit. & remiſſ. C. Quod in te. Gregorius IX. circa annum 1230. addidit vt moribundis viaticum vitæ æternæ ministraretur: Semel in he-

Seueritas Interdicti quando remissa.

domada pari cum silentio Missarum solemnia celebrari posse, de sent. Excom. C. permittimus. Plura Innocentius IV. qui Pontificatum iniit anno 1245. Sed omnium maximè Interdicti rigorem mitigauit Bonifacius VIII. in sexto de sent. Excomm. C. Alma mater. Hic tandem cùm intemperantem huius Censuræ vsum multa incommoda, quæ ipse refert in Extrauag. de sent. Excomm. C. Prouidè, in Ecclesiam inuehere experiretur, multis in causis Interdicti fulmine Episcopis interdixit.

Laus Deo, Virginique Mariæ.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVI HIC HABENTVR, *E VETERI ET NOVO Testamento.*

Numerus Paginam notat: littera *A*, initium paginæ: *B*, medium: *C*, finem.

INDEX
DICTIONVM ALIQVOT
ET PHRASEΩN QVAS HOC OPERE AVTOR A GRÆCIS MVTVAVIT, SELEGIT, nonnullas interpretatione donauit, distinxit, restituit.

Numerus Paginam notat: litera A, *locum paginæ initio*: B, *in medio*: C *circa finem.*

A

Γ.

Δ

INDEX RERVM SELECTIORVM QVAS LECTORI DARE VISVM EST.

Numerus Paginam notat: Litteræ, locum in Pag. A, *ini-tium*: B, *medium*: C, *finem.*

D

E

F

G

Homo

I

L

M

P

Q

R

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est autoritate Regia, ne quis alter, in Regno Franciæ, præter ANTONIVM STEPHANVM, Typographum Regium, Opus, quod inscribitur, IOANNIS MORINI, *Blesensis, Congregationis Oratorij Iesu-Christi Presbyteri, Exercitationum Ecclesiasticarum libri duo de Patriarcharum & Primatum Origine, &c.* intra sexennium imprimat aut diuendat: Publicationis exemplarium, si quis secus fecerit, multâ indictâ; prout ampliùs in ipso diplomate continetur. LVTETIÆ Parisiorum, decimo tertio Ianuarij, anno 1626.

SAVARY.